



CA NAZ.
anuele III
VI
NAPOLI




DE CHRONICIS
EUSEBII
CÆSARIENSIS
DISSERTATIO.





DE CHRONICIS
LIBRIS DUOBUS
AB EUSEBIO
CÆSARIENSI
SCRIPTIS ET EDITIS
DISSERTATIO.

Accedunt Græca quædam Fragmenta, ex Libro I. olim excerpta a Georgio Syncello.





VERONÆ, Ex Typographia Seminarii.
Ineunte anno Jubilæi MDCCL.
SUPERIORUM PERMISSU.







ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.


JOANNI BRAGADENO

EPISCOPO VERONENSI,

COMITI, &c.

Hieronymus de Prato Congr. Oratorii Veron. Presbyter & Præpositus

F.



Uum jam pridem justis gravibusque de caussis constituissem, libri alicujus nuncupatione observantiæ obsequiique in Te mei, PRÆSUL ILLUS-

TRISSIME & REVERENDISSIME, ſpecimen edere, anceps tamen diu hæſi atque incertus, num hanc potiſſimum Diſſertationem, quæ ex Typographia in Seminario Tuo per Te erecta nunc prodit, tanto muneri deſtinarem. Equidem Tuorum in me Congregationemque meam & præteritorum meritorum recordatio & novorum in ſingulos fere dies acceſſio me vehementer exſtimulabat, ut hac quæ ſe primum dabat, arrepta opportunitate, Tecum hoc officio defungerer: ſed Operis ipſius modicitas me non mediocriter abſterrebat, ac fere penitus ab ea deliberatione retrahebat.

Ecce

Ecce autem clarissimus & sapiens Vir Com. Ottolinus Ottolinius (qui apud me plurimum valet auctoritate, apud Te autem gratia) in consilium adhibitus, ab ea me tandem ambiguitate & fluctuatione animi revocavit. Is nimirum mihi auctor fuit & quasi fidejussor, ut hunc Tibi libellum offerre minime ambigerem: neque enim, ajebat, Te Tuique similes spectare solere, quanti donum aliquod per se valeat, sed quibus de caussis, quoque potissimum animo quis donet: nec, addebat, obstare quidquam debere, quod propositum mihi sit, Opus aliud majoris molis de hoc ipso quod nunc a me quasi delibatur, argumento in publi-

eam aliquando lucem proferre, idque aptius & dignius videri possit, ut Tuo Nomini consecretur: nam quidquid, inita inter utrumque comparatione, jacturæ detrimentique in hujusce munusculi pretio inesse videbitur, satis superque temporis intervallo & oblationis anticipatione, juxta quidem tritissimum illud adagium, Qui cito dat, bis dat, *compensatum iri asserebat.*

Ejus itaque tantique Viri auctoritate permotus, hisque impulsus argumentis, omni tandem hæsitatione depulsa, hoc quodcumque libelli est, *PRÆSUL AMPLISSIME, Tibi dono dedicoque, magna etiam confidentia erectus,*

ctus, Te pro singulari Tua humanitate & donum ipsum gratum habiturum, & multo magis offerentis studium propensamque voluntatem in Tui Nominis venerationem æqui bonique facturum.

Fuerunt autem (ut quod res est, libere proloquar) duo potissimum in hoc Tibi obsequio præstando mihi proposita. primum quidem, ut quocumque libri hujus exemplaria pervenerint, eo etiam perferant, ac in ipsa fronte præferant non obscurum singularis qua erga Institutum nostrum, Congregationemque hanc affectus es, benevolentiæ & munificentiæ testimonium: alterum vero, ut, quoniam hac to-

ta Civitate Diœcesique Veronensi cuilibet cognitum perspectumque facile esse potest, quo in nos animo sit; illud tandem efficiam, ne adversus Te ingrati, Tuorumque beneficiorum immemores aut parum æqui æstimatores esse videamur. Erit autem utrumque, ni fallor, utrique nostram apprime decens & consentaneum.

Tibi sane, AMPLISSIME PRÆSUL, *cui commissa divinitus est cura totius Veronensis Ecclesiæ, præter ceteras eximiasque Tuas laudes, summæ etiam gloriæ est & erit apud omnes bonos, ei Sacerdotum Cœtui enixe favere & patrocinari, cui (absit verbo invidia) proposi-*

tum

tum unice sit Veronensi Episcopo, ejusque administris Parochis, in salute animarum pro viribus procuranda ultroneam & gratuitam exhibere operam. Illud vero quam constanter præstes seduloque præstiteris, vel in maximis difficultatibus difficillimisque Congregationis hujus temporibus, tum consilio tum auctoritate, & verbis & epistolis gravissimis; ex animis nostris domesticisque monumentis numquam profecto excidet. Verum non tam nobis gratum jucundumque est benevolentiæ in nos Tuæ memoriam secreto colere, & intra domesticos parietes fovere, quam justum fuerit & honestum eamdem palam prædicare, gratique in Te ani-

animi nostri sensus publicis etiam argumentis testari.

Cur enim non Eum & privatim & publice colamus, omnique, quantum in nobis est, officiorum genere prosequamur, qui & Pastor est animarum nostrarum, & Dux moderatorque noster in aliorum æterna salute promovenda? Cur non Eum enixe observemus & celebrebremus, cui tam multa & singuli & universi accepta referimus beneficia? Hujusmodi ergo cum sis, ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRÆSUL, nostrarum partium esse semper existimavimus, quotidianas ad Deum preces nobismet indicere pro Te proque incolumitate Tua, utque

omnia Tua ad Ecclesiæ hujus ornamentum, Tibique a summo Pastore CHRISTO commissarum ovium utilitatem directa consilia prosperam fortiantur effectum: tum gloriæ nobis præcipuæ duximus, in omnibus Tibi obsequi (quantum Instituti nostri ratio patitur), nullique parcere labori, quo vel nutibus Tuis alacriter pareremus: denique nullam prætermisimus occasionem, quæ se nobis dedisset, quin Tuas egregias animi dotes & præclare per Te gesta debitis præconiis extolleremus.

Quæ cum ita sint, opportune ac percommode accidisse puto, ut, quoniam ego hoc tempore, quamquam tanto oneri impar, Congregationis

mea

meæ clavum teneo, non meo tantum peculiari, sed communi Sociorum nomine hoc Opusculum tibi nuncupare possim, & quas Tibi singuli se habere sentiunt immortales gratias, unus ego pro omnibus, licet ex minima parte, persolvam. Hoc vero per se præclarum, mihique jamdiu expetitum officium ea animi alacritate, ea gaudii magnitudine gestiens capesso atque obeo, ut vigiliarum omnium quas in lucubranda edendaque hac Dissertatione insumsi, me uberrimam jam recepisse mercedem reputem: quod nimirum quasi ex insperato destinetur huic tanto & honorificentissimo muneri.

Prodeat itaque Tuo insignitus No-

Nomine, Tuisque sub faustissimis auspiciis Liber hic, & quaquaversus longe lateque divagetur, magnaque confidentia se se inserat in manus etiam summorum cujusque ordinis Virorum, qui Te jam Tuasque præclaras laudes, quas quidem modestia Tua me silentio præterire vult, aliunde satis noverunt: illi autem, quum Te multis aliis de caussis merito suspiciant & diligant, hoc etiam non minimum accedere noverint meritis Tuis, quod nos, S. PHILIPPI NERII filios, tamquam filios proprios, affectu vere paterno complectaris, a nobisque vicissim colaris & ameris non secus ac pater amantissimus a piis filiis;

quo-

quorum me, & si minimum, tamen in Te colendo atque amando nemini concedere, aut concessurum umquam pro certo habeas.



BENE-

BENEVOLO ATQUE ERUDITO

LECTORI
S.

PRiusquam Opusculi hujus lectioni totum te tradas, nonnulla sunt de quibus a me probe certiorem te fieri, e re mea ac tua esse judico. Dissertationis quam præ manibus habes, prior pars (quæ quidem ipsa per se justæ Dissertationis molem æquat) inter alias Tom. II. Sulpicii Severi inferendas, quarto ferme abhinc mense imprimebatur. Accidit autem, ut Vir de re litteraria deque litteratis omnibus optime meritus JOANNES FRANCISCUS MUSELLIUS, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus & Archipresbyter (quem honoris & observantiæ caussa nomino) ex me quæreret, ut solet, perfamiliariter, quod-

nam ejus esset argumentum. Paucis ego quæstionis totius seriem perstrinxi, quæ quidem ei visa est, uti a nemine antea pertractata, ita admodum utilis scituque digna. Itaque dum eam ipse avide legere aggreditur, incidit statim in eum locum, quo indicabam propositum mihi esse, *hoc argumentum penitus exhaurire alio tempore atque opere, quo exhibiturus sum quotquot supersunt primi Eusebiani de Temporibus libri germana fragmenta*. His vero perlectis ille recta ad me venit, compellatque perhumaniter atque officiosissime petit, ut quidquid de eo argumento haberem in promtu, nulla intermissa mora, publici juris facerem. Tum ego caussari multa: Sulpicii editionem mihi in præsens unice cordi esse, atque, esse debere; quandoquidem ipse probe sciret eam jampridem & a multis non sine aliqua querela deposci: eam proinde mihi primum spartham esse adornandam: tum de ceteris, si videbitur, & quando: Etenim mul-

ta

ta adhuc desiderari ad Opus illud absolvendum, prout primum mente conceptum & jam delineatum a me fuerat: Præterea rem fore nonnullorum invidiæ & obtrectationi obnoxiam: abhorrere me autem summopere a litterariis contentionibus, ex quibus non raro graves animorum offensiones & jurgia excitari solent: Et, in prima quidem illa Dissertationis parte, ut argumento & veritati inservirem, aliqua fuisse a me dicenda, quæ fortasse quispiam quasi in sui contumeliam dicta possit interpretari: multo tamen plura ejus generis in decursu operis occurrere, quantumvis ea plerumque lenire & extenuare verborum modestia & officiositate, quantum res patiebatur, sategerim. hæc ego & alia hujusmodi. Ille autem meis hisce rationibus a prima sententia minime est revocatus, quin potius enixius instare, & quasi suo jure petere, ut ipsi traderem quidquid ad hoc argumentum spectans meis in schedis supprimerem;

in se se etiam recipiens omne periculum, & quam ego timerem hujus facti invidiam. addebat postremo minime obstare, quod illa ad Sulpicium Severum non spectarent: quandoquidem daturus esset operam, ut seorsum & peculiari volumine ederentur, idque quam primum. Cessi tandem ejus vel precibus vel imperio: quid enim illi denegarem, cujus singulari in me Congregationemque meam amori & beneficentiæ tantum debere me scirem, quantum fortasse nemini? Hoc itaque Opusculum, cuicuimodi est, ejus Viri curæ & sollicitudini te debere scias, Lector: nam quod in me fuit, vix aliud præstiti, quam ut quæ ante aliquot annos autumnali tempore vacationis loco digesseram, ut inservirent Operi quod aliquando perficere meditor, quasi tumultuario opere recenserem & expolirem: quamvis multa superesse adhuc sciam, quæ majori otio & accuratiori examine indigeant, quæque opportuniori

tem-

tempore ad incudem & limam erunt revocanda.

Interim tamen noſtræ Sulpicii Severi editioni operam dare eſt animus, a qua perficienda hactenus me retardarunt partim adverſa valetudo, partim multæ & aſſiduæ occupationes, quæ Inſtituto & Officio meo ſunt adnexæ. Nihilominus illud pro certo habeto, Tomum II. prope abſolutum eſſe: nam tum *Hiſtoria Sacra* omnis uberibus inſtructa Notis jam excuſa eſt, tum Diſſertationes duæ, quarum prima chronologia Sulpicii elucidatur; altera vero, ut dicebam, hujus ipſius quæ nunc ſeparatim prodit, prima ex parte conſtat. Sequentur brevi quatuor aliæ Diſſertationes, & quædam fuſiores in *Hiſtoriam Sacram* Obſervationes, quæ in Notis inſeri commode non potuerunt: ita demum Tomo II. coronidem imponemus, qui, ut ſpero, prodibit in lucem circa Paſchatis proxime venturi feſtum, aut non multo poſt. Sed quo-

niam aliquot exstant Epistolæ sub Sulpicii Severi nomine editæ a doctissimis Baluzio & Dacherio, ex quibus in editione Lipsiensi, anni MDCCIX., alter Operum ejus tomus conflatus fuit; eas nos cum nonnullis aliis ad Sulpicium ejusque scripta & editiones pertinentibus ad tertium Tomum amandamus; cui statim ac prodierit secundus, manus admovebimus. Ceterum etsi admodum moleste feram editionem hanc Severi lento admodum gradu processisse hactenus, ac fortasse processuram imposterum, propter operis difficultatem & alias quas jam attigi caussas; tamen si quid demum in ea occurret, quod dignum videatur publica luce, & eruditorum exspectationi aliqua ex parte respondeat, eo nos aliquando Catonis (*) sapientissimo effato consolabimur: *Sat cito, si sat bene*.

Reliquum est modo, ut te, quicum-

(*) Ex Hieron. epist. ad Pammachium, quæ in ordine est LXVI., num. 9.

cumque es, erudite Lector, iterum obsecrem atque obtester, quod semel in calce Dissertationis jam præstiti, primum ut si quid minus rationi aut historicæ veritati consentaneum a me dictum atque assertum deprehenderis, mihi amice significare velis quamprimum; quo possim, agnita in tempore veritate, mea ipse repudiare atque dediscere errata. offendes, crede mihi, non pertinacem & cedere nescium adversarium, sed blandum docilemque discipulum. Alterum vero, ut quidquid habueris, quod ad Operis quod meditor & de quo in ejusdem Dissertationis extrema parte, ornamentum & illustrationem inservire possit, sive in MSS. codicibus, sive in editis, sed non ubique obviis, Scriptoribus, illud mecum communicare ne graveris. Quod in me est, sancte promitto, beneficia tua in ingratum non collocabis: tum quæ & a quibus acceperim, singillatim suo loco & tempore commemorabo. Hujus

meæ ſponſionis ut arrham aliquam & ſpecimen habeas, quoniam in Euſebii Fragmentis excudendis uſus ſæpe ſum variantibus aliquot Syncelliani Chronici lectionibus ex duobus Regiis Galliarum codicibus a P. Pouget quondam excerptis, quæ in Bibliotheca San-Germanenſi aſſervantur; non omittam hoc opportuno loco palam profiteri me eas acceptas referre admodum Rev. Patri Joanni Raverdy Monacho e Congregatione S. Mauri, qui ante quatuor fere annos eas ex Pougeti autographo quam diligentiſſime deſcriptas mihi perhumaniter dono miſit: uti plenius conſtat ex duabus amœbæis epiſtolis tunc temporis a nobis ſcriptis, quas paullo infra juvabit producere. Porro hunc doctum & liberalem Monachum (cui etiam S. Philaſtrii editio, cura ejus quem nominaſſe tantum perinde eſt ac abunde laudaſſe, nempe Eminentiſſimi Cardinalis QUIRINI, a Cl. Canonico Galeardo adornata, debet perutiles illas

varias

varias lectiones, & sex integra ac numquam antea edita Capita, quæ seorsum & in calce libri leguntur) aut aliquem ex ejusdem Sodalibus spero, atque adeo pro certo habeo, mihi benigne suppeditaturum quæcumque ad Eusebii Chronica spectantia idem Cl. P. Antonius Pouget ex antiquis MSS. excerpsit, & eidem Bibliothecæ San-Germanensi donavit, quantum colligo ex Bibliotheca Bibliothecarum eruditissimi P. Montfauconii. Horum itaque exemplo alii docti Viri & Bibliothecarum Custodes excitati symbolam aliquam conferre satagant, quo utriusque Eusebiani libri de Temporibus sincera & quam absolutissima tandem editio prodeat, quæ in maximum totius Reipublicæ litterariæ commodum cessura est. Hæc habebam, Lector humanissime, quæ te præmonerem: nunc, si lubet, librum ipsum perlege, & vale.

Se-

Sequuntur epistolæ, de quibus paullo ante dictum est.

Admodum Reverendo Patri D. D. Joanni Raverdy Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri Hieronymus de Prato Congregationis Oratorii Veronensis Presbyter S. P. D.

QUas jam diu exoptaveram variantes lectiones in aliquot loca Chronici Syncelliani excerptas ex codice San-Germanensi, quasque mihi egregius & perillustris Vir D. Joannes Franciscus Seguierius Nemausensis ante aliquot menses impetrandi spem aliquam fecerat, eas tandem haud ita pridem ab eodem accepi diligentissime & nitidissime descriptas. Hoc autem gratissimum mihi & jucundissimum munus cum humanitati tuæ me debere noverim, non debeo omittere, quin pro singulari hoc beneficio quam maximas tibi statim gratias agam hac perbrevi epistola: quod tamen

grati

grati animi officium iterum præstare est animus; quum, ubi easdem Variantes in publicam utilitatem evulgavero, opportuna se se dabit occasio commemorandi a quo eas acceptas feram. Quoniam vero Clarissimus vir Claudius de Boze is fuit, qui a Seguierio rogatus, hoc tibi potissimum oneris imponendum judicavit; plurimas ipsi quoque meo nomine a te grates persolvi velim. Deus interim faxit, ut pretiosus iste in totum Syncellum variantium & emendationum thesaurus quamprimum vel a te vel ab aliquo ex doctissimis tuis Sodalibus publici juris fiat: quo Opus illud utilissimum & omnigena eruditione refertum, sed in editione Goari multis in locis lacunis scatens & mendosum, in latina vero interpretatione male omnino habitum; quoad fieri potest, integrum & emendatum aliquando habeamus. Vale admodum Rev. Pater, meque hoc merito tuo perpetuo tibi devinctum & addictum habeto.

Dabam Verona, kalendis Junii, an. MDCCXLVI.

Clar.

Clar. Viro D. D. Hieronymo de Prato, Cong. Oratorii Veron. Presbytero, Fr. Joannes Raverdy Presbyter & Monachus Congregationis S. Mauri S. P. D.

SUmma mihi, Vir Clarissime, voluptas est, quod, quas ad te transmisi, Chronici Syncelliani variantes lectiones gratæ tibi fuerint & jucundæ. Sed non minimo, fatebor enim, pudore afficior, dum tantas mihi pro tam exiguo obsequii erga te mei merito rependis gratias, quas referre potiori jure debeo ipse tibi, qui hanc mihi de te benemerendi ansam præbuisti. Eam namque, cum primum de his variis lectionibus exscribendis mecum verba fecit celeberrimus juxta ac doctissimus D. de Boze, sine mora libenter arripui; natura nimirum ita comparatus, ut nihil me magis delectet, quam si doctos & litteratos viros meis, qualiacumque sunt, officiis adjuverim. Optandum sane est, ut præstantissimi hujus Chronici accura-

tior,

tior, quam jam diu viri docti exspectant, suscipiatur editio: sed cum Nostri variis nunc sint Operibus addicti, non desperamus fore, qui Opus istud aliquando novis prælis Variantium nostrarum auxilio subjiciant. Doctissimo Bozio salutem tuis verbis nuntiavi: ille tibi vicissim meis. Vale Vir clarissime, meque tibi maxime devotum scito.

Parisiis in Monasterio S. Germani a pratis, 28. *Julii* 1746.



EXCER-

EXCERPTA
EX JOSEPHO SCALIGERO
ET
DOMINICO VALLARSIO,

De libris Chronicis Eusebii Cæsariensis.

Ex Scaligeri Animadv. pag. 4., *ubi de* Opere & ejus Titulo *agitur*.

PRiscorum igitur Græcorum ac maxime Africani viri eruditissimi vestigiis hærens Eusebius, opus heroïcum & omni laude majus instituens, ut reliquam eorum dispositionem, ita & partitionem sequutus est. Priorem partem χρονογράφιον vocat Georgius Monachus Tarasii Patriarchæ Syncellus, æqualis temporum Caroli Magni: alibi χρονικὴν συγγραφήν..... item aliquando vocat τὸν πρῶτον λόγον. Ipse Eusebius Proœmio Historiæ Ecclesiasticæ simpliciter ac in genere χρονικά appellat. Epiphanius ἀγκυρωτῷ vocat χρονογραφίας numero plurali. Eusebius lib. X. Præparationis; item Cedrenus, χρονικοὺς κάνονας. Tamen secun-

secundum Bedam titulus videtur fuisse, *Chronica veræ editionis*, χρονικὰ ἀληθοῦς ἐκδόσεως. ita enim scribit in Chronico suo, in XV. anno Tiberii: *juxta vero Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de vera editione, ut sibi videbatur, composuit*. Quemadmodum enim Africanus bis Chronica sua edidit, unde posteriorem editionem vocavit δευτέραν ἔκδοσιν, ita Eusebius videtur, quum suum Chronicum bis edidisset, posteriorem editionem ἀληθῆ ἔκδοσιν vocasse. Hanc autem partem, quemadmodum antea Africanus fecerat, a primo homine ad vicennalia Constantini Magni deduxit: cujus adhuc multæ supersunt reliquiæ, & Marcellinus Comes non sinit dubitare, qui Chronicum Hieronymi continuavit, *Post mirandum*, inquit, *opus, quod a mundi fabrica usque in Constantinum Principem Eusebius Cæsariensis bujus sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pæne provinciarum monumenta commemorans, græco edidit stilo*. Idem quoque, ut diximus, fecerat Africanus, & magnum Thesarum priscæ temporum & historiarum memoriæ in tres libros sui operis priores (quinque autem conscripsit) congesserat. propterea Georgius Syncellus illum thesaurum

χρο-

χρονογραφίου ὅμαδα Ἀφρικανοῦ vocat. Atque hæc de priore libro Chronicorum Eusebii. Alteram partem χρονικὸν vocat Georgius, sed frequentius τὸν κανόνα, ut quum ait, Ἐυσέβιος ἐν προοιμίῳ τοῦ κανόνος. item, ταῦτα προέθετο ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ. Bis quoque τὸ κατὰ πλάτος appellavit, hoc est, expansum opus, quod in hac parte anni omnes κατὰ πλάτος & expansi ponuntur, qui in priori parte καθ' ὅμαδα, καὶ ἀνακεφαλαιωδῶς comprehendebantur. Hoc melius illustratur loco Aniani monachi vetustissimi, qui libros quinque Africani τὰ καθ' ὅμαδα vocat, Chronicum autem Eusebii τὸ κατὰ πλάτος. De Eusebio enim verba faciens ita scribit. ....: Atque hæc quidem de partibus operis, quod bipartum fuit. Totum vero opus quomodo vocatum fuerit, melius quam quomodo vocandum a nobis erit, expedivero. Nam quemadmodum in jure Cognatio & Adoptio nunc generis, nunc speciei partes funguntur, ita universum hoc Opere nunc Κανόνες χρονικοί, nunc χρονογραφίαι, nunc χρονικὰ vocantur. Videndum igitur, an e mente auctoris fuerit, ut plurale nomen universo Operi, singulare alteri ex duabus partibus conveniat. Ego ita sentio, dum aliquis meliora afferat, & propterea universum Opus Chronica vocentur, pars prior

prior Cronologia, posterior Canon, vel, ut hactenus ei nomen hæsit, Chronicon Eusebii. Potest etiam simpliciter dici prior pars, altera pars Chronicorum Eusebii, ut vocat Georgius. Ita etiam Eusebius Proœmio Canonis priorem libellum dixit, & , ut jam supra tetigimus, Georgius πρῶτον λόγον. unde & alter potest dici δεύτερος λόγος. Præterea χρονικῶν κανόνων παντοδαπὴ ἱστορία totum Opus quidem vocatum est, sed proprie prior pars est παντοδαπὴ ἱστορία. Nam verum est quod diximus, generis nomen pro specie usurpatum fuisse.

Sequitur de Dispositu utriusque libri Eusebiani, *&c.*

QUis prioris partis dispositus, quæve œconomia fuerit, tametsi quum ad Græca pervenerimus, tunc locus erit latius eam rem tractandi, heic tamen quædam strictim tangere non erit alienum ab instituto nostro. Quemadmodum igitur Eusebius in divinis Commentariis Προπαρασκευῆς, ut legis Judaicæ & inde Christianæ veritatem assereret, omnes veterum Philosophum, Historicorum, Theologorum Ægyptiorum, Phœnicum & Græcorum bibliothecas reclusit, ut aut eorum vanitatem ex lege Dei argue-

ret, aut vetuſtiſſimos Ægyptios, Chaldæos, Phœnicas & Græcos de Prophetarum Hebræorum fonte potaſſe, & ſitim ingenii ſui inde rigaſſe oſtenderet; ſic aliquot annis antea, ut vetuſtatem doctrinæ Moſaicæ probaret, præſtantiſſimum Chronicorum & omnimodæ temporum hiſtoriæ opus inſtituerat: in cujus rei probationem ſpatioſius excurrenti per omnes litteras orbis, & hiſtorias nationum peregrinandum fuit; Græcorum, Latinorum ſcripta conferenda; Aſianarum, Europæarum, Lybicarum nationum cenſuales evolvendi; & concatenationes temporum, ut Tertullianus loquitur, aperiendæ, *ut hujus ſeculi originem, tempora, annos, regna virtuteſque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pæne provinciarum monumenta*, ut Marcellinus ſcribit, *commemoraret*. Itaque hæc prior pars vere στρωματεὺς quidam hiſtoriam fuit ex multiplici nationum, regnorum, urbium memoria contextus. Nullum fuit paullo vetuſtius regnum, imperium, Dynaſtia, aut regum ſucceſſio, quorum quædam in priſcis monimentis exſtaret mentio, quæ huic opulentiſſimo theſauro congerendo contributa non ſit: ut merito hæc prior pars παντοδαπὴ ἱστορία ab ipſo auctore vocata fuerit: quamquam non inventum eſt Euſebii,

ſebii, ſed Africani, cujus etiam paginas integras in priorem partem ſuam conjecerat Euſebius, ut ſuo loco videbimus. Et quidem ſatis eſt hæc de hac parte perſtrinxiſſe. Ad alteram propero quam & Chronicon & Canonem vocatam proxime indicavimus: &c.

Idem Scalig. pag. 8. Animadv. in Euſebii librum priorem Chronicorum.

QUod Chronicorum Canonum libros duos ſcripſerit Euſebius, quorum prior omnimodæ hiſtoriæ tempora, origines, progreſſus; poſterior annos expanſos contineret, ſatis ſuperque nobis dictum eſt in iis, quæ ſupra diſputavimus. Quod autem non ſolum Canonem, ſed & hunc priorem librum Hieronymus in latinum ſermonem converterit, tum ipſe, tum Marcellinus Comes auctor eſt. Ipſe quidem Commentario in Danielem, capite nono ita ſcribit: *Quidquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus:* Sanguis ejus ſuper nos & filios noſtros. *Et hoc:* Non habemus regem niſi Cæſarem: *quem locum in Chronica ejuſdem Euſebii, quam ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, di-*

ligens lector plenius edissertum poterit invenire. Hujus autem loci quem tangit Hieronymus, græcum Fragmentum exstat; in quo inter alia hoc, quod huc pertinet: Ταῦτα δὲ πάντα πεπόνθασιν οἱ ἐχθροὶ τῆς ζωῆς αὐτῶν Ἰουδαῖοι κυριευθέντες ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, ὡς ἀπωσάμενοι Χριστὸν τὸν βασιλέα τοῦ παντὸς, καὶ τὴν Ῥωμαίων βασιλείαν δυσσεβῶς ἐπισπασάμενοι κράζοντες, ΟΥΚ ΕΧΟΜΕΝ ΒΑΣΙΛΕΑ ΕΙ ΜΗ ΚΑΙΣΑΡΑ. καὶ ΤΟ ΑΙΜΑ ΑΥΤΟΥ ΕΦ' ΗΜΑΣ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΑ ΤΕΚΝΑ ΗΜΩΝ. Marcellinus autem: *Post mirandum Opus quod a mundi fabrica usque ad Constantinum Principem, Eusebius Cæsariensis hujus sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pæne provinciarum monumenta commemorans græco edidit stilo, nosterque Hieronymus transtulit in latinum, & usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio*. Non solum hanc priorem partem ab Hieronymo latine conversam hinc scimus, sed etiam quod ejus argumentum fuerit, & quæ in ea tractabantur, strictim nos docet. Ut autem hunc priorem librum a Canone distinguat idem Marcellinus, in fine Chronici sui Canonem Eusebii vocat librum temporum. Eusebium imitatus Prosper Tiro Aquitanus, Episcopus Regii Lepidi, vel ut alii volunt, Rejensium in secun-

da

da provincia Narbonensi, vir sui saeculi eruditissimus a primi hominis creatiotione ad sua tempora historiam deduxit, omnia quae ex omnimoda historia Eusebii necessaria ad suum opus instruendum colligens, per omnia se se Eusebii imitatorem professus est.

Idem ibid. pag. 12. *col.* 1. *in ea verba Prologi ex Hieron. versione*: Et ob id in priori libello.

ET *ob id in priori libello*) σύνταξει, opere. Nam ingens volumen majus nomen meruit, quam libelli. Sed hic est mos Hieronymi, ut etiam ingentes libros ὑπομνηματικοὺς libellos vocet, & suos prolixos in Esaiam, Jeremiam, Ezechielem Commentarios Commentariolorum nomine afficiat. Sed tempore Hieronymi Scriptores opera sua, quamvis non exigua, vocabant libellos, ut Vegetius quatuor volumina sua de re militari, vocat libellum in fine Praefationis: *& in hoc parvo libello, quidquid de maximis rebus semperque necessariis, requirendum credis, invenias*. parvum libellum dicit opus in quatuor commodos libros tributum: quomodo Ovidius tres libros artis suae non aliter, quam libelli nomine afficit:

Sera redundavit veteris vindicta libelli.
Atqui tres sunt commodi libri..

Idem initio Notarum in Græca Παντοδαπῆς ἱστορίας Eusebii, quæ supersunt, *pag.* 401.

IN iis quæ superius in Prolegomenis Notarum in latina Eusebii disputavimus, non solum quod institutum Eusebii, sed etiam quæ Chronicorum ipsius partitio, quisque dispositus fuerit, a nobis accurate demonstratum est. Omne Opus in duos libros tributum fuerat. prior in collecta tempora, posterior in annos expansos digestus. Per collecta tempora, & ut Græci loquuntur, ὁμάδας χρόνων, intelligendum omnia omnium nationum gesta in unum temporis intervallum conjecta. anni expansi quid sint, appellatio ipsa perspicua non patitur dubitare. Rursus universi Operis παντοδαπῆς ἱστορίας, priorem librum χρονολογίας, posteriorem Κανόνος titulo proscriptum ab auctore fuisse eadem Opera indicavimus: itaque non sunt ea iteranda: &c.

Idem in Prolegomenis *generalibus*, *post medium*.

......in hoc Opere Chronico, quod mancum ad nos pervenisse dolendum est. nam prior liber integer desideratur, qui censuales, ut cum Tertulliano loquar, omnium vetustissimarum nationum & regno-

gnorum continebat. posterior, quem κανόνα auctor inscripsit, integer quidem superest, sed est tantum quasi index quidam & summarium superioris. Utrumque autem latine Hieronymus convertit. de posteriore nemo dubitat. de priore ipsum testem damus Commentarii in Danielis cap. IX. Verba ejus hæc sunt. *Quidquid enim (&c. quæ vide paullo supra).* Horum quæ habebat in animo Hieronymus, Fragmentum græcum extat adhuc, atque adeo prima verba Hieronymi imitata sunt ex illis Eusebianis Ἀποδείξ. 250. ἀρθείσης γοῦν ἐξ ἐκείνου καὶ δυνάμει, καὶ ἀληθείᾳ καταλυθείσης καὶ σπονδῆς, αἱ μετὰ ταῦτα νομιζόμεναι αὐτόθι ἐπιτελεῖσθαι, ἄσπονδοι καὶ ἀνίεροι ἐν βεβήλῳ τόπῳ, καὶ ὑπὸ βεβέλων καὶ ἀνιερῶν ἐπιτελοῦντο. quæ verba procul dubio Eusebius in libro priore Chronicorum repetivit: cujusmodi multa iterata sunt ἐν τοῖς Ἀποδείξεως, quæ ἐν τοῖς Προπαρασκευῆς, & in Chronicis habentur: qui mos est solennis illi: &c.

Idem ibidem, paullo infra.

QUis Operis dispositus, & quod auctoris consilium fuerit, tametsi & ibi quoque (*scilicet*, in ipso vestibulo Notarum) a nobis abunde demonstratum sit, tamen non alienum huic loco existimamus strictim exponere. Hujus excel-

 lentis

lentis Operis partes duas auctor fecit; priorem κανόνας παντοδαπῆς ἱστορίας, posteriorem κανόνα χρονικὸν inscripsit. In priorem omnium gentium, regnorum, civitatum cunabula, origines, antiquitates contulerat: quod ut plane assequeretur, illi per omnes historias & litteras orbis vagandum fuit, reseranda antiquitatis adyta, omnium originum monumenta evolvenda, aut eorum qui illa evolverant, thesauri exauriendi. Nam & omnia quæ Africanus quoque collegerat libris quinque, in illam priorem partem transtulit, tanta securitate, & ut Græci loquuntur, adeo γυμνῇ κεφαλῇ, ut ore Africani loquatur, verba ipsa Africani observet, nihil denique boni ibi reposuerit, quod lege Atinia ei Africanus condicere non possit. Sed Hieronymus credidit, & diu mihi persuasit, Eusebium illius partis epitomen conscripsisse. Neque minus illius auctoritas mihi imposuit, quam illi locus Eusebii ex Prologo Historiæ Ecclesiasticæ præpostere acceptus. ἤδη μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον, ἐν οἷς διετυπωσάμην χρονικοῖς κανόσιν, ἐπιτομὴν κατεστησάμην· πληρεστάτην δ' οὖν ὅμως ἐπὶ τοῦ παρόντος ὡρμήθην τὴν ἀφήγησιν ποιήσασθαι. Rufinus: *Quamvis jam de ipsis nonnulla etiam in Chronicis (id est in eo Opere, quod de temporum ratio-*

ne

ne conscripsimus) breviter succincteque perstrinxerim: plenius tamen in praesenti Opere singulorum narrationem aperire tentabimus. Recte Rufinus, nisi quod ἐπὶ τοῦ παρόντος vertendum erat, *impraesentiarum*, vel *nunc*, quem errorem sequitur Christophorsonus. Et quidem nulla mentio ibidem epitomes illius, de qua sibi & mihi Hieronymus persuaserat. Puduisset sane nos erroris nostri, nisi duce tanto erravissemus, qui locum Eusebii non consulueramus. Eodem etiam modo in hoc loco Eusebii lapsus est, ut in illo in quo agitur de Apollonio, quem ex male intellecta Eusebii sententia Apologeticum scripsisse putavit. Eam priorem partem ab Hieronymo conversam fuisse superius indicavimus, cujus interpretationis nihil nobis reliquum fecit putidum antiquariorum fastidium, praeter nuda regna, & aliquot consulum nomina: idque nulla alia de caussa ab iis factum, quam quod major pars in Canonem conjecta esset ab ipso Hieronymo, ut illa iterari superfluum esse putarint. Saltem nobis praeclaras illas Dynastiarum, regum, regnorumque Origines reliquissent. non male nobiscum ageretur, neque ita male de posteritate meriti essent, quum, abjecta hujus Operis nobiliori parte, solo Canone contenti fuerint, &c.

Vallar-

Vallarsius in Præfatione Tom. VIII. S. Hieronymi, pag. VII. & seqq.

SEd est altera disputatio sane difficilior, eaque momenti longe gravissimi de Eusebiani ejusdem syntagmatis integritate, seu Libris, quos volunt duos fuisse, quorum iste qui superest, ex alterius multo copiosioris, qui intercidit, laciniis excreverit: ita tamen ut quæ in hoc leguntur, id quod periit magis deflere, quam quod superest frui, nobis præbeant. Prodiit hæc quoque opinatio (quamquam ea de re pridem alii subdubitarint) ex Scaligeri officina: qui & universi Operis titulum Παντοδαπῆς ἱστορίας, prioris Libri Χρονολογίας, posterioris Κανόνος fuisse, pene sacramento contendit. Adeo nec veritus est, editionem suam audacissimo exemplo in duos Libros tribuere, conquisitis undecumque Fragmentis, quæ pro Eusebianis venderet: in Latino autem nonnullis de suo adsutis, plerisque aliis omnibus repetitis ex posteriore, ut vocat, Libro, sub alia quidem contextus serie, sed iisdem plane verbis, ut priorem ex integro consarcinaret. Rationum momentis omnibus, quæ in eam rem, suumque facinus excusandum, ex Auctoris ipsiusmet atque

que

que Interpretis teſtimoniis cudit, ſatis ibi ſuis locis fecimus, oſtendimuſque luce meridiana clarius, illud quod Scriptor uterque *Libri Exordium* vocat, & quo tempora ab Adamo ad Abraamum breviſſimis verbis perſtringuntur, non alium eſſe ab hoc ipſo Librum, ſed ejus, ut ita dicam, Proludium, Prooemium, aut quid ſimile; ut cum ſibi propoſuiſſet Euſebius ab Abraami ortu Chronicon ſuum auſpicari, quæ præceſſerant tempora a Mundi conditu, atque adeo quibus ipſa Abraami Epocha conſignatur, penitus ne prætermitteret. Quod cum paucis ſane verſibus abſolviſſet, quam ibat comparatum invicem Regum diverſorum ſeriem nominibus tenus ſubtexuit, *quaſi quamdam materiam futuro operi*, ut Sanctus Interpres vertit, ſive ut ipſe ait, *ὕλας ἐκπορίζων ἐμαυτῷ χρόνων*. Argumentum nempe futuræ ejus lucubrationis, quod item pagellis admodum paucis expoſuit. Feciſſet multis: ne ita quidem patiebatur ſcriptionis indoles & natura, ut pro alio Libro haberetur, quemadmodum neque frons ampla ædium atque proſpectus aliud eſt ab ſtructura univerſa ædificium. Porro nec eam eſſe diximus vocum, *libello*, & *opuſculo*, quibus Hieronymus, utitur, ſignificationem, ut *ingens volumen*, nec minoris

ris ſane molis, quam Chronicus Canon ipſe, quod Scaliger contendit, notent. Imo vero & perbreve dictatum ὑποχορισικῶς ſonant; cujuſmodi Epiſtolæ ſunt, quæ illo interdum vocabulo nominantur; & debent Græco ſenſui, ipſiuſque Auctoris menti reſpondere, qui non ἐν βίβλῳ, aut βιβλίῳ dixit, ſed *ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει*, *in prævia operis ordinatione*: ut & perexiguæ molis opellam, & unius ejuſdemque ſui Libri particulam eam eſſe, ipſe de induſtria indicaret.

Jam vero cùm Scaliger ad aliorum teſtimonia Scriptorum provocet, ad eaque nos cauſſam dicere compellat, in quibus maxime triumphat, ea quoque diluenda ſunt. Profert ipſum ſtatim Hieronymum, qui non noverit modo, ſed & in Latinum ſermonem convertiſſe eum Librum ſe dicat. Scribit enim in Commentario in Danielem cap. IX. *Quidquid in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus Diaboli, cunctis in commune clamantibus*. Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros. *Et hoc*: Non habemus Regem niſi Cæſarem, *quem locum in Chronico ejuſdem Euſebii, quod ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector plenius ediſſertum poterit invenire*. Equidem in iſto, quem habemus nunc

Libro,

Libro, nihil de conviciis illis & maledictis Judæorum in Christum dicitur: edisserebantur igitur in priore alio, qui jamdiu olim intercidit, & quo historiam continenti orationis filo Eusebius complexus est? Nihil minus: quippe ad temporum doctrinam nihil ea pertinere, neque adeo locum in Eusebiano syntagmate habere potuisse, nemo non videt. Itaque alius verborum Hieronymi sensus est, quem minime perspectum habuit Scaliger, aut præconcepta opinione abreptus invertit. Est autem iste, qui ex toto manifestissime contextu elucet: Eusebium *a sexto anno Darii..... quando Templi opera consummata sunt, usque ad Herodem & Cæsarem Augustum numerare hebdomadas septem & sexaginta duas, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres: quando Christus, hoc est, Hircanus novissimus Pontifex de genere Maccabæorum, ab Herode jugulatus est, & cessavit juxta legem Dei Pontificum successio*. Inde inferre, *quod Herode regnante apud Judæam, & Augusto apud Romanos, Christus natus sit, qui tribus annis & sex mensibus...... Evangelium prædicavit, & confirmavit veri Dei cultum multis, haud dubium quin Apostolis & credentibus: quando post passionem Domini in dimidia rursum hebdomada de-*

fecit

fecit hostia & sacrificium; quidquid enim in Templo postea factum est, &c. Atque hunc porro *locum*, seriem nempe rerum, per quam manifesto constet, *Quidquid in Templo postea factum est, non fuisse sacrificium Dei, sed cultum Diaboli, in Chronico*, quod ipse in Latinum verterat, *plenius edissertum inveniri*. Invenitur hoc enimvero palamque est temporum comparatione demonstratum per annos singulos ab numero Abraamitico, quo Templum consummatum est MDI. ad Christi usque mortem & prædicationem per consequentes historias, quibuscum illæ etiam hebdomadarum Danielis notæ componi possunt. Nihil igitur aliud *loci plenius edisserti* nomine intellexit, quam quod erat per temporum characteres pluribus ostensum, quo tempore Judæorum religio, & in Templo veri Dei sacrificium & cultus desiit. Græcum Eusebii locum, quem laudat Scaliger abs Hieronymo interpretatum, nihil moror, quippe quem prorsus incongruum: neque enim aut verbis, aut serie orationis ipsa, & laudatis ex Scriptura testimoniis consonat, sed sententiæ vix tandem ipsi quoquo modo respondet.

Alterum quod urget Scaliger testimonium, hoc est Marcellini Comitis: *Post mirandum opus, quod a Mundi fabrica usque*

usque in Constantinum Principum Eusebius Cæsariensis hujus seculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pene provinciarum monumenta commemorans, Græco edidit stilo, nosterque Hieronymus transtulit in Latinum, & usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio. Ex quo infert, non solum fuisse priorem eum Librum ab Eusebio compositum, & abs Hieronymo Latine conversum: sed etiam quod ejus argumentum fuerit, & quæ in eo tractabantur, strictim nos doceri. Miseret me ejus levissimæ argumentationis. Non alia de caussa repetit Marcellinus Comes *a Mundi fabrica* initium Eusebianæ Chronologiæ, quam quod ita ferat *Exordium Libri*, ut Prologus ille inscribitur, quo per unius alteriusve pagellæ spatium generationes ab Adamo ad Abraami ortum digestæ sunt, ipsis fere Scripturæ divinæ verbis, & *ad prævia*, ut diceb mus, *temporum ordinationis* & Procemii instar, ne illa ἀκέφαλος, quam perscripturus erat, historia videretur. Laudat vero ipse etiam Marcellinus singulare opus, & singulari comprehensum Libro indicat complexione illa verborum, *a fabrica Mundi usque in Constantinum Principem*: & rursus de Hieronymia-

onymiana translatione atque additamento *usque in Valentem Cæsarem*; nam si iisdem atque Auctor, S. Interpres vestigiis hæsit, certum est quam quod maxime, hunc non duplicem, neque aliam quam quæ superest, Eusebiano syntagmati continuationem de suo adjecisse. Ego nullus dubito, Marcellinum, cum ea scriberet, exemplar nostris non absimile, germanum adeo atque integrum, ob oculos habuisse: in quo unum videtur non satis attendisse caute, quod proprie ab illo *Exordio Libri*, non pagellis inde loci paucis, incipere Chronicon opus existimavit. Præterea, quod postremo loco habet Scaliger, argumentum a Prosperi Aquitani exemplo, qui per omnia se se Eusebii imitatorem professus, atque ex ejus Omnimoda historia necessaria ad suum opus instruendum colligens, a primi Hominis creatione orsus, consecuta tempora ad captam usque a Genserico Romam, Chronico illo integro, ut vocant, sive Labbeano digessit. Facit enim hoc maxime exemplum contra Scaligerum: nam quæ Prosper eo spatio ab Adamo ad Abraamum complectitur, tam brevia sunt & versuum paucissimorum, ut ne quadranti quidem enarrationis Eusebianæ respondeant; quæ si

tanto

tanto uberius fuerant ab Eusebio olim pertractata, quid caussæ est, cur prior hujus historiæ contextus præ reliqui etiam Chronici compilatione Prosperiana sit brevior?

Omnino igitur commentitius prior ille Eusebianus liber est: nec plusquam hodie habemus Chronicorum Canonum (nisi si quid alicubi, quod Veterum libris omnibus usuvenit, aut librariorum oscitantia, aut Criticorum demserit perversa cura) concinnatum est ab Cæsareensi Episcopo: nihil ultra notum olim Hieronymo, ab eoque Latinis auribus donatum est. Ajo, futurum fuisse etiam laborem illum præter rem, imo & deridiculum, si quod centies professus est Auctor, ab Abraamo opus suum auspicari, primordia quoque rerum & vetustiores origines ad eandem temporis amussim nec semel exegisset: id quod tam demonstrat minime factum, ut neque fieri potuisse a Scriptore haud inepto, quin potius consideratissimo evincat. Tum illud quam præposterum atque inutile, bis eadem, diverso dumtaxat ordine, aut stilo persequi? Illud vero supra omnem, quantum est hominum eruditorum fidem, si duobus ejusmodi Libris opus omne conflabat, ita quæ priore continebantur, tamquam ex condi-

cto, & ad Mithridatis litteras, excidisse pariter apud Eusebium & Hieronymum, ut ne fragmentum quidem, atque illud ex Latina saltem interpretatione, ad faciendum jacturæ indicium, apud unum aliquem Scriptorem superet. Enimvero siquis velit Auctores veteres, qui ex isto Chronico opere delibarunt, conferre, sentiet haud dubie, nostros codices non magis esse mutilatos, quam illos quibus ipsi veteres jamdiu olim usi sunt. Tota præterea facies operis, Præfatio S. Interpretis, atque illa Auctoris ipsiusmet, quam suis sedibus per vim avulsam alio transferre ausus est Scaliger: tot deinde Collectiones temporum ad illustriores Epochas, genuinæ (nam una est inter eas atque altera, quas scioli interpolatoris manus intrusit) tot denique formulæ connectendi posteriora prioribus, uno verbo quidquid hoc est operis clamat, singulare fuisse Librum, prout nunc est, ab Eusebio conscriptum, nihilque esse, quod Scaliger deploret excisum. Porro autem hanc viro eruditissimo hallucinationem creavit illa, quam paullo ante explodimus, præconcepta opinio de affectata ab Auctore nostro Africani methodo: qui Chronographiæ suæ καθ' ὁμάδας χρόνων expositæ, Canonem dicitur subtexuisse κατὰ πλά-

τος,

νος, ſive in annos expanſos digeſtum. Tum vero fucum quoque fecit illa, quibus Euſebianum opus inſcribitur, nominum varietas: nam & παντοδαπὴν ἱστορίαν, & χρονικὰ συγγράμματα, & χρονικοὺς κανόνας alibi Euſebius ipſe vocat: Syncellus autem ſæpe χρονικόν, & τὸν κανόνα, bis etiam τὸ κατὰ πλάτος appellat: denique & κανόνας χρονικοὺς, & ἐπιτομὴν χρόνων alii. Sed & apud Hieronymum, ut Latinos alios interim taceam, nunc *Digeſtio temporum*, & *Liber*: nunc *Canones temporum*, & *Chronicorum Canonum omnimoda hiſtoria*: nunc *Chronica*, & *Chronicon* audiit. Viſa ſunt confidenti nimium ingenio ſuo homini, res diverſas diverſa vocabula connotare; ſed illud præcipue Syncelli τὸ κατὰ πλάτος erroris cauſſa fuit, ut congruentem ei Librum alterum τὸν καθ' ὁμάδας comminiſceretur: cum unum tamen ille per annos expanſos nominet, alterum ſi extitiſſet aliquando, quod relationem ad eum haberet, minime prætermiſſurus. Impoſuit igitur nominum illa varietas Scaligero: ipſe reliquis poſt ſe omnibus fecit auctoritate ſua offucias. Et mirum ita eum potuiſſe commentum hoc ſuum doctis probare; ita omnium pervadere mentes hominum, ut nemo fuerit, aut nunc ſit, qui non iiſdem atque ille ver-

bis pronuntiet ac doleat, priorem Chronici ejus thesauri partem & Librum tam in Græco, quam ex Hieronymiana interpretatione putido antiquariorum fastidio deperiisse. Laudabo par βιβλιογράφων omnium recentissimum, & magni nominis. Cl. Fabricius Bibliothecæ Græcæ Lib. V. cap. 4. de Eusebiano hoc nimirum opere: *In Libros*, inquit, *duos divisum fuit ab Auctore; quorum priorem inscripsit* χρονογραφίαν, *posteriorem* χρονικὸν κανόνα. *Atque hanc Epitomen vocat Hieronymus &c.* Schurzfleischius autem in Notitia Bibliothecæ Princip. Vinariensis: *Constat*, inquit, *illud quod nemo nescit, duabus, ut quidem hodie eruditi volunt, partibus, quarum prior* χρονικοὶ κανόνες παντοδαπῆς ἱστορίας *inscripta*, καθ' ὁμάδα: *posterior* κανὼν χρονικὸς, *puta* κατὰ πλάτος, *ut loquuntur*, ἐστοιχείωται. *Qua de re, si post Scaligerum, plura dicerem, operam omnino & oleum perderem.* Saltem successerit e sententia nobis, qui contra Scaligerum diximus: & quod certum hactenus visum est viris doctissimis, esse falsissimum, invictis, ut nobis quidem videtur, argumentis ostendimus.

Atquæ hæc de Eusebio ejusque opere isto Chronico dicta sufficiant, ut sua ei ratio atque integritas constent: &c.

Idem

Idem Vallarsius ibid. pag. XI. & seqq.

UNus autem locus est, quem & sibi testatur Scaliger olim imposuisse, & alios in alia omnia egit, quem intactum prætermittere haud licet. Cum passim alibi S. Pater Chronicum, aut Canones Chronicos ἁπλῶς dicat fuisse ab Eusebio elucubratos, in eo, quem post versionem hanc suam scripsit, Libro de Viris Illustribus, capite LXXXI. quo hujusmet Auctoris opera singillatim recenset, eum refert, *Chronicorum Canonum omnimodam historiam & eorum* Ἐπιτομὴν conscripsisse. Notatum nobis ad eum locum, eam videri, si unquam exstitit, & cuicuimodi fuerit, Epitomen non tulisse ætatem. Sed non succurrebat tunc temporis menti, quam vexatus locus ille Criticorum disceptationibus fuerit. Scaliger ergo, ut dicebamus, cum sibi iis verbis persuaderi passus esset aliquando, Librum Chronicorum posteriorem fuisse ab Eusebio in Epitomen redactum, hoc de errore in Præfatione multis se verbis doctis excusavit. Imposuisse autem contendit Hieronymo Eusebii locum cap. I. seu Prologo Historiæ Ecclesiasticæ præpostere acceptum, ἤδη μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον, ἐν οἷς διετυπωσάμην

χρονικοῖς κανόσιν, ἐπιτομὴν κατεστησάμην· πληρεστάτην δ' οὖν ὅμως αὐτῶν ἐπὶ τοῦ παρόντος ὡρμήθην τὴν ἀφήγησιν ποιήσασθαι. Ideft, *Ac antea quidem in iis, quos confcripfi Chronicos Canones, earum rerum quafi compendium quodam confeci: quas nunc uberiori narratione explicare aggredior*. Rufinus quoque verterat, *Quamvis jam de his ipfis nonnulla etiam in Chronicis..... breviter fuccincteque perftrinxerim*. Nulla fane heic mentio Epitomes, eo faltem, quo Hieronymus fenfu accepit: ut fi adeo Scaligero credimus, nec exftarit unquam ejufmodi fcriptio, quam fibi Nofter, hallucinationem nominis ambiguitate paffus, confinxit. Fabricius autem Bibliothecæ Græcæ loco dudum laudato, hunc ipfum contendit Chronicum Canonem, quem porro edimus, *Epitomen* vocari abs Hieronymo, pofteriorem fcilicet παντοδαπῆς ἱστορίας Librum, quo gefta ad fuos quæque annos una ferie ab Abraami vocatione referuntur: cum priore, ut fomniare eos certo diximus, omnia ab Orbe condito, per varia capita, juxta regnorum origines & fucceffiones digererentur. Sed pace dixerim viri doctiffimi, nihil poterat ineptum magis atque abfonum vero comminifci, non eam dumtaxat ob cauffam, quod prior ille Eufebii plane commentitius fit Liber,

Liber, verum etiam quod ipſe in eadem præjudicia ſua peccet. Nam ſi Chronicorum Canonum Epitomen Euſebius concinnavit, jam non hæc potuit ille idem Liber eſſe, qui, ipſomet judice Fabricio, *Chronicus Canon* proprio titulo nuncupatur. Tum vero quæ tandem illa exſtitit confictì Libri prioris immenſitas, ſi quæ nunc toto & juſto Euſebiano ſyntagmate continetur, *Epitome* dicenda eſt? Peccat Schurzfleiſchius quoque eandem quidem ob cauſſam, ſed propius tamen ad veri ſpeciem contendit, contra atque Fabricius, priorem potius Librum, quo, teſte Hieronymo in Præfatione, Euſebius *quaſi quandam materiam futuro Operi prænotarat*, fuiſſe olim dictum ἐπιτομὴν χρονικῶν κανόνων: id quod Suidæ teſtimonio comprobare nititur, qui non duarum Chronici partium meminit, ſed refert, Euſebium χρονικῶν κανόνων παντοδαπὴν ἱστορίαν, καὶ τούτων ἐπιτομὴν edidiſſe. Sed enim quam ſit pauci hoc ſaltem loco facienda Suidæ auctoritas, haud ſatis ipſe intellexit, quippe qui non animadvertit, eadem illa ab Hieronymiani Catalogi interprete Sophronio verba deſcribi: quæ adeo nec majoris auctoritatis eſſe debent, quam ipſa ſit apud eruditos Græca translatio, non ſane admodum anti-

qua, nec de meliore nota, ut nobis olim in ejus editionis Præfatione obſervatum eſt. Ad hæc ille & ſecumipſis pugnantia loquitur; nam ſi erat prior ille Liber *Epitome* Chronicorum Canonum (qui ſcilicet late, perque annos expanſos altero Libro deſcribebantur) jam non ille grandis Liber erat omnimodam hiſtoriam complectens, atque univerſæ eruditionis theſaurus: ſed, ut eſt Epitomarum ingenium atque inſtitutum, perexiguæ molis atque operæ libellus, ea etiam de cauſſa aliis ejuſmodi breviariis exilior, quod anni expanſi penitus reticeantur, hiſtoriarum vero ſumma capita delibentur. Translucet nihiloſeciusex ea minime ſibi conſtante ſententia, veri ſpecies quædam, ut facile videatur ille potuiſſe rem acu tangere, niſi præconcepta opinio de duplici Euſebiano libro menti tenebras offudiſſet. Enimvero ſic exiſtimo (ſiquidem re ipſa concinnata eſt illa *Epitome*, nec ſuſpicari licet, interpolatum Hieronymi locum) non aliam eam eſſe, quam quæ in *prævia* Chronici *Ordinatione* continetur, & Hieronymo dicitur *quædam futuri Operis materia*: denique hoc ibi titulo prænotatur, *Regum ſeries, & quanto quiſque tempore regnaverit*. Satis eſt, ut quod ſentio veriſſimum probes, ſi eam nomi-

nominum seriem contextumque a Nino, ad Constantinum oculis usurpes, & rem tuo ipsius judicio, non aliena fide æstimes. Neminem profecto arbitror morari eam, quæ a Cangio Græce ac Latine edita est, Ἐπιτομὴν χρόνων ab Adamo ad Alexium usque Comnenum, tametsi titulo præferat, ταῦτα ἱστορεῖ ὁ Καισαρεύς Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν τῷ λόγῳ ὃς ἐκλήθη, βασιλικός. Quinimo est fraus istæc indicio, veram fuisse olim ab Eusebio Ἐπιτομὴν χρόνων, seu verius, ut Hieronymus ait, *Chronicorum Canonum*, concinnatam. Non igitur cum hoc sentiret, falsus est Scaliger: sed utique cum se id sentiendo, errasse existimavit, strenue falsus est: & culpam sibi deprecatus, in Hieronymum transferens, ostendit, se neque antea, neque post sensum ejus assecutum, & novo non tam se errore, quam S. Doctorem injuria cumulavit.

Idem col. 13. & seq. Nota C, in ea verba: Et ob id in priori libello.

MIrum quod & Scaliger magis probat *libello*, quum plerique alii codd. præferant *libro*. Sed hunc esse ait Hieronymi morem, ut etiam ingentes libros ὑποκοριστικῶς *libellos* vocet: quemadmodum alibi

Commentariolos, satis prolixos in Isaiam, Ezechielem, aliosque Prophetas Commentarios. Atque hæc quidem falsa animadversio est, quos enim *libellos* vocat S. Doctor, oppido exiguæ scriptiones sunt, cujusmodi nonnullas Epistolarum vice exaravit. Sed eo tendit Scaliger, ut in duos tributum fuisse commodos libros Eusebii opus persuadeat; nam & Pontacus ex hoc testimonio constare ait, Eusebium divisisse opus suum in duos libros. Quod quidem non usque adeo improbarim, si modo duas quasi partes Operis acciperent, hancque priorem esse intelligerent, quæ præviæ dissertationis loco est, seriemque historiæ paucis continua oratione edisserit ab Adami ad Abrami ortum, ex qua Epocha Chronicum suum Cæsariensis Episcopus exorditur. Sic enim se res habet, & bene erat, quando hoc sibi negotii dederat, ut ab Abramo succedentia tempora resque gestas ad Constantinum usque dinumeraret, componeretque invicem, prius illud spatium ab exordio mundi, tametsi minus ad propositum suum pertineret, penitus ne intactum relinqueret: sed brevi ejus enarratione, viam Operi suo muniret. Ad hæc quasi quandam materiam indicemque Operis, quindecim regnorum tempora

pora prænotavit, quod tamen una aut altera pagella nominum absolvit. Verum non ita Scaliger sentit, sed duos vult integros libros scripsisse Eusebium: & prioris quidem, qui omnimodam historiam contineret, tempora, origines, caussas, vix aliquot reliquias superesse. Hunc παντοδαπὴν ἱςορίαν, sive *omnimodam historiam*, ab ipso Auctore appellatum autumat, in quo καθ' ὁμάδας temporum universam collationem digesserit, Africani exemplo, cujus & integras paginas in sua transtulerit. Alterum *Chronicon Canonem* vocat, in quo κατὰ πλάτος, sive juxta extensionem, annos regnorum expansos inter se compositos compararit. Hanc vero Operis œconomiam male perdidisse ait, unum aliquem βιβλιοςρέβλην, qui priorem librum maxima ex parte mutilavit, nonnullaque ex eo excerpta alteri adsuit. Quæ in pristinum reparare ipse studuerit, sua cuique libro tribuens, quantum per ingenii vires sui licuit. Hæc autem palmaris Scaligeri hallucinatio est, quæ totum Eusebii Opus susdeque vertit, & ad præconceptam opinionem falsam omnia trahens, Lectorum fidei ita miserum in modum imposuit, ut etiamsi fucus doctioribus suboleret, nemo tamen hactenus exsolvere ejus difficultatis nodum potue-

potuerit. Nos multis hanc hominis cetera doctissimi stultam περιεργείαν confutavimus in Præfatione, ubi singulis ejus argumentis respondimus, evidensque ostendimus, uno tantum libro Opus suum quod integrum superat in Latino, comprehendisse Eusebium, neque aliam quam ad Abrami usque tempora historiam perstrinxisse brevi illa disputatione, quam Chronico ipsi in propylæi vicem præmisit. Sed quando illum in Notis replicat, inculcatque errorem, hocque ipso quod præ manibus habemus testimonio maxime nititur, falli illum & fallere, heic quoque ostendendum fuit. Et vero quem *priorem libellum* heic vocat Hieronymus, & paullo inferius *prius Opusculum*, tantum abest, ut *ingens volumen* juxta Scaligeri sensum notet, ut quamquam scio S. Doctorem exiguæ molis scriptiones solitum iis nominibus designare, fere maluerim diminutiore eum uti vocabulo ad Eusebii reddendam sententiam & mentem. Neque enim in Græco aut βίβλῳ scripsit ille, aut βιβλίῳ, aut denique ποιηματίῳ, sed ut veluti ejus Proœmium libri significaret, ἐν τῇ, inquit, πρὸ ταύτης προτάξει, *in prævia Operis ordinatione*. Est autem πρόταξις verbum a militari disciplina mutuatum, quod aciei locum priorem sonat,

ſonat, unde *πρόταχτος*, *anteſignanus* dicitur, aut qui frontem exercitus tenet. Cum ad libros transfertur, Præfationem, ſeu *Prolegomena* ſignificabit. Tale nimirum eſt iſtud Commentariolum, Hebræorum generationes ad Abraami ortum uſque perſtringens, quod & ipſum integrum ſupereſt, ut ex continenti rerum ſerie manifeſtiſſime liquet, nec tamen pluſquam tribus aut quattuor pagellis conſtat: & quod luſtraſſe oculis ſatis ſit, ut intelligas, Chronici operis præludium eſſe, ea mente præſcriptum ab Euſebio, ut quo ipſe Abraam anno mundi ſit natus, ex hiſtoria proderet, & ne propoſita Temporum univerſorum Deſcriptio quodammodo ἀκέφαλος videretur. Neque adeo alius ſenſus eſt ſubſequentis loci, ubi *Opuſculum* nominatur: nam & par eſt credere, ibi quoque *πρόταξιν* appellari in Græco, & ut daremus Scaligero, *σύνταξιν* dici, quæ vox *compoſitionem* abſolute ſonat, dum tamen ſibimetipſis atque ab invicem Auctor & Interpres conſtant, non aliam, quam quæ in propoſiti Operis gratiam prætexitur perexiguæ molis, ſignificant.

SYNO-

SYNOPSIS
TOTIUS DISSERTATIONIS,
Et eorum quæ ſequuntur.

PROOEMIUM.

I. DISSERTATIONIS PARS,

§. XVII.

II. DISSERTATIONIS PARS,

III. DISSERTATIONIS PARS,

§. II.

APPEN-

DISSER-



DISSERTATIONIS

ARGUMENTUM.

Duos De Temporibus *libros ab Eusebio editos fuisse: Hieronymum autem ex illis alterum tantum fuisse interpretatum: quod dicitur* Exordium libri, *nec Hieronymum habuisse interpretem, nec Eusebium auctorem. Scaligeri, Vallarsiique sententia refelluntur: tum alia obiter pertractantur quaestiones cum primario argumento aliqua ratione connexa.*

PROOEMIUM

In quo occasio scribendae Dissertationis, & Quaestionis totius ratio proponitur.



Uoniam ex libris antiquorum *qui de Temporibus scripserunt*, quosque, suppresso tamen auctorum nomine, Severus in contexendo Historiae Sacrae Breviario post Sacrae Scripturae codices se in subsidium adhibuisse non se-

mel profitetur, nullius aut frequentior aut expressior apud eumdem mentio incidit, quam Chronici Eusebio-Hieronymiani, utpote quod, ut viri docti jam pridem observarunt (*), toties ille significatum voluerit, quoties *Chronica* nominat: idcirco, quum primum hoc elegantissimum Opus meis curis illustrare & expolire cœpi, opportunum immo necessarium duxi illud potissimum Chronicum consulere ac præ manibus assidue habere, quin etiam diligenter inquirere, quæ prima ejus indoles & forma fuerit, quæ deinde tractu temporis fata subierit, & num integrum sincerumque, quale nuperrime cusum Severi manibus teri debuit, an vero librariorum culpa aut negligentia mancum interpolatumve ad nos pervenerit. Comperiebam itaque quæstionem hanc magnæ obstrusæque indaginis esse, ob varias gravesque quibus obvolvitur diffi-

(*) Vide quæ Tom. II. Sulpicii Severi pag. 61. ex Ponłaco, Drusio & Vorstio adnotata habentur.

difficultates, & sententiarum ab eruditis facta divortia. Siquidem, ne rem altius repetam, Josephus Scaliger, magnus ille Criticorum Coryphæus, ita primum putavit & tradidit: Eusebium Pamphili duos de temporibus scripsisse libros, quorum tamen græcus textus jam diu perierit: Hieronymum autem utrumque in latinam transfudisse linguam; sed eum qui primus majorisque molis & pretii erat, ex potissima sui parte truncum, fœdumque in modum dilaniatum ad nostram pervenisse ætatem. itaque eumdem ex græcis latinisque undecumque collectis assutisque pannis resarcire sedulo conatus est, ut in eo volumine cernitur, cui *Thesaurus temporum* (*) titulum fecit. Scaligeri sententiam plerique omnes docti viri summis plausibus

(*) *Thesaurus temporum* editus primum fuit an. 1606. Lug. Bat., sed diu post Scaligeri mortem multo auctior ibidem recusus fuit an. 1658.: qua editione nos quoque sumus usi.

exceperunt, & ad hanc fere diem ſunt ſequuti: niſi quod a nonnullis, & merito, in eo reprehenditur, quod nullo fere delectu habito multa pro Euſebianis obtruſerit, quæ ab eo prorſus aliena, aliiſque ſcriptoribus propria ſunt (*). Unus, quod ſciam, Jacobus Goarus ex illuſtri Prædicatorum familia, qui Georgii monachi & ſyncelli Taraſii Patriarchæ C. P. (unde *Syncellus* vulgo dicitur) Chronicum edidit, in Præfatione & Notis contra Scaligerum inſurrexit, in eamque opinionem deſcendit (in quam jampridem propenderat & Arnaldus Pontacus, qui biennio ante Scaligerum Chronicum Hieronymianum ad MSS. codices & impreſſos diligenter collatum & ſuis Notis illuſtratum edidit) ut unum ab Euſebio librum Chronicum conſcriptum, eumdemque a S. Hieronymo latinitate donatum,

(*) Vid. Tillemont. in Euſebii Vita art. V.; Fabricii Biblioth. Græc. Vol. VI., ſeu lib. V. cap. 4. num. 1., & Scriptores ab eo laudatos.

tum, adhuc superstitem integrumque esse, obiter tamen, nec omnino asseveranter diceret (*). Hanc ipsam demum sententiam Dominicus Vallarsius presbyter Veronensis

A 3 (ob

(*) Goarus Præf. in Syncell. *Nec aliud Eusebium græce, quam quod Hieronymus latine reddidit ...... a nato maxime Abraham & Nini imperio, scripsisse temere & inconsulto asserendum*. Idem in suis Notis ad illa verba ἐν τῷ κατὰ πλάτος pag. 16. edit. Par., hæc habet: *Partes Chronici duas fecit Eusebius: priorem Auctor nuper appellabat ἀνακεφαλαίωσιν, secundam nunc τὸ κατὰ πλάτος χρονικὸν vocat. Utriusque partis scopus est idem, regnorum videlicet & hominum quorum præcipua superest in Chronicis memoria, origines ac terminos per certa temporum intervalla & series ordinatas recensere. Id prima pars ἀνακεφαλαιωδῶς breviter & summatim perstringit; posterior κατὰ πλάτος, diffusius & ordinatius explicat. Ita Scaliger præsentem Auctoris locum in Eusebianarum Animadversionum Procemio referens. Partis utriusque ideam in latina Hieronymi versione lector contemplabitur*. Sed legendus omnino Pontaci Apparatus in Notas & Castigationes in Eusebii Chronicum, a Vallarsio Tom. VIII. S. Hieronymi recusas.

(ob novam, post Martianæum monachum Maurinum, Operum S. Hieronymi editionem magno animo susceptam & feliciter absolutam tota fere Europa notus, & sane de sanctissimi illius doctissimique Patris scriptis multis de caussis bene meritus) nuper vel marte suo procudit, vel in Pontaci & Goari scriptis jacentem & quasi intermortuam exsuscitavit, atque acriter contra Scaligerum defendit in Præfatione & Notis Tomi VIII. S. Hieronymi, quo Tomo Chronicum continetur. Hæc ego loca ubi primum inspexi, permovit, fateor, me hominis tum doctrina non vulgaris, tum summa in afferendo constantia, ut prope mihi persuaserit (credo item aliis) ita revera esse ut ipse affirmabat: itaque plaudebam lubens civi atque amico, qui tam insignem in Ecclesiasticæ historiæ quasi facie maculam, quæ omnium eruditorum aciem effugisset, primus ipse lynceis illis oculis pervidisset, certisque, ut pu-
tabam

tabam, eluisset argumentis. Verum enimvero, postea quam attentius pensitare cœpi quæ in utramque partem momenta afferebantur, propositæque quæstionis penitiores recessus introspexi (quamquam, ut semper, mihimet ipse parum fiderem) dubitavi statim, num Vallarsius rem, ut ajunt, acu tetigisset; an potius, dum ceteros quos Scaliger auctoritate nominis sui in errorem forte induxerat, ad rectum tramitem deducere contendit, ipse incautus in oppositam partem nimium deflectens, longius aberraverit. Dubitatio hæc ingenium acuit, subdiditque stimulos ad investigationem veritatis. Quid plura? Argumentis omnibus Scaligeri Vallarsiique probe excussis, sic demum statuo, ac probandum in me recipio: Utrumque falsa veri specie captum, hinc illinc delirasse: media proinde inter utrumque via incedendum esse; ita ut duos quidem Eusebium libros ad Chronologiam spectantes edidisse

contra Vallarsium cum Scaligero ; unum vero ex his, eumque secundum, a Hieronymo in latinam linguam fuisse conversum contra Scaligerum cum Vallarsio dicendum sit. quamquam ne in hac quidem parte nobis cum Vallarsio plane convenit, qui priorem, ut ipse putat, ejus libri partem, quam Scaliger libri primi laciniam esse voluit, omnino reiicimus, & Eusebio Hieronymoque indignam prorsus asserimus. Equidem est animus, si Deus dederit, hoc argumentum penitus exhaurire alio tempore atque opere, quo exhibituri sumus, quotquot supersunt, primi Eusebiani libri germana fragmenta; idque primum, ut ea Scaligerianis opposita collectaneis, manifestissime evincant, nec Scaligerum eo volumine omnia collegisse, & quæcumque præterea apud illum occurrunt (occurrunt autem quam plurima) vel omnino Eusebio abjudicanda, vel saltem ejusmodi esse quæ nulla satis idonea ratione illi

illi adjudicari possint: secundo, ut eadem opera nuperam de uno Eusebii libro Chronologico sententiam locupletibus adeo certissimisque testimoniis funditus convellam: juvabit tamen in præsentiarum duas illas oppositas inter se, nostræque æque repugnantes sententias, quasi proludentes futuro operi, oppugnare interim atque disiicere, quo asserendis Eusebio quæ adhuc supersunt ex ejusdem primo libro, fragmentis facilior nobis aditus patefiat.

I. DISSERTATIONIS PARS,

In qua potissimum propositæ quæstionis nodus dissolvitur.

§. I. *Proponitur primum testimonium ipsius Eusebii, quo duos de Temporibus a se editos libros refert.*

EJA igitur, rem aggrediamur. Primum & præcipuum argumentum quo evincitur, duos ab Eusebio de temporibus libros fuisse editos, sumitur ex ipsis Eusebii verbis

Præ-

Præfatione seu Prologo in Chronicum, quem ex Hieronymi interpretatione integrum habemus latine, græce autem ex priori parte apud Syncellum. sed, quis crederet! hic ipse locus est, quem potissimum ceteris fraudi fuisse contendit Vallarsius, quemque ipse in aliam plane traducit significationem, quam qua hactenus fuit acceptus. itaque ab eo dicendi sumemus initium. Eusebius statim ab initio laudati Prologi, postquam Scriptorum quorumdam sententias de Moysis antiquitate retulit, quas ipse neutiquam ratas haberet, hæc continuo subdit Hieronymo Interprete: *Cum hæc ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius persequi: & ob id in priori libro* (vel *libello*) *quasi quamdam materiam futuro operi, omnium mihi regum tempora prænotavi, Chaldæorum*, &c.: *in præsenti autem, stilo eadem tempora contra se invicem ponens, & singularum gentium annos dinumerans, ut quid coætaneum fuit, ita*

curio-

curioſo ordine coaptavi. Apparet in his verbis *prior* quidam *liber*, ſeu *libellus* ab Euſebio jam ſcriptus, ut *futuro operi*, ſcilicet Chronico, ad quod ea præfatur, materiam ſuppeditaret. nihil itaque clarius & manifeſtius eſſe videtur, quam quod duos Chronologicos libros Euſebius ediderit. porro ſecundus ex his duobus libris ætatem tulit, prior ille temporum injuria intercidit. Quid contra Vallarſius? Hic ſe ſe nodum facile ſoluturum putavit, ſi diceret, unum quidem librum ſcripſiſſe Euſebium de eo argumento, ſed illum in duas quaſi partes diſpertitum, quarum prior conſtet ex illo quod inſcribitur *Exordium libri*, quodque ab Adamo ad Abrahamum excurrit, tum ex *Serie regum*, quæ eidem *Exordio* ſubtexitur, & ante Chronicum poſt Prologum impreſſa habetur; poſterior vero pars ſit ipſum Chronicum. Id autem ex græco textu confirmare nititur, in quo verbis illis Hieronymi *in priori libro* reſpondent

dent hæc apud Syncellum, ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει, quæ ipſe interpretatur, *in prævia operis ordinatione*. Statuit (*) itaque Euſebium Chronico ſuo, quod ab Abrahamo incipit, *præviæ* cujuſdam *diſſertationis* ſeu præfationis *loco*, duo illa præmiſiſſe quæ diximus, brevem ſcilicet enarrationem ſuperiorum temporum jam inde uſque ab Orbe condito, deinde, *quaſi quamdam materiam indicemque operis*, *quindecim regnorum tempora*: proindeque concludit de his intelligendum eſſe locum illum, quo *prioris libri* Hieronymo interprete meminit Euſebius, ſeu potius *præviæ operis ordinationis*. Hæc palmaris Vallarſii ratio, quam ſæpius inculcat: ſed quanti ea valeat, ſtatim videbimus.

§. II.

(*) Vide Notam C Vallarſii ipſius in hunc Prologi locum, col. 13. & 14.

§. II. *Refellitur explicatio laudati Eusebii testimonii a Vallarsio excogitata.*

PRimum itaque, etiam si concederemus in græco textu legendum esse ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει, non ea tamen inde elici sententia posset, quam excogitavit Vallarsius: nam si ad verbum interpretari velimus, significatur, *in ea quæ hanc præcedit præordinatione*, seu præfatione: nam illud ταύτης non potest referri nisi ad προτάξει quod statim sequitur, ut sensus integer sit ἐν τῇ προτάξει, πρὸ ταύτης προτάξεως: itaque sermo esset non de iis quæ sequi debeant Prologum, & quæ cum Chronico unum librum, ex duabus tamen constantem partibus, efficere ponuntur, sed de anteriori aliqua præfatione: adeo ut uni libro duæ præfationes seu προτάξεις præfixæ, fuerint quasi duo capita in uno corpore. Verum, licet Goarus ediderit hoc

hoc loco προτάξει, uti quidem habebatur in MS. Regio, lectio tamen ista repudianda est, ex qua monstrum oritur biceps (præter quam quod verbum militare est & omnino inusitatum ad libri præfationem, seu priorem ejus partem significandam) & ejus loco omnino legendum συντάξει: ita enim legisse Hieronymum apparet, ita legendum viderat Scaliger, ita postremo habetur in altero MS. Regio, Syncelliani Chronici tertiam fere partem continente, de quo dicemus infra, ubi Fragmentum hoc græcum Eusebii dabimus. Porro σύνταξις, quemadmodum & σύνταγμα, vox est in frequenti usu apud Græcos in significatione *commentarii*, seu *libri studio & diligentia compositi*, quæque in eadem periodo Eusebii paullo infra repetitur, ubi nimirum legitur, χρονικοῦ κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην, *Chronici Canonis librum confeci*: in quibus sane verbis fit allusio ad præcedentia, ἐν τῇ πρὸ ταύτης συντάξει.

Hæc

Hæc satis esse puto, ut appareat non esse cur hoc in loco ex græco textu in aliquam suspicionem vocemus Hieronymi interpretationem, in qua habetur, *in priori libro*, seu *libello*. Videamus nunc, si placet, utrum Vallarsii sententia contra tam apertum Eusebii testimonium se tueri possit. Duo sunt autem quæ maxime obstant, primum *futuro operi*, quod opponitur *priori libro*; alterum *in præsenti autem*, quod item opponitur præterito illi *prænotavi*: refertur enim *in præsenti autem* ad tempus, quo hæc Eusebius scribebat & quo Chronicum edebat; *prænotavi* vero ad tempus aliud, quo *priorem* illum *librum*, de quo quæstio est, se jam edidisse indicat. Non possunt itaque *prior liber* & *futurum opus* de duabus unius libri partibus accipi, sed debent intelligi de duobus libris omnino distinctis, & temporis etiam aliquo inter se intervallo distantibus. Verum, ut clarius appareat quod dico, & ne lectori nego-

tium facessant libri impressi, qui Prologum inter & librum ipsum, seu Chronicum, nonnulla interserunt, quæ (ne quid modo dicam amplius) eo in loco minime collocanda fuerant; quædam ex ipso Prologo verba producam, ex quibus liquebit peculiarem eum esse Prologum Chronici: Chronicum autem cum nomino, intelligo & intelligendum moneo librum illum singularem, qui a Nino & Abrahamo incipit. Verba ex laudato Prologo hæc sunt: *Quamobrem præsens Opusculum ab Abraam & Nino usque ad nostram ætatem inferiora tempora persequetur, & statim in principio sui Hebræorum Abraam, Assyriorum Ninum & Semiramin proponet*: & iterum: *Igitur consequenter in libelli fronte ponimus uno eodemque tempore Abraam, Ninum, Semiramin, Europen, Ægyptiorum Thebæos*, & quæ sequuntur. Quum itaque in allatis verbis unius libri mentio sit, qui ab Abrahamo initium duceret, sequitur ut præter Prologum nullam

iam Chronico enarrationem, seu *præviam operis ordinationem* Eusebius præfixerit: quod si verum est, ut est verissimum, ruat omnino necesse est interpretatio illa, quæ unicum Eusebii librum, sed in duas veluti partes divisum, inducit.

§. III. *Itur obviam effugio quod comminisci quis posset ad Vallarsii sententiam vindicandam.*

UNicum hoc effugium reliquum esset, si quis concederet, ea quæ Prologum inter & Chronicum interseri solent, ante ipsum Prologum quidem esse collocanda, quod Scaliger fecit; ita tamen, ut ex illis omnibus opus unum emergat bipartitum, seu ex duobus constans libellis, quorum prior sit itidem quod dicitur *Exordium libri* & *Regum series*, alter autem Prologus cum Chronico. hoc pacto in speciem quidem aliquantulum dissentire vi-

debimur Vallarſius & ego, re autem probe inter nos concordabimus: &, quod caput eſt, adhuc ſtabit nullum Euſebii librum de Temporibus periiſſe, ſed tantum ordine perturbato, qui duo initio libri erant, librariorum culpa in unum fuiſſe redactos. Sed hoc nullo modo a nobis concedi poteſt: neque enim nunc agitur, quo loco liber ille primus Euſebii ſit collocandus, ſed utrum exſiſtat, nec ne. Expendemus itaque quænam ſint illa, quæ pro primo Euſebii de Temporibus libro nobis obtruduntur: nimirum, num ingenium Euſebii atque indolem referant: num inſtituto & ſcopo ipſius conveniant: num eadem cum Chronico denique concordent. his enim notis & indiciis, ut puto, liquido apparebit, Euſebio illa prorſus eſſe abjudicanda. Equidem mirari non ſatis poſſum, quomodo factum ſit, ut nemo illa viderit tanto viro eſſe prorſus indigna, ſpuria, ſuppoſititia, denique non niſi
ab

ab homine imperitiſſimo & ineptiſſimo confiſta. Verum, ne ante pugnam epinicia canere videamur, rem ſedulo aggrediamur atque ordinatim.

§. IV. *S. Hieronymus Euſebii Chronicum tantum cum Prologo eſt interpretatus.*

PRiusquam tamen de illis Euſebiani Chronici additamentis ex ſupra allatis indiciis examen inſtituamus, juvabit nonnulla ſcitu perneceſſaria in anteceſſum notare, quæ viam nobis ſternant ad ea quæ poſtea obſervanda erunt. Quod itaque in primis, Lector, a te animadverſum ac probe perſpectum velim, hoc eſt: Falſum omnino eſſe, quod Scaligero, Vallarſio atque aliis omnibus haſtenus perſuaſum fuit, nimirum Hieronymum utrumque Euſebii de Temporibus librum, ſeu utramque libri partem fuiſſe interpretatum; nam re vera ille nihil

aliud in eo argumento, præter Prologum & Chronicum, latinum fecit. Longius forte quam par sit hac te quæstione ab argumento primario abducam: sed nulli parcendum est labori & diligentiæ, quo præjudicata opinio illa probe refellatur, & contraria sententia in præclaro lumine collocetur: mire enim hæc scopo nostro inservient. Hieronymum itaque interpretem fuisse Chronici ejusque Prologi tantummodo, demonstrandum mihi assumo tum ex ipsius Hieronymi verbis, tum ex duorum ipsi fere coævorum scriptorum testimonio. Hieronymus sane in epistola ad Vincentium & Gallienum (quæ est veluti Præfatio ipsius Hieronymi in suam interpretationem) Chronicum tantum in Romanam linguam a se translatum his significat verbis: *Sciendum etenim est me & interpretis & scriptoris ex parte officio usum, quia & græca fidelissime expressi, & nonnulla quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana*

maxi-

maxime historia, *quam Eusebius hujus conditor libri non tam ignorasse*, *utpote eruditissimus*, *quam ut græce scribens*, *parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur*. *Itaque a Nino & Abraam usque ad Trojæ captivitatem pura græca translatio est*: *a Troja usque*, &c. Viden' *librum* a Hieronymo latine versum, qui *a Nino & Abraam* inciperet? ergo solum Chronicum, reliqua non item (*). Sed & Chronici Prologum, licet hujus nulla facta ab eo mentio fuerit, dubitare

 non

(*) Scaliger in ea verba *bujus conditor libri* notat: *Librum vocat opus in duos libros tributum. alio nomine potius notandum erat*. Vallarsius vero: *Nempe singularis est liber*, *tametsi in duas quasi partes tributus*. Uterque nimirum ex præconcepta a se opinione judicans, cum tamen Hieronymi verba ambos ab errore revocare debuissent. *Temporum librum* idem Hieronymus hunc eumdem vocat in epist. XVIII. & Præf. in librum de locis Hebr., quo loco hæc habentur. *Semel enim & in Temporum libro* (for. *librum*) *præfatus sum*, *me vel interpretem esse*, *vel novi operis conditorem*. In libro de Vir. Ill., in epist. LVII., & alibi *Chronicon* appellat.

non finit artissima quam cum Chronico habet affinitas, quin itidem Hieronymo debeamus; præterquam quod evincunt hoc ipsa verba Prologi, quibus dicitur: *A Tiberii autem quintodecimo* (non *quindecimo*) *usque ad decimumquartum annum Valentis, quo interiit, numerantur anni CCCLI. Itaque fiunt anni istius historiæ MMCCCXCV*: est enim annus XIV. Valentis terminus, ad quem idem Hieronymus Eusebii Chronicum continuavit, ut notum est. Itaque quod sanctissimus Doctor pro suo non agnoscit, est nimirum illud quod ad primum de Temporibus librum spectare creditur. In ejusdem rei confirmationem prodeat in medium Idatius episcopus, qui in Præfatione Chronici sui, quod ad annum fere CCCCLXX. perduxit, ita habet: *Quorum primus Eusebius Cæsariensis episcopus, qui Ecclesiasticas sui numeri libris scripsit historias, ab initio Nini regnantis Assyriis, & sancti Abraæ Patriarchæ Hebræis, & reli-*

reliquorum contemporales his annos regum, in vicesimum Constantini Augusti quo imperabat annum, græci sermonis chronographiæ concludit historia. Post hunc successor Syngrapheus perfectus universis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem Eusebius cognomento, de græco in latinum scripturæ hujus interpres, a vicesimo anno supradicti Imperatoris in quartumdecimum Valentis Augusti annum subditam texit historiam. En teste Idatio Hieronymum ejus *scripturæ* Eusebii interpretem, quæ *ab initio Nini regnantis Assyriis* ad vicesimum Constantini annum pertingebat: quoniam vero nil aliud in eo argumento S. Hieronymum interpretatum fuisse noverat ille, ideo Eusebium quoque illum tantum librum de temporibus qui a Nino incipit, scripsisse memoriæ tradidit. Sed nonnulla alia ex eadem Idatii Præfatione proferre placet, ut appareat, quam non incuriosus indagator fuerit Chronici Hieronymiani. Hæc itaque statim

 addit:

addit : *Esto, ut in sanctis quibus deguit Hieronymus locis, a memorato Valentis anno in tempus quo in præsenti vita duravit, forte quamplurima de his quæ sunt insecuta, subjecerit: quia haud umquam, dum valuit, a diverso stili opere cessavit. quem quodam* (leg. *quondam*) *tempore propriæ peregrinationis in supradictis regionibus adhuc infantulus vidisse me certus sum. qui post aliquot annos beato, ut erat, mansit in corpore. Si tunc proprio operi quod subdidit, aliqua subjunxerit, apud eos ad quos scriptorum ejus omne opus vel summa pervenit, certa & plena cognitio est. Sed quoniam in cujusdam studii sui scriptura* (*) *dixisse eum constat*, debacchantibus jam in Romano solo Barbaris omnia haberi per mixta atque confusa ; *opinamur ex hujus indicio sermonis, in hoc per se annorum volumine subdito, de successione temporum ab ipso nihil adjectum*. Hæc Ida-

(*) Nimirum in fine epistolæ ad Vicentium & Gallienum, quam diximus esse Præfationem Hieronymi in suum Chronicum.

Idatius. si quis tamen adhuc anceps hæreat, num Hieronymi & Idatii verba satis declarent, ab eodem S. Hieronymo versum fuisse in latinam linguam Chronicum tantum, ac proinde quod præcipue dicitur *Exordium libri*, ad ipsum minime pertinere; dubitandi locum nullum relinquet Victorius Aquitanus in Præfatione Paschalis Canonis, quem anno Christi CCCCLVI. edidit: nam in illa hæc scribit num. VII. (*) *Recensitis igitur fidelibus historiis veterum, beati scilicet Eusebii Cæsariensis Palæstinæ civitatis episcopi, viri in primis eruditissimi atque doctissimi, Chronicis Prologoque, ac perinde his quæ a sanctæ memoriæ Hieronymo hisdem Chronicis sunt adjecta presbytero, per quem in latinum quoque probantur translata sermonem; hisque etiam quæ a sancto & venerabili viro Prospero usque ad Consulatum Valentiniani Augusti VIII. & Anthemii constat fuisse suppleta; reperi*

(*) Ex edit. Ægidii Bucherii Antuerpiæ an. 1634.

peri a mundi principio usque ad Diluvium II.*CCXLII. annos : item a Diluvio usque ad nativitatem Abrahæ annos DCCCCXLII. : natum autem Abraham (*) XLII. anno, regnante jam Nino, eadem monumenta testantur : a cujus etiam tempore gestarum rerum publici Scriptores apud Barbaros esse cœperunt. Quapropter vir venerabilis prædictus Eusebius Chronicorum abhinc exorsus est (**) historiam, volens industriæ suæ fidem mundanorum quoque Annalium coætaneo relatu perpendi, & professæ veritatis etiam gentilium litteras testes sciscitari : contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari, ætates (***) tantum summatim retro generationum ex Prologi textu patefaciens, & operis plenitudine (* al. *& in*

(*) Al. *tribus & XL. annis*.

(**) Petavius hanc Præfationem edidit in Append. Operis de Doct. Temp. Tom. II., apud quem tamen deest hoc loco *est*, habetur contra infra post *contentus*.

(***) Apud Petavium mendose : *ætates tantarum summarum consummatas retro generationum ex Prologi textu*, &c.

& in operis plenitudinem) sub annorum recapitulatione pariter comprehendens. cujus tenorem vir venerabilis Prosper secutus, hisdem Chronicis, hæc eadem egregia brevitate composuit (al. *proposuit), ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio.* Hactenus Victorius, cujus testimonio nihil sane luculentius, nihil enucleatius desiderari potest. primo siquidem tradit Hieronymum in latinam linguam transtulisse Eusebii Chronica, seu Chronicum cum Prologo: secundo, hæc eadem Chronica a Nino incipere dicit: tertio addit Eusebium superiora tempora non attigisse, quod sacris tantum voluminibus tradantur: postremo declarat ætates præcedentium generationum in Prologi textu summatim, tum in *operis plenitudine sub annorum recapitulatione comprehendi*. Qui locus igitur est reliquus *Exordio* illi *libri*, in quo ab Adamo ad Abrahamum genealogia texitur? nullus profecto. Porro textus Prologi, quem laudat Victorius

(nam

(nam de *recapitulatione annorum in operis plenitudine* infra ſermo erit) ita ſe habet: *Verum in curioſitate* (*) *ne ceſſes : & cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abraæ uſque ad totius orbis diluvium invenies retrorſum annos* DCCCCXLII. *item a diluvio uſque ad Adam* MMCCXLII., *in quibus nulla penitus nec græca nec barbara, &, ut loquar in commune, gentilis reperitur hiſtoria*.

§. V.

(*) Editi junctim *incurioſitate*: ſed legendum ſeparatim ; ut aliqui codices habent, *in curioſitate*. *Curioſitatem* autem ex Hieronymi ſtilo interpretor ipſum Chronicum Canonem : nam in hoc ipſo Prologo *curioſo ordine* dixit, & *curioſiſſima hiſtoria*, quod græce eſt χρονικοῦ κανόνος σύνταξις, & αἱ τῶν χρόνων ἀναγραφαί. Sententia erit nempe commodiſſima: ſtudioſum non debere pedem ſiſtere intra Chronici limites, ſed ex Scripturis ſuperiorum etiam ætatum annos ſcrutari. Hæc tamen conjecturæ loco haberi velim.

§. V. *Producitur prior pericope ejus quod dicitur* Exordium libri , *ut appareat Hieronymo interprete esse prorsus indignum* .

EX Hieronymo itaque , Idatio , atque Victorio manifestissime colligitur , illud præcipue quod dicitur *Exordium libri* , Hieronymum interpretem non habuisse : qua in re quamvis tam aperta & certa testimonia non suppeterent , ipse tamen adsumenti illius stilus sufficere deberet ad id persuadendum : ipse , inquam , stilus incomtus , barbarus & obscurus satis se prodit , ac singulis fere verbis clamitat se Hieronymo esse prorsus indignum . Hoc per se quisque facile cognoscere poterit , qui non præjudicata opinione ad ejus lectionem accesserit , modo aliquem bonæ latinitatis & elegantiæ , quam Hieronymi scripta omnia redolent , gustum ceperit : ad quem etiam finem primam , eamque insigniorem

ejus

ejus pericopen heic ſtatim tibi ob oculos, lector amice, proponimus juxta noviſſimam editionem Veronenſem. Illud tantum præmoneo: ſi quæ alicubi ſcripturæ menda videri poſſunt, librariis ea tamen vitio verti jure non debent: neque enim uno aut altero in loco, ſed paſſim, immo perpetuo, oratio lutulenta fluit, ordo verborum eſt perturbatus, ſenſus ipſe implexus & confuſus, denique omnia ſibimet perbelle reſpondent: ut ſerio ſingula animadvertenti, non niſi ex ipſius, quiſquis fuerit, Auctoris barbarie atque inſcitia tam informem fetum ad nos perveniſſe, fatendum ſit.

EXORDIUM LIBRI.

INcipiunt tempora totius ſæculi, regeſque gentium omnium, quibus locis quibuſque temporibus in ſuis provinciis, & quantum regnaverint, (al. regnaverunt) vel ſi quid memoria dignum per generationes, nativitates & regna

regna & ducatus, per (al. *& per*) *omnem actum judicum & omnium regum Juda & aliorum, qui non ex eadem tribu regnaverunt, & per regnum* (al. *regna*) *Assyriorum ceterarumque gentium, & tempora Dictatorum cum Consulibus ordinariis. Sed & tempora Imperatorum & Cæsarum, & quibus temporibus historiographos* (*) *esse dixerunt: sed & successiones eorumdem, quod per ordinem rerum superius* (**) *declaratum est. Quorum universa tempora, gesta sive apud Hebræos, vel apud Græcos, vel apud Romanos, sive apud Barbaros, cæterasque gentes, quæ gesserunt, vel constituerunt per historias in hoc libro plenissime demonstrantur: quod & in libro* boc

(*) Notat Vallarsius Scaligerum emendasse *Historiographi*, MSS. tamen omnibus, qui hactenus innotuerunt, contradicentibus. Idem opportune monet: *In fine Proœmii geminus huic locus occurrit*. Itaque conferendus omnino est uterque, fictus scilicet & verus Eusebius: nil sane dissimilius. *Proœmium* intellige Eusebii Prologum.

(**) Vide in hunc locum Scal. & Vallar.

hoc (*) *historiæ singulæ conscriptæ declarant, deorum generationem, vel singulorum progeniem, sive his temporibus ipsis antelatis, quæ gesserunt, & tempora Olympiacorum, ex quo primus agon gymnicus constitutus, quos* (al. *constitutus est, quod*) *Græci Olympias appellant. Et quo tempore adventus fuit Salvatoris nostri Jesu Christi, sive passio ejus, simulque & nomina episcoporum Ecclesiarum numero quattuor, hoc est Romanorum, Alexandriæ, Jerosolymorum & Antiochiæ, qui per easdem civitates metropoles provinciarum episcopi, quantum temporis singuli sederint*, (al. *sederunt*) *vel qui eorum episcopatus sui tempore martyrio coronatus sit, sive tempora persecutionum, quibus temporibus Ecclesiæ dissipatæ sunt. Sed & tempora regum Macedonum, Alexandriæ*, (al. *Alexandri*) *& quoto agone Olympiacorum, vel quibus*

(*) Pro *& in libro hoc*, Scaliger ex MS Freheriano edidit *& in libro Hygini*, quam lectionem Pontacus antea & merito repudiaverat.

bus temporibus seu Consulibus finem Alexander fecerit Judæis, vel Vespasianus insequutionem, sive destructionem templi eorum miserit, & tributa eis constituit.

En tibi, lector, insigne specimen elegantiæ Ciceronianæ. hæc nimirum sunt, quæ sub Hieronymi nomine venditantur: Hieronymo, inquam, hæc asseruntur, contradicente ad hanc diem nemine. Tute ipse tamen judica, num in his vestigium ullum, aut vel obscurum lineamentum appareat indolis scribendi Hieronymianæ. Ego sane vix me hæc mecum reputantem contineo, quin mihimet præstitutos moderationis & lenitudinis fines transiliam: adeo indigna hæc & injuria Hieronymo videntur. Sed præstabit inquirere, quibusnam persuasi compulsique argumentis, viri ceteroqui acutissimi tam male in hac parte de elegantissimo Patre sint meriti, ut crassum illum, lacerum sordidumque pannum eidem assuere non sint veriti.

C facile

facile autem conſtabit ea nullius eſſe momenti, ſi cum iis comparabuntur quæ a nobis in contrariam partem jam allata fuerunt, & deinceps afferentur.

§. VI. *Quodnam fuerit Scaligeri judicium de* Exordio libri, *ipſius verbis declaratur*.

JOſephus Scaliger, utpote qui probe vidiſſet duos ab Euſebio de Temporibus libros fuiſſe compoſitos, pro certo etiam habuit Hieronymum utrumque fuiſſe interpretatum, & ad priorem illum librum ſpectare credidit id quod inſcribitur *Exordium libri*, ita tamen ut hoc nec integrum exhiberet Euſebii textum, nec puram ſinceramque Hieronymi interpretationem. quamquam, ut mihi quidem videtur, nec ipſe ſibi plane in eo conſtat: nam modo integrum Euſebii librum, modo ejuſdem tantum epitomen a Hieronymo latino ſermone expreſſam ponit.

ponit. Verum ipsius verba profetantur ex Nota in illud, *Incipiunt tempora*. *Hæc* (inquit) *solus Freberianus codex habebat, sed longe auctiora* (*) *quam editiones. Itaque si quæ in his reperiuntur quæ editiones non habent, scito ea esse ex Freberiano. Quam multa hinc desint potius quam quæ desint, ex græcis quæ supersunt, colligere potes. Præterea multa ex aliis Chronologis minorum gentium assuta sunt, non pauca, ut puto, ex Prosperi priori parte: nam & ipse, ut diximus, duas partes Chronicorum suorum fecerat. Quædam etiam puto interpretem Hieronymum inseruisse. quod cum in priori editione suspicati essemus, postea verum id esse ex codice Bongarsiano omnium vetustissimo deprehendimus, in quo ante epistolam Hieronymi hæc uncialibus litteris prænotata erant*: Eusebius Hieronymus. In-

(*) Vallarf., quæ in editione Scaligeri abundant, seorsim descripsit in Notis.

cipit (*) Epitoma de Chronicon : quibus generationes & regna ab Adam usque ad Abraham, & imperia, vel passionis Domini omnes consecuti sunt, usque ad finem Valentis & Valentiniani Imperatoris adjecimus. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Hactenus codex Bongarsianus. ex quibus non temere ab Hieronymo multa ex priore libro conjecta fuisse indicavimus* (for. *judicavimus*), *vel potius totum librum ab Hieronymo conversum, cujus epitome hic posita fuerit, & a librariis mutilata, interpolata, & multis partibus vitiata. Deesse autem verba quædam in iis quæ protulimus, palam est. Porro hæc Prolego-*

(*) Hæc eadem verba refert Pontacus in Notis ex codice Aurelianensi antiquissimo. Sed & Vallarsius in MS. Parmensi ante Eusebii Prologum hanc epigraphen se legisse refert: *Incipit Eusebii Pamphili episcopi Cæsariensis Epitome, quod Breviarium sonat, a Hieronymo traductum.* Sed hæc non ad primum librum cum Scaligero, sed ad secundum, sc. Chronicum, referenda fortasse sunt.

legomena cum distributione regionum inter posteros Noæ invenies in secundo tomo Lect. Ant. Canisii pag. 581. *& deinceps. quæ sunt laciniæ hujus Operis. Itaque ea perpendat studiosus lector. Denique quæ hic leguntur, id quod periit, magis deflere, quam quod superest, frui nobis præbent. & sane parvi erant momenti, nisi essent argumentum & indicium eorum quæ desiderantur:* &c. Hæc ibi Scaliger, qui & in sequentibus Notis addit: *Quo magis confirmatur suspicio nostra, Hieronymi hanc epitomen esse eorum, quæ primo loco tractabat Eusebius, sed eam epitomen ab otiosis hominibus temeratam fuisse. Multa enim habet tam a dictione Hieronymi, quam ab ejus liberali ingenio aliena*. Idem infra ad ea verba, *Numeratio temporum*, ita scribit: *Aut alius auctoris sunt, aut pauca Eusebiana intermixta; quin & dictio ipsa nihil de nitore Hieronymiano redolet. Omnino multa sunt ridicula: quamquam non negamus veteris scriptoris esse*, &c. Pauca hæc ex Scaligero prænotavimus,

mus, ut constet quodnam de hoc eodem *Exordio libri* judicium tulerit: apparet enim virum κριτικώτατον Hieronymo quidem lacinias illas, ut eas ipse vocat, tribuisse, sed ita demum, ut vitiatas & interpolatas a librariis pro certo haberet: adeo multa erant quæ in ipsis Hieronymo indigna ipsi videbantur.

§. VII. *Refelluntur Scaligeri argumenta; ac primum, quod ex ipso Hieronymo sumit.*

VIdeamus autem aliquando quibus innixus argumentis, primum Eusebii librum de Temporibus ab eodem S. Hieronymo translatum fuisse, judicaverit. Ipse pag.8. ita scribit: *Quod Chronicorum Canonum libros duos scripserit Eusebius, quorum prior omnimodæ historiæ tempora, origines, caussas, progressus; posterior annos expansos contineret, satis superque a nobis dictum est in iis quæ supra disputavimus. Quod autem non solum*

ſolum Canonem, ſed & hunc priorem librum Hieronymus in latinum ſermonem converterit, tum ipſe, tum Marcellinus Comes auctor eſt. Ipſe quidem Commentario in Danielem, capite nono ita ſcribit: Quicquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus Diaboli, cunctis in commune clamantibus, *Sanguis ejus ſuper nos & filios noſtros*: Et hoc: *Non habemus regem, niſi Cæſarem;* quem locum in Chronica (*) ejuſdem Euſebii, quam ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, diligens lector plenius ediſſertum poterit invenire. *Hujus autem*, &c. Sic itaque argumentabatur Scaliger: In eo quem habemus libro Euſebii, nihil de conviciis illis & maledictis Judæorum in Chriſtum habemus: de ipſis igitur agebatur in priori libro, qui interci-

 dit:

(*) *In Chronica . . . . . quam*. Ita hunc locum citat Scaliger, & Pontacus initio Apparatus in Notas Chronici: Vallarſius edidit in *Chronico . . . . quem*. utrobique mendum.

dit: ergo utrumque librum Hieronymus interpretatus est. Verum enimvero, cum hoc loco S. Hieronymus *Chronicam*, seu potius Chronicum *Eusebii* citet a se jam latinum factum, Chronicum autem latinum habeamus ex ejusdem Hieronymi interpretatione; non debuit Scaliger priorem librum intelligere ea appellatione designari, quæ alterius propria esse videtur: de quo infra suo loco agemus. Præterea, ut probe observavit Vallarsius in Præfatione pag. VIII., „quum ea Judæorum convicia ad temporum doctrinam minime pertineant, neque peculiarem locum in Eusebiano illo libro habere potuerunt. Alio itaque spectat Hieronymi sententia, quam quo a Scaligero refertur; nec ipsius declaratio aliunde peti debet, quam ex Chronico. itaque idem Vallarsius eam explicare satagit modo laudato loco, ita tamen ut Hieronymi mentem non assequutus penitus videatur. Nos itaque aliam inter-

pre-

pretationem proponimus, planiorem & ex ſola emendata interpunctione conſequentem, quam & germanam eſſe pro certo habemus. Locus Hieronymi integer (nam quæ præcedunt, nihil ad rem faciunt) hic nimirum eſt: *Quodque infert*: Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, *ſic interpretatur* (Euſebius): *Quod Herode regnante apud Judæam & Auguſto apud Romanos, Chriſtus natus ſit, qui tribus annis & ſex menſibus juxta Euangeliſtam Joannem Euangelium prædicavit, &* confirmavit *veri Dei cultum*, multis, *haud dubium quin Apoſtolis & credentibus: quando poſt paſſionem Domini* in dimidia *rurſum* hebdomada defecit hoſtia & ſacrificium (*quidquid enim in templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus*: Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros: *&*: Non habemus regem niſi Cæſarem) *quem locum*

cum in Chronico ejusdem Eusebii, quem (leg. *quod*) *ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, diligens lector plenius edissertum poterit invenire*. Quæ nos parenthesi a ceteris distinximus, antea sententiam aliquanto obscuram, nunc perspicuam & apertam reddunt: quod enim in Eusebii Chronico monet sanctus Doctor fuisse plenius edissertum, est ea Danielis vaticinii pars quam commentatur: scilicet, *in dimidia hebdomada* annorum, seu elapsis tribus annis & sex mensibus, quibus Jesus Christus, Euangelium proseminando, *confirmavit pactum multis*, ac postremo passus est; *defecisse hostiam & sacrificium*, nimirum quæ antea in templo Hierosolymitano Deo offerri rite consueverant. Hoc autem illud est, quod diserte habetur in Chronico, ubi ad annum Tiberii XVIII. hæc leguntur: *Jesus Christus filius Dei, secundum prophetias quæ de eo fuerat prælocutæ* (innuit autem potissimum hoc ipsum, ut

puto,

puto, Danielis vaticinium) *ad passionem venit anno Tiberii XVIII., quo tempore etiam in aliis ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus ..... Scribit vero super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in XIII. libro ita dicens* : Quarto autem anno CCII. Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas ædes subvertit. *Hæc supradictus vir. Argumentum autem hujus rei, quod Salvator isto anno passus sit, Euangelium præbet Joannis, in quo scribitur, post decimum quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse. Josephus etiam vernaculus Judæorum scriptor, circa hæc tempora die Pentecostes sacerdotes primum commotiones locorum & quosdam sonitus sensisse testatur, deinde ex adyto Templi repentinam subito erupisse vocem*

cem dicentium : Transmigremus ex his sedibus. *Scribit autem memoratus vir, quod eodem anno Pilatus secreto noctis imagines in Templo statuerit* : cetera. Verum quidem est, ea quæ hoc loco ex Josepho referuntur, ad aliud tempus spectare, ut a doctis viris jam observatum fuit; Eusebius tamen ad Christi passionem retulit, quem & alibi sequutus est Hieronymus. proinde ex utriusque textus comparatione perspicue, ut mihi quidem videtur, mens ejus colligitur, dum in Danielis Commentario lectorem ad Eusebii Chronicum delegat: neque enim alium quam quem protulimus, locum indicare voluit: itaque perperam Scaliger de priori Eusebii libro, quem a Hieronymo numquam latinum factum supra ostendimus, ea intellexit. Sed quoniam mentio incidit hujus Eusebiani loci, moneo Passionem Christi, quæ in omnibus latinis codicibus ad annum Tiberii XVIII. refertur, juxta Eusebii mentem ad proxime sequen-

sequentem annum spectare, adeoque legendum, *ad passionem venit anno Tiberii XVIIII*, de quo tamen seorsim agemus in sequenti Dissertatione.

§. VIII. *Alterum Scaligeri Argumentum ex Marcellini verbis, reiicitur.*

UT ad Scaligerum revertamur, alterum quo potissimum nititur argumentum, nimirum ut & priorem illum Eusebii librum Chronologicum a Hieronymo latinitate donatum confirmet, ex Marcellini Comitis testimonio desumit. scribit autem Marcellinus in Praefatione sui Chronici, quod ad annum DXXXIV. perduxit: *Post mirandum opus quod a mundi fabrica usque in Constantinum principem Eusebius Caesariensis bujus saeculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque paene provinciarum monumenta*

menta commemorans, *græco edidit stilo*, *nosterque Hieronymus cuncta transtulit in latinum*, *& usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio*: &c. quæ verba ita commentatur idem Scaliger: *Non solum hanc priorem partem ab Hieronymo latine conversam hinc scimus*, *sed etiam quod ejus argumentum fuerit*, *& quæ in eo tractabantur*, *strictim nos docet*. *Ut autem hunc priorem librum a Canone distinguat idem Marcellinus*, *in fine Chronici sui Canonem Eusebii vocat librum Temporum*. Porro hoc ipsum testimonium Marcellini urget & Vallarsius, ut suam confirmet contra Scaligerum sententiam, contendens non alia de caussa Mercellinum repetere *a mundi fabrica* initium Eusebianæ Chronographiæ, quam quod inde incipiat *Exordium libri*, additque se minime dubitare illum, *cum ea scriberet*, *exemplar nostris non absimile*, *germanum adeo atque integrum*, *ob oculos habuisse*: *in quo unum videtur non satis attendisse caute*, *quod proprie ab illo*

Exor-

Exordio libri, *non pagellis inde loci paucis, incipere Chronicum existimavit.* Hæc ille laudata Præfatione pag. IX. Negotium sane aliquod nobis facesseret Marcellini testimonium, nisi ex Hieronymi, Idatii & Victorii verbis jam allatis probassemus Hieronymum nonnisi Chronicum cum Prologo transtulisse: itaque id unum modo est reliquum, ut cum iisdem Marcellinum ipsum commoda interpretatione conciliemus: facile autem conciliabimus, si dicamus eum ita scripsisse, propterea quod tum in Prologo tum in Chronico legerit expressum numerum annorum ab orbe condito, idque præcipue in extremo opere, ubi & illa habentur: *Fiunt ab Adam usque ad XIV. Valentis annum . . . . . . omnes anni MMMMMDLXXIX.*, quæ, licet absint in quibusdam MSS., Marcellinum legisse tamen apparet & exscripsisse, dum post supra recitata verba scribere pergit: *Igitur uterque hujus operis auctor V & DLXXIX.*

hunc

hunc mundum tunc fore miro computavit ingenio. Hoc, inquam, potius pacto interpretanda sunt Marcellini verba supra laudata, ne contra productas jam auctoritates certissimas, atque adeo contra veritatem pugnare videantur. sin autem quis mordicus defendat, Scriptorem hunc ea referentem de Chronico Eusebio-Hieronymiano, præ oculis habuisse *Exordium libri*, idem fateri saltem debeat hoc *Exordium* non a Hieronymo interprete profectum, sed ab aliquo postea additum: quod tamen ipsum cum non levem eidem adsumento auctoritatem conciliet, habita ratione temporis quo floruit Marcellinus; ideo maturiori examine, utrum a nobis concedendum sit, inquirendum est. Quod vero Scaliger urget eumdem Marcellinum in fine Chronici sui Canonem Eusebii vocare *librum Temporum*, id vero nihil est, & neutri opinioni obest aut prodest: ita enim scripsit non semel Hieronymus, ut supra notavimus, qui

qui tamen non nisi Chronicum cum Prologo agnoscebat a se latine redditum. Verba Marcellini, quæ alio loco fortasse juvabit heic attulisse, sunt: *Passus est Dominus noster Jesus Christus a constitutione mundi post annos MMMMMCCXXIX. Eusebius ponit MMMMMCCXXX., si numeri non sunt transpositi. Ab Abraham autem, usque ad passionem Domini, anni sunt MMLIV. Idem Eusebius libro Temporum, ubi agit de passione Domini.*

§. IX. *Additamenta illa Chronici, a nullo V. aut VI. sæculi Sriptore laudata aut agnita.*

EXpedivi jam, quod primum de additamentis Chronici Hieronymi mihi observandum proposueram: quod secundo loco de iisdem prænotem, hoc est: ea a nullo laudari antiquo Scriptore, & a plerisque iisque antiquioribus abesse codicibus: quæ observatio tam ad eo-

D rum

rum suppositionem falsitatemque magis magisque demonstrandam inserviet, tum iis quæ proxime disputabamus de Marcellini loco, opportune satisfaciet. Itaque qui Hieronymi Chronicum laudaverint & ex parte sint sequuti, innumeri fere sunt latini scriptores jam inde a Hieronymi ætate: plerique etiam Chronicorum consarcinatores ipsius fere vestigiis institerunt, nonnulli fere integrum transcripserunt: nemo tamen unus a me est repertus, quem ex illa priori parte quæ eidem Chronico affigitur, aliquid sumsisse appareat. sed omnes ab Abrahami & Nini temporibus Hieronymum aut Eusebium ducem sequi se profitentur, vel tacentes re ipsa indicant: de superioribus vero ætatibus quidquid habent, vel ex sacris Scripturis mutuantur aut ex aliis scriptoribus, vel denique annorum epochas tantum ex ipso Chronico Prologoque paucis repræsentant: sed & hi eo ipso satis declarant, se non vidisse

diſſe *Exordium* illud *libri*, vel ſaltem non putaſſe ad Euſebio-Hieronymianum Chronicum ulla ratione pertinere. nam in illo, de quo poſtea agemus, alia initur a diluvio ad Abrahamum computatio, annis CXXX. Euſebianam excedens: quæ enim penes Euſebium tum in Prologo tum in ipſa Chronici ſerie non ſemel, annis nongentis quadraginta duobus conſtat, Pſeudo-Euſebio ad mille & ſeptuaginta duos protenditur. Itaque ad Latinorum poſt Hieronymum Hiſtoricorum, vel Chronologorum examen veniamus: & quoniam ſingulos, maxime ad ſequiora tempora ſpectantes, producere, longum nimis nec neceſſarium eſſet, paucos ex his tantum, eoſque præcipuos, recenſebimus. Quid igitur ex antiquioribus Sulpicius Severus, quid Auguſtinus, Oroſius, & Proſper; quid Caſſiodorius & Gregorius Turonenſis ex Euſebio aut Hieronymo decerpunt? nam de Victorio, Idatio & Marcellino Comite

non est quod præterea addamus, cum de his jam actum sit num. 5. & 9. Sane unius Victorii testimonium ejusmodi est, ut rem omnem ipsum conficere posse videatur. S. Augustinus itaque, ut ab eo sumamus initium, in præclaro & aureo illo Opere de Civitate Dei, ab exordio quidem mundi Patriarcharum annos recenset, & de differentiis quæ inter græcam versionem & hebraicum textum intercedunt, multis disserit: nusquam tamen Chronici Eusebiani meminit, nisi cum ad Abrahami tempora pervenit: vide libri XVI. caput 16., quod primum ex Chronico est expressum: & ita deinceps. Et quamvis cap. X. ejusdem libri a diluvio usque ad Abraham colligat M. LXXII. annos, quam computandi rationem paullo ante diximus non esse Eusebio consentaneam, sed in *Exordio* tamen *libri* expressam; ipse Augustinus unde eam sumserit his verbis significavit: *Fiunt itaque anni a diluvio usque ad Abraam mille*

mille septuaginta & duo secundum vulgatam editionem, hoc est Interpretum septuaginta: itaque ne hinc quidem ulla suppetit caussa, ut ex impurissimo illo *Exordio*, eum numerum in suum Opus derivasse Augustinum opinemur. Id vero multo minus de Sulpicio Severo suspicari licet, qui vulgatæ tunc temporis Scripturæ editioni & ipse inhærens, sed per errorem omittens biennium illud, quod a diluvio ad Arphaxad natum intercessit, intervallum istud annis mille & septingentis tantum conclusit. ceterum hic *Chronicorum* non nisi cap. XXXVI. lib. I. primum meminit, quo demum loco de Samuelis & Saulis annis disputat. Sequitur Paullus Orosius, qui statim ab initio lib. I. Hist. ita scribit: *Sunt autem ab Adam primo homine usque ad Ninum magnum, ut dicunt, regem, quando natus est Abraam, anni tria millia CLXXX. & IIII., qui ab omnibus historiographis vel omissi vel ignorati sunt*: &c. confer hæc, Le-

 ctor,

ctor, cum Prologo & Chronico; agnofces computum, indolem & profpectum Eufebio-Hieronymiani Operis, a quo prorfus abludit *Exordii libri* putidum commentum. porro idem Orofius multa alia paffim fuis libris ex eodem Chronico excerpta infperfit, quæ fingillatim commemorare non eft opus. Quid vero Profper Aquitanus in Chronico integro, quod a mundi origine ad fuam ufque perduxit ætatem? Hæc ipfe initio: *A diluvio autem ufque ad primum annum Abraæ anni nongenti* (lege *annos nongentos*) *XLII. Eufebius vir difertiffimus annumeravit. ab Adamo ufque ad diluvium, anni duo millia CCXLII. Sunt ergo omnes anni ab Adam ufque ad annumXV. Tiberii, anni MMMMM.CCCLX., aut CCXXVIII. Anni vero fecundum Genefeos Scripturam, & Africani hiftorici fupputationem amplius inveniuntur CXXIX.* Annus Tiberii XV. eft Eufebio a nato Abrahamo bis millefimus quadragefimus quartus, ut

ad

ad eum Chronici locum diſerte dicitur: his adde annos ab Adamo ad diluvium II M. CC. XLII., tum a diluvio ad Abrahamum DCCCC.XLII., erunt tibi omnes anni VM. CC. XXVIII., quot ex Euſebii rationibus refert Proſper ſecundo loco. quod vero addidit *ſecundum Geneſeos Scripturam & Africani hiſtorici ſupputationem amplius inveniri CXXIX. annos*; reſpexit, ut puto, ad Cainan ſecundum ab Euſebio omiſſum, cujus anno ætatis CXXX. natus ferebatur, in antiqua vulgata editione Geneſeos, Sala filius. In eo autem quod de Africani ſupputatione addit, erraſſe eum crediderim: conſtat enim nec ab illo, nec ab Euſebio Cainan illum Salæ patrem fuiſſe recenſitum. ſed cum hic commodum Cainan habeatur in *Exordio libri*, quod injuria dicimus affictum Euſebio; ſi quidem, ut aliis placet, jam id tum Chronico præfixum fuiſſet, ſane Proſper vel ſecus de Euſebii compu-

puto existimasset, vel ad Africani supputationem minime confugisset. Prosperum excipiat Cassiodorius, qui in *Epilogo* Chronici sui (eadem fere initio leguntur) hæc habet: *Ab Adam usque ad diluvium, sicut ex Chronicis Eusebii & Hieronymi colligimus, anni sunt MMCCXLII.; a diluvio usque ad Ninum Assyriorum regem, anni sunt DCCCXCIX.* : adde huic summæ annos regni Nini XLIII. ad natum usque Abrahamum, ex eodem Eusebii Chronico; confient anni DCCCCXLII., de quibus sæpe a nobis est dictum. Jordanis autem, seu Jornandes, in libro *de regnorum & temporum successione*, primum ab origine mundi usque ad Abraham texit Chronologiam, *secundum veridici legislatoris verba Moysis* Patriarcharum ætates colligens, & usque ad annum Nini XLII. numerans annos IIIM.CCC.VIII., in quo CXXIV. annis Eusebium excedit: tum sequitur: *Unde jam relictis familiis, regum seriem prosequamur, & sicut*

ſicut Euſebius, ſeu Hieronymus, primum Aſſyriorum, deinde Medorum, Perſarumque & Græcorum regnum percurrentes, ad Romam imperium quomodo delatum ſit, vel quali tempore, latius, ſi Dominus permiſerit, exſequamur. Vides Jornandem ætates Patriarcharum non ex Euſebii Prologo, aut ex *Exordio libri*, ſed ex Moſis libris repetere, & quidem peculiari ſibi computo? tum ab initio Chronici, & anno XLII. Nini, Euſebium & Hieronymum ſibi demum compilandos proponere? Agmen claudat antiquorum Gregorius Turonenſis epiſcopus, qui & initio lib. I. Hiſt. Franc. ſcribit: *De ſupputatione vero hujus mundi evidenter Chronicæ Euſebii Cæſarienſis epiſcopi ac Hieronymi presbyteri proloquuntur* (Prologum deſignans) *& rationem de omnium annorum ſerie pandunt*; & non multo poſt ſubdit: *In his decem generationibus, hoc eſt a Noe uſque ad Abraam, inveniuntur anni DCCCCXLII.* & ita deinceps: quem imitatus eſt

con-

continuator ejus Fredegarius circa finem, quem videsis. Apparet itaque ex hac antiquiorum, qui nempe quinto & sexto Ecclesiæ sæculo floruerunt, scriptorum enumeratione, omnes Eusebium laudasse & esse sequutos, ab initio Abrahami & deinceps, ejusdem Chronicum compilantes; enumerationes vero annorum ab Adamo ad Abrahamum vel ex ejusdem Chronici Prologo decerpsisse, vel denique, qui alias inierunt rationes, *Exordio* illi *libri* magis consentaneas, simul monuisse se eas ex vulgata tunc temporis Scripturæ editione collegisse: adeoque nemo unus vel *Exordium* illud se vidisse, vel ex eo quidquam sumsisse, ne suboscure quidem indicavit: quod sane minime facere prætermisissent, si cum vero Eusebii Prologo Chronicoque jam tum circumferretur.

§. X.

§. X. *Scriptores alii nedum mediæ, sed & infimæ ætatis, non agnoscunt* Exordium libri.

VEniamus nunc ad auctores posterioris antiquitatis, ex iisque nonnullos tantum & carptim excutiamus. Ado Viennensis in Gallia episcopus, qui nono sæculo vixit; hæc in Chronico suo ad annum Tiberii XV. memoriæ tradidit: *Anno decimoquinto imperii Tiberii Dominus post baptismum quod prædicavit Joannes, mundo regnum cælorum annuntiat, peractis a mundi principio secundum Hebræos annis, ut etiam Eusebius in Chronicis suis signat, quattuor millibus, annotando quod decimosexto anno Tiberii principium fuerit octogesimiprimi jubilæi secundum Hebræos (nostra vero computatio undeviginti minus ponendos esse existimat): juxta vero Chronica eadem quæ ipse Eusebius de utraque editione, ut sibi videbatur, composuit, anni supputantur quinque millia, ducenti & viginti-*

gintiocto. Quæ Ado de computatione secundum Hebræos ex Eusebio priori loco attingit, ad aliam quæstionem hac eadem Dissertatione agitandam spectant: itaque de ea nihil est quod hoc loco monendum occurrat. quod vero *juxta Chronica eadem* annos supputat VM. CC. & XXVIII., ex eodem Eusebiani Chronici loco sumsit, adeoque ejusdem rationibus est omnino consentaneum. ceterum Ado non juxta Eusebium, aut τοὺς LXX., sed juxta hebræum codicem, seu latinam Hieronymi interpretationem, annorum seriem putavit, sequutus Venerabilem Bedam, ex quo etiam totum hunc locum fere ad verbum transcripsit, uti postea videbimus. Freculphus Lexoviensis in Gallia episcopus, & ipse sæculi noni scriptor, qui tamen aliquanto ante Adonem floruit, Chron. Tom. I. lib. I. cap. 35. hæc refert: *Quamvis beatus Hieronymus in Chronico Eusebii, atque Orosius in prima fronte suorum librorum (a quibus etiam Jose-*

phus non longe exorbitat) aliter sentiant in numero annorum, dicentes a nativitate Abraæ usque ad totius orbis diluvium inveniri supputando retrorsum annos DCCCC.XLII. Idem lib. II. cap. 21. *Colligitur autem omne tempus a Mose & egressu Israel ex Ægypto usque Salomonem & ædificationem Templi, anni quadringenti octoginta, ut Regnorum liber III. testimonio est: a diluvio scilicet usque ad Mosen anni M.CCCC.XLVII., a diluvio usque ad Adam duo MCCXLII., qui simul supputati, idest CCCCLXXX., MCCCCXLVII., duo M.CCXLII., a Salomone scilicet usque ad Adam fiunt anni IV M.CLXIX. Hanc quidem annorum supputationem juxta Eusebii Chronica atque Hieronymi assertionem coaptare curavimus.* atqui hæc quoque enumeratio, ex ipso Eusebio depromta, innititur peculiari illi summæ, quæ a diluvio ad Abrahamum constituit annos DCCCC. XLII., de qua ipse Freculphus in superiori textu, quem vide etiam lib. VI. cap.

cap. 19. . Marianus Scotus ſæculi undecimi ſcriptor, qui integrum Chronicum Hieronymi in ſuum transfudit, quædam initio ex Prologo ipſius laudat: in *famoſiſſima* præterea *quæſtione* de Mathuſalæ annis citat Auguſtinum & Hieronymum in Quæſtionibus Hebraicis, ſed de illo *Exordio libri* ne verbum quidem . niſi quis divinare velit, de eo potuiſſe illum agere in prioribus capitibus: nam liber eſt ἀκέφαλος . Non omittendum tamen eſt, hunc nonnulla quæ ſub Euſebii nomine circumferebantur de Gigantibus fabuloſa, memorare, quo loco de Enos filio Seth verba facit: *Hunc Enos* (ſed Enos cum Enoch confundi, manifeſtum eſt) *nonnulla divina ſcripſiſſe Juda Apoſtolo atteſtante comperimus ..... unde illa quæ Euſebii nomine proferuntur, & continent illas de Gigantibus fabulas, quod non haberent homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda*. De his in *Exordio libri* nihil habetur, ſed

ſed in apocrypho Enoch libro apud Syncellum, quæ Mariani ævo latine reddita ſub Euſebii nomine fuerint. Reſtat mihi poſtremo loco recenſendus Riccobaldus Ferrarienſis, qui compilationem Chronicam (*) ad annum MCCCXII. perduxit. Hic quoque opus ſuum ex Hieronymi Chronico derivavit, neque tamen in eo invenit ea quæ jam inde a Marcellini ævo integros & germanos Hieronymiani Chronici codices habuiſſe Vallarſius pro certo habuit: atqui, ſi Riccobaldo ipſi fides eſt habenda, nactus fuerat codicem venerandæ jam tum antiquitatis: ita enim præfatur: *Cum relicta non ſponte genitalis ſoli dulcedine in urbe Ravenna relegatus degerem, & cum Canonicis Eccleſiæ majoris in choro ac eorum laribus converſarer frequenter, aliquando non vana curioſitate perquiſivi* in

(*) Habetur hæc collectio in corpore Hiſtorico medii ævi, quod Joannes Georgius Eccardus collegit & vulgavit Lipſiæ, an. 1723.

in ejus Archivio Ecclesiæ libros divinarum Scripturarum, qui mihi essent in oblectamentum honestum. Dum libros obsoletos volverem, venit in manus meas vetustissimus & obsoletus, visu mirabilis, cum serie invisa, cum litteris plurimis coloribus scriptis. Hic erat liber dictus Chronica B. Hieronymi. *difficile esset exprimere quam utilis ad veterum tempora indicanda. Ex libris Eusebii erat deductus: per tempora multa intactus manserat: ejus membranæ libri putruerant. Aperui illum, intuitum in eum legendo defixi: continebat multarum rerum & illustrium virorum tempora a nativitate Abrahæ usque ad tempora Honorii Imperatoris. Dolui rem tam dignam proborum cognitione virorum, esse abditam & perditam, ut thesaurus suffossus*: &c. Videsne quid haberet vetus ille Chronici liber, & unde inciperet?

§. XI.

§. XI. In paucis admodum, eisque recentioribus MSS. habentur tum Exordium libri, *tum* Regum series; *in reliquis non item*.

EQuidem ita se res habet: antiquiores MSS. libri non agnoscunt, ac proinde negant esse Eusebii aut Hieronymi, quæ nos quoque suppofititia esse asserimus; cujus rei testes producam antiquorum Chronici codicum indagatores Pontacum & Scaligerum. Arnaldus Pontacus Vasatensis episcopus, qui, ut diximus, anno MDCIV. (biennio ante Scaligerum) edidit Chronica Eusebio-Hieronymianum ac Prosperi juxta editionem Basileensem anni MDXXIX., collatam diligentissime cum octo aliis libris impressis & MSS. viginti & octo; variantes singulorum in Notis & observationibus suis recensuit. Ex his MSS. libris nonnullos ob antiquitatem maxime commendat in Apparatu suo,

ut Aurelianensem, qui ex apposità temporis nota scriptus videtur jam inde ab anno DCXXIX., Alcobacensem, Puteanum, alios: & tamen ea, de quibus agimus, additamenta in quattuor tantum invenit, de quorum antiquitate nihil habuit quod lectorem præmoneret: sed ipsum audire præstat in Nota ad illum titulum, *Exordium libri*: *Quæ subsequuntur*, inquit, *usque ad* Regum series *&c. pag.* 11., *sunt in impressis præter So.*(scilicet Chronicum impressum Lutetiæ anno MDLXXXVII. a Michaele Sonnio); *quin absunt & ab omnibus nostris Chirographis, præter Fabricianum, Lodonense, secundum & tertium Vaticanum, licet in illis multis locis mutila, ut suo quæque loco demonstrabimus. Ea vero omnia quæ incipiunt a* Regum series *&c. usque ad initium Chronici*, Primus omni Asia, *excluduntur ab omnibus membranaceis præter tertium Vaticanum*. Hæc Pontacus, qui pergit eadem Nota in utramque partem disputare

de

de eorum αὐθεντίᾳ: ita tamen, ut quæ pro illis affert argumenta, infirma admodum ſint, & longe infra alia quæ contra. Itaque, ne quid diſſimulemus, nos heic priora illa, licet alieno loco, ipſius verbis commemorabimus, ſecunda in opportuniorem locum, ſcilicet ad §. XIII. rejicimus. *Non deſunt tamen*, inquit, *rationes, quibus germana eſſe videantur: tum quia Euſebius ait ſe in* priore libro, *ſeu quod magis urget*, libello (*ſic enim nonnulli MSS.*) quamdam materiam futuro operi omnium regum nomina prænotaſſe; Chaldæorum, Aſſyriorum, *&c. uſque ad* Latinorum, qui poſtea Romani nuncupati ſunt: *quæ omnia illis optime conveniunt* (nos tamen contrarium adſtruimus, præcipue §. XIV.): *tum quia ſub finem hujus Exordii pollicetur, quod præſtat in Chronico:* modo autem ad annum Abraæ annum ad annum comparabimus (ſed hæc ſcribere etiam facile potuit atque adeo ſcripſit, quicumque Euſebii perſo-

nam ementiri sibi proposuerat): *Facit ad hæc Marcellini Comitis testimonium qui . . . . .* (sed hoc jam satis superque a nobis est refutatum argumentum). *His adde quod cum Bedæ, Ado & alii plerique citent hæc Chronica, vocant* libros Chronicorum, *seu* Temporum: *at sublato hoc Exordio cum Regum serie, non nisi unicus dici poterit*. Hoc postremum argumentum attingit Pontacus etiam in Apparatu, quo loco exponit quibus nominibus Chronicum Eusebii fuerit laudatum: *Aliis* (inquit ibi) libri Chronicorum, *ut Bedæ, Adoni. cur autem potius* libri, *quam* liber, *vide quæ diximus pag.* 224. *C. D.*: eam nimirum Notam indicans. Sed Adonis verba aliquot jam protulimus §. X., tum Bedæ suo loco producemus, ex quibus quidem apparet dixisse eos *in Chronicis*, & *juxta Chronica eadem*: quod & ab Augustino & aliis ab ipso Pontaco in Apparatu laudatis, eleganter factum est. sin autem iidem scriptores

alibi,

alibi, aut alii, *libros*, dixerunt, non *librum* Chronicorum; reponi possit, Chronicum Hieronymianum ex duabus partibus, seu mavis libris, constare, quorum posterior sit ipsa Hieronymi continuatio. sed de his satis. Ut in viam redeamus: alter testis, æque fide dignissimus, Scaliger, cum multos se evolvisse libros antiquos hujus Chronici tradat, quo loco agit de artificio quo erat dispositum, eosque multum inter se diversos; tamen, ut supra §. VI. vidimus, unum invenit quem Freherianum & sane *luculentum & optimæ notæ* vocat, in quo ea additamenta haberentur: in quibus tamen ipsis non levis momenti accessio occurrit, sive interpolatio, præcipue ubi anni ab Adam ad diluvium computantur primum juxta calculum septuaginta Interpretum, tum etiam juxta textum hebraicum. huic libro similem, sed mutilum, habuisse Pontacum ex ejus Notis apparet. Ex his itaque omnibus ipse per te judices

 velim,

velim, Lector, quid de antiquitate harum Additionum statuendum sit: & num eas Marcellinum in suo codice habuisse verisimile sit, quæ ab omnibus antiquioribus, ac in plerisque etiam minus antiquis desiderantur. quantum ego judico, cum nec S. Hieronymus aliud præter quam Chronicum cum Prologo sit interpretatus, nec additiones illæ ab antiquis scriptoribus laudatæ, aut veteribus libris insertæ appareant; eas paucis ab hinc sæculis ab impostore aliquo Hieronymiano Chronico affictas, ex parte quidem ex aliis Chronicis, sed potissimum ex sacro Geneseos libro compilatas crediderim. Non levia sane indicia sunt, quisquis hæc finxit, græcam versionem, seu potius latinam ex illa expressam præ oculis habuisse, etiam si in annis ab Adam ad diluvium hebraici textus computum sequatur. Utrum vero lectio codicis Freheriani, an vulgaris, sincerior sit habenda, æque mihi est incertum atque

ἀδιά-

ἀδιάφορον : sed si conjecturis dandum est aliquid, subit opinari neutram lectionem primigeniam esse, & ab ipsa primi impostoris manu; sed utramque ab aliis ejusdem furfuris hominibus fuisse interpolatam, vulgarem autem imprimis. Cedo, inquies, hujus tuæ conjecturæ caussas. eccas. Primum, ut ante innuimus, nomina aliquot propria ex græci textus pronuntiatione efferüntur, ut est illud *Gaidad*, qui fuit Cain nepos, quemque nos dicimus ex Hieronymi versione *Irad*: secundo, quamquam in vulgata lectione, ab Adamo ad diluvium, anni quo quisque filios suscepit, juxta Hebræos tantum computentur, ubi tamen primæ illius ætatis spatium omne colligitur, a Græcorum calculo initium fit, his verbis: *Ab Adam usque ad diluvium anni sunt MMCCXLII.*; tum adiicitur: *secundum Hebræorum numerum, anni MDCLVI.*: tertio, a diluvio usque ad Abraham, posthabita in utraque, tum vulgari tum

 Fre-

Freheriana, lectione (quamvis hic codex, ut diximus, in priori illa usque ad diluvium ætate, annos quibus genuerunt Patriarchæ, juxta utrumque calculum, græcum primum, tum hebræum, recenseat) hebræi textus & computi ratione, pari consensu generationibus singulis recensitis juxta τοὺς LXX. tantum, demum concluditur: *Ab anno diluvii usque ad nativitatem Abraæ, sunt anni MLXXII.* Cainan nimirum secundo inter ceteros computato, de quo alibi. Ex his itaque omnibus illud colligi posse videtur, primitus in hoc *Exordio* initas fuisse tantum rationes ad Græcorum computationem; postea vero a Freheriani codicis scriptore addita nonnulla fuisse, potissimum Hebræorum ex Vulgata nostra computandi modum ab Adamo ad diluvium: demum alium librarium, exemplar Freherianum aut simile aliud exscribentem, brevitatis gratia omisisse duplicem illum juxta Græcos

 & He-

& Hebræos computum, & huic tantum secundo locum dedisse in suo codice, ex quo postea vulgaris lectio *Exordii* prodierit. Hæc quidem ita facta fuisse, mihi sit verisimillimum: utcumque tamen res cesserit, parum aut nihil nostra interest. Viderint illi potius qui has quisquilias pro Hieronymianis mercibus venditant, si quid melius proferre valeant. Ego de his, rursus dicam, minime sollicitus sum: dummodo constet ea nec Hieronymo ut interpreti, nec Eusebio ut auctori, esse adscribenda: sed hoc secundum nimirum est, de quo modo ex instituto est agendum.

§. XII. Exordium *illud* libri *omnino abhorret ab Eusebii ingenio & eruditione: quare ipsi injuria adjudicatur.*

QUisque facile jam per se videt, quantum valeant & quo spectent, ea quæ a nobis hactenus disputata

putata sunt de *Exordio libri* potissimum, Hieronymo falso adscripto: verum, ut appareat, hæc ipsa quæ in quæstionem veniunt, nec ad primum Eusebii de Temporibus librum spectare, nec omnino ab ipso scripta fuisse; agedum, ex supra allatis indiciis ipsorum instituatur examen. brevi tamen negotium hoc totum conficere curabo, ne prolixitas tædio sit lectoribus. Primo itaque loco quæri potest, Num ea referant Eusebii ingenium atque indolem? quisquis sane in ejus scriptis vel obiter sit versatus, probe noverit qua esset eruditione instructus, quanta bonorum librorum copia abundaret, quam frequens ac fere assiduus esset in exscribendis sententiis gravissimorum Scriptorum non Ecclesiasticorum modo, sed etiam gentilium. Nihil hujusmodi apparet in his additamentis; jejuna prorsus sunt, frigida, inepta. Pauca producere sufficiet, ut lector quasi in rem præsentem veniens, ipse per se judicare

possit.

Poſſit. *Quibus ita perfectis* (agit de ſole & luna) *manifeſtum eſt luminibus ipſis antecedere lucem tribus diebus : unde mihi videntur Ægyptii* (*) *cete-*

raque

(*) Qui hæc ſcripſit, ne ſciſſe quidem ſe prodit, quod nemo ignorat: annum nempe Biſſextum a Julio primum Cæſare fuiſſe inductum, ut anni periodum ad Solis curſum quam maxime accommodaret. Nam quod is Ægyptiis potiſſimum, & jam inde uſque a remotiſſima antiquitate hoc inſtitutum adſcribere videtur ; ſciendum, verum quidem eſſe, ſi fides Diodoro Siculo & Straboni in eo eſt habenda, ſacerdotes Thebes & Heliopoleos annum ſolarem agnoviſſe diebus CCCLXV. conſtantem ac præterea horis ſex: ſed illud certiſſimum eſt, Ægyptiis in uſu fuiſſe annum, qui *Nabonaſſari* dicitur, quique CCCLXV. diebus conſtabat abſque ullo intercalari. Cenſorinus : *Ægyptiorum annus civilis habet dies CCCLXV. ſine ullo intercalari. itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus eſt, quam naturale quadriennium, eoque fit ut ann.* MCCCCLXI. *ad idem revolvatur principium*. Paria fere habet Geminus, Elem. Aſtr. cap. VI. Nihilominus Macrobius intercalandi quarto quoque anno diei morem ab Ægyptiis mutuatum Cæſarem ſcribit lib. I. Saturn. : nam cum cap. XII. dicat, ex perſona Aurelii Symmachi : *Anni certus*

modus

ræque gentes hoc sequentes decretum, quattuor annis impletis diem integrum superfluum adiicere, quem etiam bissextum nominavere (al. *quod etiam bissextum solent nominare*). *Nam cum tres dies istos* (nimirum, qui solis & lunæ creationem præcesserant) *computare qui sint, atque recogitare voluerimus, unius anni centesimam vigesimamque*

---

modus apud solos semper Ægyptios fuit, capite demum XIV. addit: *Post hæc* (Cæsar) *imitatus Ægyptios, solos divinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus singulis tricenis sexagintaquinque & quadrante cursum conficit, annum dirigere contendit*: postremo cap. XV., ex persona Hori Ægyptii: *Dies quidem hic, inquit, intercalaris, antequam quintus annus incipiat, inserendus cum Ægypti matris artium ratione consentit*: &c. Verum de Sosigene peritissimo Astronomo & sectæ Peripateticæ Philosopho, in consilium a Julio Cæsare adhibito constat, de Ægyptiorum sacerdotibus non item. Vide Plin. lib. XVIII. cap. 25. de Sosigene, de quo etiam consulendus est Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Græc. lib. III. cap. V., pag. mihi 300.: qui quidem eum & *Ægyptium* dicit, sed nullo teste in confirmationem ejus rei, ut in reliquis facit, producto.

que partem istam esse cognoscimus (al. *conoscemus*). *Centesima autem & vigesima dies invicem computata ista tertia pars esse anni dignoscitur*. Num hæc, quæso, redolent ingenium hominis in Græca Romanaque historia peritissimi? num hominem omnino sanum ratio illa indicat, propter quam diem quarto quoque anno intercalari solitum tradit? Sed audiendus Scaliger ita de his pronuntians: *Ridicula tam Scripturæ expositio, quam bissexti ratio. Centum viginti, inquit, sunt tertia pars anni: atqui hoc modo annus fuerit tantummodo dierum CCCLX. Si dixisset centum viginti duo, nihil esset quod obiici posset. Nam hoc modo annum bissextilem innueret, qui est dierum CCCLXVI., quorum tertia pars manifesto sunt CXXII., non, ut hic dicitur, CXX. Hæc omnia non sunt nauci, quamquam similia nescio quæ & apud Eusebium, Chrysostomum & Epiphanium, & alios veteres reperiantur*. Quam vellem, ut hic loca illa *nescio quæ his similia*

apud Eusebium præsertim, indicasset. Sed personatum Eusebium interim audiamus. *Tertia ergo addita parte annali quadriennio, dies* (al. *annuali, quadriennio dies:* ita Scalig. & melius) *integer completur, atque ad partium partes, menses atque anni superflui computantur, quos Hebræi quidem Embolismos vocare solent, Ægyptii autem exaltationes siderum atque stabilitates appellant; immo bissextum, ob rememorationem lucis atque dierum & noctium, quæ luminibus triduum antecesserunt, celebratur ideo, quod tres dies sine auctore sole processerunt:* &c. Quid ad hæc Scaliger? *Horum atque sequentium miseret me atque adeo pudet. Pars annualis, inquit, nempe CXX. dies, constituunt unum diem, qui in fine quarti anni absoluti adjectus bissextum dicitur. hoc est CXX. dies. Si non est hallucinari, quid aliud sit nescio.* Et: *Embolismi Hebræorum sunt quæ Ægyptiis exaltationes siderum atque stabilitates, inquit, hoc est, ut Græci vocant,* ὑψώματα καὶ στηριγμοὶ

τῶν

τῶν πλανητῶν ἀστέρων: *Quid mensibus lunaribus cum stationibus aut exaltationibus errantium? Insaniam si hæc confutem, aut si credam ab illis præstantissimis scriptoribus Eusebio aut Hieronymo profecta*. cetera. Merito sane ea risit & exsibilavit Scaliger: quare operam perderem, si in ejusmodi ineptiis confutandis immorarer. Sin vero ea quispiam, ut Vallarsius, defendere se posse contra Scaligerum, aut intelligere opinatur, ipse melius declaret atque explicet, *& erit mihi magnus Apollo*: sciat tamen se nihil perfecisse, quum dixit, *captare Eusebium ex Ægyptiorum anno elegantem potius quam veram Scripturæ expositionem*; &, *loqui illum ex Ægyptiorum prisco sensu, quum annum duodecim quidem mensium, menses vero triginta dumtaxat dierum periodo clauderent, antequam ἐπαγόμεναι, seu quinque illi dies postremo mensi ...... adiicerentur. Tunc nempe tertia pars anni centum viginti diebus constabat; & cum duabus horis unamquamque partem* abun-

abundare intelligerent, ideſt ſex horis unumquemque annum, ſingulis quadrieniis diem integrum intercalarem horarum XXIV. addebant. Quid enim aliud, obſecro, hoc ſibi vult, quam annum intercalarem dierum CCCLXI. comminiſci, & priſcis Ægyptiis concedere, ut ſex horarum diſcrepantiam prius agnoverint, quam dierum quinque, quos poſtea in fine anni addiderunt, defectum deprehenderint. Sed de his ſatis.

§. XIII. Exordium libri *in multis diſcordat ab Euſebii Chronico: quare ab eo non fuit ſcriptum.*

VIdendum ſecundo loco eſt: Num ea quæ in *Exordio* illo *libri* traduntur, cum iis quæ traduntur in Chronico, probe concordent? Sed nobis hunc laborem adimit Pontacus, qui licet in illam opinionem inclinaret quam modo Vallarſius acriter tuetur, ut liquet ex ejus Apparatu & ex Nota in illud

lud *Exordium libri*, cujus ſupra partem quamdam protulimus; tamen hac eadem in Nota demum obſervat: *Obſiſtunt tamen nonnulla, quo minus tamquam genuina ita certo admittantur: ut tot membranarum auctoritas, quæ cum iſta non habeant, clare negant eſſe Euſebii. Præterea minus reſpondent inter ſe hoc Exordium & Chronicon, cum plura ibi promittantur, quam quæ in hoc præſtentur: ut dum ait, ſe* ſeriem temporum deſcripſiſſe per tempora Dictatorum cum Conſulibus ordinariis: *item ubi ait*, ſe notare tempora & conſules, ſub quibus Alexander finem fecerit Judæis, vel Veſpaſianus Templum deſtruxerit, *& alia id genus, quorum nulla in Chronico fit mentio: adde, quod ſummæ annorum a diluvio ad Abraam, & aliæ non conveniunt cum Chronico: inter quæ malo hærere, quam alterutrum obfirmato animo aſſerere.* Idem tamen magis aperte judicium de his ſuum explicat aliquanto poſt, cum in illa *Exordii* verba, *Ab anno*

diluvii usque ad nativitatem Abraæ sunt anni MLXXII., hæc postremo loco adnotat: *Hic tamen offert se se difficultas, qui concilianda sint ista cum iis quæ habentur in Præfatione, & circa annum Christi tricesimum, ubi a diluvio ad Abraam numerantur tantum anni DCCCCXLII., idque suffragantibus omnibus libris: quin & ipse calculus Chronici ab orbe, hoc ipsum convincit, quo fit ut XXX. annus Christi sit Eusebio VM.CCXXVIII., cum alioquin si summa illa MLXXII. sumeretur pro DCCCCXLII., exsurgerent VM.CCCLVIII.: & hinc est verisimile, omnia quæ sunt hujus Exordii, minus esse germana.* Hæc Pontacus: nos autem quod ipse *verisimile esse* pronuntiavit, omnino manifestum & evidens esse dicimus, idque tum multis aliis de caussis, tum potissimum quod in hoc a diluvio ad Abrahamum periodo ab Eusebio annis CXXX. discordet; discordet autem, quod Cainan Arphaxadi filium admittat, quem ab Eusebio

mini-

minime agnitum liquet tum ex ejus Patriarcharum Canone apud Syncellum, tum ex ipso Syncello, qui ea de caussa Eusebium sæpius atque acriter incusat (*). Sed audiendus omnino & Vallarsius, Nota A. col. 45.: *Nihil, puto, certius eo est, quod diximus, ab Eusebio fuisse Cainanum huncce alterum Arphaxadi filium prætermissum. Ipse idem Eusebius modo eum tacuit, ubi primum Semi Nationes digessit. Recensent heic tamen tanto consensu veteres Eusebiani libri omnes, editi ac MSS., ut Pontacus qui minima quæque mira sedulitate persequitur, nihil de quo Lectorem suum moneret, heic loci habuerit. Sed neque eum editio Scaligeri tacet, quæ .....*: Et paucis interjectis: *Verene igitur Eusebius, quem sexcentis testimoniis constat Cainanum alterum expunxisse e Patriarcharum albo, heic admiserit?* Arrigite aures, Lectores eruditi, seu potius oculos utraque manu fricate. *Ego*

 (pro-

(*) Vide eumdem pag. 79., 168., 169., & demum 326. edit. Paris.

(pronuntiat Vallarsius) *scripsisse Eusebium haec dico, non suo sensu, sed ex septuaginta interpretum mente: nam & totam annorum quos supputat in reliquis generationibus, seriem usque ad Nachor, recitat ad eorum fidem. Verosimillimum autem* (pergit ille) *arbitror isti Graecorum calculo, quod & factum supra novimus, alium quoque Hebraei, interdum etiam Samaritani exemplaris subdidisse, ut integrum lectori esset, cui vellet accedere. Factum vero librariorum culpa, ut duobus aliis ad compendium libri faciendum omissis, unus iste septuaginta Seniorum calculus, qui vulgo tum temporis obtinebat, reliquus fuerit: tametsi minus ille minusque impendio Auctori operis probaretur*: &c. Fecit hoc quidem Eusebius, quod Vallarsius dicit, sed non in hoc putidissimo *Exordio*: at ibidem nec Cainan istum recensuit, & τῶν LXX. calculum, ut erat in ejus aevi emendatioribus libris, summa fide expressit, & reliquis duobus potiorem habuit. sed de his alias.

alias. Nunc institutam comparationem peragamus. Celebris quæstio dicitur Tillemontio Nota I. in Eusebii Vitam, quam vide, & ea in utramque partem multum agitata, qua disputatur, utrum in Chronico Eusebiano consules ordinarii olim appositi fuerint, nec ne. affirmavit primum Cuspinianus, negavit contra Pontacus: iterum Scaliger asseruit, sed alii rursus, & nuper Vallarsius, Scaligero refragati sunt: nec disputandi finis fuerit, nisi prius submoveatur offendiculum, in quod tum negantes, tum affirmantes misere ad hanc diem impegerunt. Nam qui affirmant, sumunt sibi ex illo *Exordio libri* argumentum, in speciem certum & evidens; sed iis quæ in Chronico habentur, nullo modo respondere valent: contra, qui negant, habent ex ipso Chronico unde suam sententiam egregie tueri possint, sed argumentum ex *Exordio libri* petitum, quantumvis moliantur, eludere satis nequeunt.

 Explo-

Explodatur itaque aliquando *Exordium* illud, male feriati hominis figmentum, quod tamdiu eruditis omnibus imposuit, & ftatim difcuffa caligine liquebit, Faftos confulares infertos numquam fuiffe in illud Chronicum; fed tantum, adfcriptum fpatium Confulum, ut conftaret quoto tempore rem Romanam confules adminiftraverint. Cetera quæ habentur in eo *Exordio* iis oppofita & contraria quæ traduntur in Chronico, brevitatis cauffa omittam fufius exponere: nam quæ potiffima inter utrumque occurrit difcrepantia, in annis nempe a diluvio ad Abraham recenfendis, jam fupra §. IX., & X. non perfunctorie expenfa a nobis eft, & infra rurfus erit penitus excutienda. reliquas minoris momenti indicaffe Pontaci verbis fuffecerit, ut lector per fe, fi velit, exactam comparationem inftituere poffit.

§. XIV.

§. XIV. *Quæ dicitur* Regum Series *ad priorem Eusebii librum non spectat, nec aliud esse videtur quam index quidam Chronici.*

QUod restat in proposito examine quærendum postremo loco, est hujusmodi: Num Prolegomena illa scopo & instituo Eusebii respondeant, atque conveniant? versatur autem quæstionis cardo potissimum circa partem illam, quæ *Series Regum* dicitur: nam quod spectat ad primam partem, in qua Eusebius compendiose res a mundo condito ad Abrahamum usque recensuisse vulgo creditur, fateri oportet, eam saltem ne minimo quidem cum detrimento aut incommodo omitti potuisse: quandoquidem ipse in Prologo jam indicaverat, se instituere velle comparationem Historiæ sacræ cum profana, profanam autem initium capere a Nino, qui ex ipsius sententia esset Abra-

hami contemporaneus. Hæc, inquam, in Prologo: quare nulla caussa erat, cur præmitteret compendium Historiæ jam inde ab initio mundi: præcipue cum eam quoque partem, quantum sat erat, complesset in eodem Prologo, cum annos ab Adam ad diluvium & a diluvio ad Abrahamum, ex sacris Scripturis, breviter notasset. Quoniam igitur de *Serie Regum* agendum hoc loco est, quam itidem in plerisque libris manu exaratis desiderari ex Pontaco jam didicimus, videamus quod de illa ferendum sit judicium. Ipsam ego nihil aliud esse censeo (quidquid alii dixerint) quam indicem Chronici: inde nimirum incipit, unde illud, & quæcumque habet, in Chronico fere omnia habentur: exempli gratia, regum Sicyoniorum catalogus non incipit ab Agyaleo primo rege, sed ab Europe, de quo initio Chronici: & quoniam ibidem Regum Ægyptiorum decimasexta Dynastia cum Abrahami

mi ætate componitur, in hac quoque Regum ſerie, omiſſis ſuperioribus, quas tamen ſingillatim enumeraſſe Euſebium in libro qui intercidit, ex Gregorio Syncello conſtat, initium fit ab eadem Dynaſtia XVI.: tum, quia in Chronico Hebræorum ſeries incipit ab Abraham, & hujus anni centum, uſque ad ortum Iſaaci; tum Iſaaci anni ſexaginta, uſque ad nativitatem Jacobi, & ſic deinceps, computantur: ita in hac *Serie* Abrahæ anni C. ἁπλῶς tribuuntur, LX. Iſaaco, &c. Ex quibus omnibus, ut dixi, hanc *Regum Seriem* non aliud eſſe arguo, quam indicem quemdam ipſius Chronici, & eum non a Hieronymo, ſed multis poſt illum ſæculis compactum; cujus quoque rei hæc indicia ſunt: quod nemo antiquorum de illa *Serie* loquatur: (nam quæ in noviſſima editione ex Syncello græca fragmenta eidem apponuntur, ex ipſius Syncelli collatione facile cognoſci poterit, ea nihil

pror-

prorsus ad rem facere): tum, quod in ipsis seriebus ordinandis temporum ratio non semper habita fuerit, ut cum Hebræorum & Ægyptiorum series ultimo fere in loco recensentur, quæ primas sibi sedes jure vindicassent: denique, quod in plerisque, iisque antiquioribus, libris MSS. non legantur, & in paucis illis qui habent, quædam in fine addantur, quæ minime ad Eusebium aut Hieronymum referri possunt: quas additiones ex Parmensi quodam MS. edidit Vallarsius colum. 84., & alias fere similes Pontacus, quem vide colum. 43. edit. Veronen. Verum, dicis caussa, concedamus *Seriem* illam ab ipso Eusebio, aut Hieronymo ad nos pervenisse: quæri adhuc possit, num ea ipsa sit quam Eusebius in Prologo se collegisse scribit, ut *materiam futuro operi*, seu Chronico construendo, sibimet suppeditaret. Id sane Vallarsius constanter affirmat, sed quam ab omni

veri

veri speciè abhorreat, mox videbimus.

§. XV. *Primi illius de Temporibus libri Argumentum & materies ex Prologi græco textu declaratur.*

EUsebius ipse, ut vidimus, Prologi in Chronicum initio satis declarat, quæ sibi fuerit scribendi de Temporibus caussa: nempe, quum legisset scripta eorum qui antea in eodem argumento versati fuerant, Clementis præsertim, Tatiani & Africani, cognoscere ipse voluit recte ne, an secus, rationes suas subduxissent, præcipue autem num id verum esset, in quo ipsos comperiebat summo inter se consensu convenire, Moysem nimirum Inacho æqualem fuisse. Ad eum finem duo sibi necessario præstanda esse vidit: primum, ut sacram Historiam totam, itidemque profanam, ex suis quamque fontibus ad sua usque tempora derivaret, ac per partes singulas

gulas seorsum explicaret ac stabiliret: quod sane non nisi magno cum labore & studio, tum in colligendis, tum in comparandis inter se & excutiendis antiquorum sententiis, fieri poterat: secundum, ut utramque Historiam, sacram dico & profanam, sic probe jam enucleatam & expensam, per annos expansos simul componeret & in unum quasi corpus compaginaret: ut eo pacto appareret demum, quæ vel in eadem tempora convenirent, vel ætate posteriora aut anteriora essent. Porro his duabus Operis sui partibus duos etiam libros destinavit: hoc enim secundum in Chronico videmus ab eo præstitum, primum illud in alio seorsum libro se præstitisse ipse profitetur. Audiamus rursus, quibus ipse verbis mentem suam & utriusque a se scripti libri argumentum exponat, non, ut antea, Hieronymi interpretationi insistentes, sed græco textui, unde apertior Eusebii sententia erui poterit.

Et

Et quoniam græcum illud Fragmentum satis concinne & eleganter interpretatus est Scaliger in Animadv. in lat. Chron. pag. 11., & quidem eo consilio, ut Hieronymianæ versioni suam opponeret; eam nos transcribemus, ut Goari potius versio cum eadem comparata, quam sit multis locis vitiosa, deprehendatur. sed & Scaligeri ipsius interpretationem, ubi opus fuerit, in Notis nostris castigabimus.

INI-

INITIUM PROLOGI

Ex Georgio Syncello,

Ὡσαύτως (†) Εὐσέβιος ἐν τῷ προοιμίῳ τοῦ Κανόνος ὧδέ πως γράφων συμμαρτυρεῖ.

Μωϋσέα γένος Ἑβραῖον, (a) προφητῶν ἁπάντων πρῶτον, ἀμφὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν (b), λέγω δὲ τοῦ Χριστοῦ, ἀμφί τε τῆς τῶν ἐθνῶν

(†) Hæc Syncellus præfatur: idem pag. 63. μαρτυρῶν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τοῦ Κανόνος αὐτοῦ προλόγῳ, κ. τ. λ. *Quamvis ipse*(Eusebius)*refletur in Canonis sui Prologo*, &c.

(a) Ita legendum cum Scaligero, ficut infra de Abraham, Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος. Goarus, quem Vallarsius sequitur per omnia, Ἑβραίων; at in margine per conjecturam, κατὰ γένος Ἑβραῖον.

(b) Τοῦ σωτῆρος ἡμῶν edidit Scaliger, pro quibus Goarus τοὺς πρὸ ἐξ ἡμῶν, quæ sententiam aut nullam aut obstrusissimam reddunt: sed, quod sequitur λέγω δὲ τοῦ Χριστοῦ, & Hieronymi versio, *ante adventum Domini Salvatoris*, in-

EUSEBII IN CHRONICUM

pag. 65. & seq. ed. Paris.

Eodem modo Eusebius in Procemio Canonis ita scribens contestificatur.

MOsem genere Hebræum, qui prophetarum omnium primus, de Salvatore nostro, de Christo inquam (1), & de ea quam Gen-

innuunt hoc loco vel σωτῆρος, vel κυρίου ἡμῶν esse legendum. Duo MSS. Regii, quos cum Goari editione diligenter contulit Antonius Pouget monachus San-Germanensis, & ex quibus in sequentibus Notis non paucas emendationes producemus, nihil tamen habuisse videntur hoc in loco a Goari editione diversum: nihilo tamen secius textum depravatum ad Scaligeri lectionem restituendum conjicio.

(1) *De Christo inquam*, sic infra *Homero inquam*: quod tamen minus latine dictum: Vid. Gerhardum Joannem Vossium in libro de vitiis Latini sermonis, & Vorstium de Latinit. merito suspecta.

ἐθνῶν δὲ αὐτοῦ θεογνωσίας χρησμοὺς, καὶ λόγια θεῖα (a) γραφῇ παραδεδωκότα (b), τοῖς χρόνοις ἀκμᾶσαι (c) κατὰ Ἴναχον, εἰρήκασιν ἄνδρες ἐν παιδεύσει γνώριμοι, Κλήμης, Ἀφρικανὸς, Τατιανὸς, τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου, τῶν ἐκ περιτομῆς Ἰώσηπος καὶ Ἰοῦστος, ἰδίως ἕκαστος τὴν ἀπόδειξιν ἐκ παλαιᾶς ὑποσχὼν (d) ἱστορίας· Ἴναχον δὲ τῶν Ἰλιακῶν ἔστησαν ἑπτακοσίοις ἔτεσιν (e) πρεσβεύειν. Ἑλληνικῶν δὲ φιλοσόφων, ὅς τίς ποτε ἦν

(a) Θεῖα eſt apud Scaligerum, & quidem ex MS. Regio, ex quo Goari quoque editio expreſſa: in hujus tamen textu θείᾳ legitur, repugnante ejuſdem interpretatione, quæ eſt: *quo ad divina verba quæ ſcriptis tradita*.

(b) Παραδεδωκότα: ita Scaliger, & recte: nam mendoſe in MSS., & apud Goarum παραδεδωκότας: confer ipſius Goari interpretationem ſuperiori Nota deſcriptam, & videbis eam nobiſcum facere.

Gentes per eum adeptæ ſunt, Dei cognitione (1), vaticinia & oracula divina ſcripto tradidit, temporibus æqualem Inacho prodiderunt viri eruditione celebres, noſtri quidem inſtituti, Clemens, Africanus, Tatianus; ex circumciſione vero Joſephus & Juſtus, ſuis quiſque ex antiqua hiſtoria præbitis argumentis: Inachum vero ſeptingentis annis Iliaca anteceſſiſſe ſtatuerunt. Ex Philoſophis autem, quiſquis ille fuit apparatus illius

G adver-

(c) Ἀχμάσαι, uterque MS., & Scaliger: ἀκμάσαι Goarus, & Vallarſius.

(d) Scaliger ὑπόσχοντες.

(e) Ἔτεσιν eſt ex 2. MS. (qui eſt in Reg. Biblioth. ſub num. 3058.) & huic quidem loco omnino neceſſarium.

(1) Melius, meo judicio: *&* *de ea quam Gentes per eum*, ſcilicet Chriſtum, *adepturæ erant Dei cognitione*.

ἦν ἐκεῖνος (a) ἀνὴρ, ὁ τὴν καθ' ἡμῶν συσκευὴν προβλεβλημένος (b), ἐν τῇ δ' τῆς εἰς μάτην αὐτῷ (c) πονηθείσης καθ' ἡμῶν ὑποθέσεως, πρὸ τῶν Σεμιράμεως χρόνων τὸν Μωσέα γενέσθαι (d) φησί. Βασιλεύει δὲ Ἀσσυρίων (e) ἡ Σεμίραμις πρόσθεν ἔτεσι ν' πρὸς τοῖς ρ'· ὥστε ἦναι κατὰ τοῦτον τῶν Τρωϊκῶν Μωσέα πρεσβύτερον ν' καὶ ω' ἔτεσιν. Ἐγὼ δὲ περὶ πολλοῦ τὸν ἀληθῆ λόγον τιμώμενος (f), καὶ τὸ ἀκριβὲς ἀνιχνεῦσαι διὰ σπουδῆς προυθέμην· ἔνθεν ὁρμηθεὶς ἐν μὲν τῇ πρὸ

ταύτης

(a) Ἐκεῖνος desideratur apud Goarum, at est in utroque MS.; & apud Scaligerum.

(b) Idem Eusebius Præp. Euang. lib. X. cap. IX. de eodem Porphyrio, ὃς τὴν καθ' ἡμῶν συσκευὴν ὑπερβολῇ μίσους προβεβλημένος.

(c) Αὐτῷ est apud Scal., deest in Goar. & Vallar. ed.: apud hunc deest etiam paullo ante τῆς εἰς. Porro in utro-

que

adverſus nos molitor, in quarto operis, quod in nos incaſſum elaboravit, ante tempora Semiramidis Moſem fuiſſe dicit. Atqui illa annis CL. ante Inachum Aſſyriis imperavit: ut conſequens ſit Moſem ex hujus ſententia Troicis temporibus antiquiorem fuiſſe annis DCCCL. Ego autem, qui nihil prius habeo veritate, rem accuratius inveſtigare decrevi: atque eo conſilio in priore opere materias mihi quaſdam comparandi ſtudio, temporum argu-

que MS. habetur ἀυτῶν, ſed legendum ἀυτῷ.

(d) Pro γενέσθαι Scaliger habet γεγονέναι.

(e) Goar. addit καὶ: καὶ Ἀσσυρίων: ſed non eſt in MSS. aut apud Scalig.

(f) Τιμώμενος: ita MSS. & Scal., non τιμεύμενος, ut apud Goar. & Vallar.

ταύτης συντάξει (a) ὕλας ἐκπορίζων ἐμαυτῷ, χρόνων ἀναγραφὰς συνελεξάμην παντοίας, βασιλείας τε Χαλδαίων, Ἀσσυρίων, Μήδων, Περσῶν, Λυδῶν, Ἑβραίων, Αἰγυπτίων, Ἀθηναίων, Ἀργείων, Σικυωνίων, Λακεδαιμονίων, Κορινθίων, Θετταλῶν, Μακεδόνων (b), Λατίνων, οἷς ὕστερον γέγονεν ἐπίκλην ὄνομα Ῥωμαῖοι (ὁμοῦ γίνονται ιέ)· ἐν δὲ τῷ παρόντι (c) ἐπὶ τὸ αὐτὸ τοὺς χρόνους συναγαγὼν,

καὶ

(a) Συντάξει. Ita Regius alter MS., & ita jam pridem edidit Scaliger. Goarus ex primo MS. προτάξει, quam lectionem jam rejecimus supra 11., pag. 13. & seq.

(b) Μακεδόνων. Ita MS. alter, non Μακεδονίων, ut in editis.

(c) Ἐν δὲ τῷ παρόντι. Idem valet ac ἐπὶ τοῦ παρόντος, quod alibi Eusebio dictum, ut cap. IX. lib. X. Præp. Euang. & Hist. Eccl. lib. I. cap. I. Sane cum præcedat & sequatur vox συντάξει, ad

eam

menta diversa (1) conquisivi, regna nimirum Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lydorum, Hebræorum, Ægyptiorum, Atheniensium, Argivorum, Sicyoniorum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Thessalorum, Macedonum, Latinorum, qui postea Romani sunt cognominati: quæ simul fiunt XV. regna. In præsenti quidem opere (2) temporibus in unum collatis, an-

eam minime referri τῷ παρόντι potest. Hæc notare placuit, ut Scaligeri & Goari interpretationem castigarem. uterque enim vertit *in præsenti opere*, cum dicere debuissent, ut S. Hieronymus, *in præsenti autem* tantum, aut *hoc autem tempore*.

(1) Non satis expressit Scaliger vim vocum χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας, *temporum enumerationes*, seu *descriptiones omnimodas*, *regnaque*, &c.

(2) Melius: *In præsens autem*, scilicet tempus. Vid. Not. græco textui appositam.

καὶ ἀντιπαραθεὶς ἐκ παραλλήλου τὸν (a) παρ' ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν, χρονικοῦ κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην· εὑρών τε (b) παρ' Ἑβραίοις διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, τὴν μὲν πλεονάζουσαν, τὴν δὲ ἐλλείπουσαν (c), οὐ τὴν ἐμαυτῷ κεχρησμένην, λέγω δὲ τὴν πλήθουσαν, ἥρμοσα, τὴν δὲ ἐνδέουσαν μετῆλθον· πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτω κατὰ μὲν (d) Ἴναχον, ὃν πρῶτον Ἑλλη-

(a) Τὸν habet I. Regius MS. & Scal.; Goar. & Vallarſ. mendoſe τῶν.

(b) Εὑρών τε. Ita uterque MS. & Scaliger: Goar. & Vallar. εὑρὼν δὲ, minus bene.

(c) Ἐλλείπουσαν. Hæc & ſequentia uſque ad μετῆλθον, ſupplentur ex MS. 2., quæ ſane ex primo excidiſſe videntur propter ejuſdem fere vocis repetitionem: quod librariis, ut ſæpiſſime alias contigit, fraudi fuit. Scaliger primum, tum Goarus ad farciendam aliquo modo ſententiam, ταύτην ſuppleverant, quæ in neutro MS. eſt: itaque Vallarſius acute vidit & notavit, hoc loco tex-

norum uniuſcujuſque gentis numeris invicem ex adverſo inter ſe oppoſitis Chronici Canonis opus confeci. Quum autem apud Hebræos diverſas temporum obſervaſſem editiones (1), illam quidem redundantem, hanc vero deficientem (2), *non eam qua alias uſus ſum, redundantem intelligo, adoptavi, ſed aliam deficientem* ſequutus ſum. Nihilominus & ſic

 quo-

textum græcum *aliquot imminutum verbis, mancumque*. Nunc autem reſtituto textu multis obviam itur difficultatibus, quæ ex eo pendebant: tum Euſebius vindicatur a παραλογισμῷ, quod illi impegerunt Scaliger & alii: ſed de his infra.

(d) MS. ſecundus non agnoſcit μὲν, ſed retinere placuit, quia paullo poſt reſpondet ipſi δὲ: κατὰ δὲ τὴν Σεμίραμιν.

(1) Melius, puto, *collectiones*, *ſummas*.

(2) Quæ vides diverſa characteris forma expreſſa, a me addita funt ad lectionem 2. MS. græci. Vid. Notas in eum locum.

Ἕλληνες Ἄργους βασιλεῦσαι φασίν, τῶν (a) Ἑβραίων προπάτορα Ἰσραὴλ γενόμενον εὗρον (b), ἐξ οὗ τὸ δωδεκάφυλον τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους (c) τῆς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπωνυμίας ἠξιώθη· κατὰ δὲ (d) τὴν Σεμίραμιν τὸν Ἀβραὰμ, Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος, ἄλλως δὲ ἄνδρα θεοφιλῆ καὶ πρῶτον τῶν παρ' Ἑβραίοις προφητῶν εἶναι πεπιστευμένον· Μωσέα δὲ, φιλαληθῶς εἰπεῖν, τοῦτον μὲν νεώτερον, τῶν δὲ παρ' Ἕλλησι ἀρχαιολογουμένων ἁπάντων πρεσβύτερον,

Ὁμή-

(a) Φασὶν, τῶν Ἑβραίων. Ita uterque MS.: at editi φασὶ, τὸν Ἑβρ.

(b) Εὗρον habet uterque codex MS. & Scaliger. : Goar. & Vallar. εὑρὼν, male.

(c) Τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους. Goar. edidit τοῦ δὲ Ἰουδ., ſed δὲ non agnoſcunt MSS., nec habet Scaliger.

(d) Κατὰ δὲ, ex utroque MS. & Scalig.: nam mendoſe apud Goar. μετὰ δὲ, qui

quoque Hebræorum progenitorem Iſraelem, a quo Judaicæ gentis duodecim tribus Iſraelis nomine cenſentur, Inacho, quem primum Argis regnaſſe Græci prodiderunt, tempore æqualem fuiſſe reperi: Semiramidis vero temporibus Abraham vixiſſe, hominem quidem natione Chaldæum, ſed tamen Deo acceptiſſimum, qui primus propheta apud Hebræos (1) fuiſſe creditur: Moſem autem, ut verum fatear, infra horum tempora

---

qui alio errore conjecit legendum poſtea τῆς Σεμιράμεως. Vallar. in margine κατὰ appoſuit.

(1) Sic in Chronico ad annum Abrahæ: *Primo omnium Prophetarum Abrahæ* &c., & tamen initio hujus Proœmii Moſes dicitur *prophetarum omnium primus*, quod tamen non ad tempus fortaſſe referri debeat, ſed quod ita dictus fuerit κατ' ἐξοχήν.

Ὁμήρου λέγω καὶ Ἡσιόδου, καὶ αὐτῶν γε τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔτι Διοσκούρων (a), Ἀσκληπιοῦ (b), Διονύσου, Ἡρώων τε πάντων, Ἑρμοῦ τε καὶ Ἀπόλλωνος, τῶν τε λοιπῶν παρ' Ἕλλησι θεῶν, μυστηρίων τε καὶ τελετῶν, Δίος τε αὐτοῦ πράξεων τῶν παρ' Ἕλλησι μνημονευμένων· τούτων γὰρ ἁπάντων τὴν ἱστορίαν νεωτέραν τῆς Κέκροπος ἡλικίας παῖδες Ἑλλήνων παραδιδοάσι (c). Μωϋσέα δὲ ἡ παροῦσα συνεξέτασις (d) τῶν χρόνων γενέσθαι κατὰ Κέκροπα τὸν διφυῆ, ὃν πρῶτον φασὶ τῆς Ἀττικῆς βασιλεῦσαι, συνίστησι, πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἀμφὶ τὰ τυ' ἔτη.

(a) Διοσκαύρων ex MS. 2., alii Διοσκόρων.

(b) Ἀσκλεπιοῦ, ambo MSS. & Scaliger, non Ἀσκλεπίου, ut apud Goarum.

(c) Παραδιδοάσι, ex 2.MS., nam apud Goa-

pora exſtitiſſe, antiquiorem tamen omnibus priſcæ Græcorum memoriæ, Homero inquam, Heſiodo, ipſiſque Trojanis temporibus, Caſtoribus, Æſculapio, Libero patre, omnibus Heroibus, Mercurio & Apolline, reliquiſque Græcorum Diis, myſteriis & initiis, atque adeo ipſis Jovis geſtis, quæ a Græcis memorantur: quorum omnium hiſtoriam infra ætatem Cecropis fuiſſe Græci tradiderunt. Hoc autem examen temporum Moſem ſæculo Cecropis fuiſſe adſtruit, qui primus, circiter CCCL. annis ante Trojana tempora, in Attica regnaſſe memoratur.

§. XVI.

Goarum legitur mendoſe παραδιδώασιν, apud Scalig. παραδιδώκασιν.

(d) Scaliger edidit ἐξέτασις pro συνεξέτασις: ſed recte obſervavit Vallarſius *ἐξέτασιν minus bene Euſebii propoſitum & mentem referre: &, συνεξέτασιν proprie eſſe, per comparationem inquirere.*

§ XVI. *Ejusdem primi libri pretium & moles ex Argumenti amplitudine & Auctoris πολιμαθίᾳ arguitur. Rursus de* Regum Serie.

EX hoc itaque insigni fragmento apparet, quo animo Opus illud de Temporibus scribere sit aggressus Eusebius; nimirum, ut antiquiorum sententias expenderet, & totam præteritorum temporum historiam ad novos calculos revocaret: apparet, ipsi propositum fuisse undecumque colligere χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας, *enumerationes temporum quascumque*, & regna celebriorum gentium: nimirum, ut his temporum & regnorum descriptionibus ad trutinam revocatis, explosisque minus certis & certioribus constabilitis, materiam sibi pararet alteri libro contexendo, in quo quæ jam probasset in primo, quæ vera & consentanea sibimet comperisset, simul componeret & contexeret. Quis itaque

que non intelligit, quam amplum & multiplex fuerit prioris illius libri argumentum? quis cum intelligat, adhuc dubitet, quin Eusebius argumentum illud & potuerit & voluerit erudite & copiose pertractare, quum satis constet eum opulenta lautaque librorum supellectili fuisse instructum, eumdemque in legendo & excerpendo assiduum? quis denique, cum hæc omnia probe noverit, in animum inducat Eusebium nihil aliud fere exhibuisse in primo libro, quam simplicem ac nudum regum catalogum, nullo producto scriptore, unde aut ea regum nomina hausisset, aut regis cujusque annos? præcipue cum non ipse primus eam spartam adornandam nactus esset, sed post clarissimos & eruditissimos scriptores, atque adeo sæpius contra ipsorum rationes, novam ipse editurus esset Chronographiam. Nec opponas eumdem in Chronico rationem subinde & auctoritatem suis dictis adjungere: fecit

cit id quidem, sed raro atque obiter; in plerisque autem facere omisit, quod de ipsis, puto, ex instituto egisset suo loco, id est in primo libro. Neque tamen id modo contendo, Eusebium præ ceteris qui in eodem jam argumento versati fuerant, ad veritatem propius accessisse, & de temporum doctrina optime fuisse meritum: aut, cum aliorum errores corrigere sibi arrogavit, ipsum alicubi non cæspitasse, non id modo agimus, quod alterius & abstrusioris quæstionis est: sed tantum asserimus, eum librum quo hæc Eusebius persequutus est, eruditione varia & pretiosa, undecumque collecta, fuisse refertum, adeoque dolendum maxime esse, quod ad nos usque integer non pervenerit. Periit, scilicet, liber ille Eusebii, non ita tamen, ut nullæ reliquiæ & rudera uspiam supersint, ex quibus ejus molem & pretium quasi ex ungue leonem adhuc conjicere ac probe dignoscere possimus:
quod

quod ex eo libro clarius apparebit, quo Fragmenta illa a nobis jam collecta aliquando edituri sumus. Quod autem *Regum series* illa, quæ ante latinum Chronicum habetur, ea ipsa materia fuerit, quam Eusebius sibimet suppeditaverat ad Chronici compositionem, non dicam asserere, sed vel cogitare (etiam si aliunde non haberemus, quo manifeste refelli possit) adeo per se absurdum ineptumque videri debet, quam quod maxime. Sed quoniam mentio iterum incidit hujus *Regum seriei*, opportunum fuerit, præter ea quæ de ea supra diximus, hoc etiam notare, in ea nullam Chaldæorum regum institui enumerationem. quid ita, quæso? non ne in allato Procœmio Eusebius se primo loco regnum Chaldæorum recensuisse testatur? etiam. Sed quoniam regnum illud ex ejusdem calculis Abrahami tempora præcessit, neque in Chronico ei locus fuit, neque in illa regum serie compareret, quam indicem quem-

dam,

dam, atque elenchum Chronici esse diximus. Præterea non ne idem Eusebius ibidem commemorat Thessalorum regnum inter ea quæ priori libro digesserat? at ne hujus quidem meminit *series Regum*: ratio in promtu est. in Chronico Thessalorum regum seriem texere omisit Eusebius, contentus aliquid de Thessalo & Æmone attingere: idcirco nec in Chronici indice illo haberi potuerunt. Itaque ex quindecim regnorum catalogis, quos prior liber exhibebat, tredecim tantum in ea serie quam habemus, continentur, nec ii omnes integri, ut supra observavimus: adeo ut necesse sit fateri eam plane diversam rem esse a primo illo Eusebii libro.

§. XVII. *Epilogus eorum, de quibus hac I. Parte disputatum est.*

SEd ut ea de quibus fusius disputavimus, brevi omnia sermone complectamur & paucis contrahamus,

mus, pro certo habeatur in decretorio illo textu Prologi, circa quem hucusque versati sumus, indicari priorem quemdam librum de Temporibus ab Eusebio scriptum, eumque tum omnino distinctum a Chronico, tum ab iis longissime dissitum, quæ Chronico adsuta in quibusdam MSS. & in editis habentur: hæc autem adsumenta, primum alieno omnino loco collocari, cum inter Prologum & ipsum Chronicum inseruntur; secundo non habuisse interpretem Hieronymum; præterea, non legi in antiquioribus libris, nec ab ullo idoneo scriptore laudari; demum, ineptissima esse & indigna prorsus quæ Eusebio ipsi adscribantur; postremo instituto ejus minime consentanea: quum ex Eusebio ipso & ex recta ratiocinatione argumentum & materiem primi de quo agimus libri, probe intellexerimus ejusmodi fuisse, cui usquequaque respondeat opinio, quam de ipso viri docti post Scaligerum jampridem

imbiberant animo. Sed hæc hactenus. Quod autem ad Severum attinet, in cujus gratiam hæc primum suscepta disputatio fuit, non est cur opinemur eum, ex Scaligeri sententia, præ manibus habuisse priorem illum Eusebii librum, quem a Hieronymo minime latinum factum vidimus, aut saltem, ex Vallarsii placitis, priorem illam partem Chronici, quam nec Eusebius scripsit: sed ille unum Chronicum cum præfixo Prologo habere potuit, idque proinde unice respexit, quoties *Chronicorum* meminit.



II. DIS-

II. DISSERTATIONIS PARS,

Qua ad principalis Quæstionis illustrationem alia multa cum ipsa connexa pertractantur.

§. I. *Alter ex* Prologo *locus producitur, in quo prioris de Temporibus libri a se jam scripti Eusebius meminit.*



Lter occurrit in Prologo Chronici insignis locus, quem posthac expendere juvabit: nam is est, qui & confirmet magis magisque ea quæ jam asseruimus, & ad alia investiganda aditum patefaciat, quæ quidem ipsa ad propositæ quæstionis illustrationem subservient. Is autem ex Hieronymi interpretatione ita se habet: *Rursum si a prima Olympiade ad superiora tempora & usque ad captivitatem Trojæ provebaris, invenies annos* CCCCVI., *quos & nos in priore Opusculo digessimus, & (al. ut) curiosissima Græcorum historia conscribit.* Confer hunc locum cum illo, de

quo Par. I. ʃ. I., & per omnia concordare videbis: ſicut enim in eo dicitur, *in priori libro prænotavi*; ita heic, *in priore Opuſculo digeſſimus*: cum contra ubi de Chronico ſeu poſteriore libro ſermo eſt, *præſens* (*) aut *ſequens hiſtoria*, *præſens Opuſculum*, *poſterior textus* dicatur, & hæc eadem cum verbis præſentis vel futuri temporis conſtruantur. Sic quemadmodum græcus Euſebii textus in ſuperiori illo loco refert eum collegiſſe *temporum deſcriptiones omnes*, χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας; ita hoc loco ſingularem quamdam indicans temporum enumerationem, quæ a prima Olympiade ad Trojam captam pertingebat habet, *αἱ*

παρ'

(*) Loca ex eodem latino Prologo ſunt hæc. *Cecropem autem præſens hiſtoria Moſi coætaneum oſtendit*. Et: *Horum ſingulos juxta ordinem ſequentis hiſtoriæ ſuis locis inſeremus*. Et: *Quamobrem præſens Opuſculum ab Abraam & Nino uſque ad noſtram ætatem, inferiora tempora perſequetur*. Denique: *Et hæc quidem ita ſe habere, ut præfati ſumus, poſterior textus oſtendet*.

παρ' Ἕλλησι τῶν χρόνων ἀναγραφαί: quibus ſane reſpondent illa Hieronymi, *curioſiſſima Græcorum hiſtoria*, ſed magis ad verbum interpretari poſſis: *quæ apud Græcos* habentur *temporum deſcriptiones*. Itaque ex hoc etiam loco egregie confirmatur, quod jam demonſtravimus: Euſebium nimirum duos ſeorſum libros ediđiſſe, tum in primo enumerationes ſeu Canones omnes ex ipſis hiſtoriæ fontibus collegiſſe. Vallarſius tamen pergit conſtanter in ſuo inſtituto, & *nullus dubitat, quin prius illud* Opuſculum *vocarit ille....* Præfationem, Proœmium, præviam operis ordinationem, *non ſolidum librum omnimodam hiſtoriam continentem quem Scaliger ſomniat, ſed ne Opuſculum quidem proprie, ſi quis aliud hoc nomine, quam* Prolegomena, *ſeu ut ipſa fert inſcriptio*, Exordium libri *intelligat*. Sed quam vellem, ut de ea re tantiſper dubitaſſet, dum in ſuo illo toties decantato *Exordio libri* quæſiſſet, quod heic ſe

præſtitiſſe affirmat Euſebius: fruſtra ſane id requiſiſſet: nam neque in ipſo *Exordio*, neque adnexa in *Serie regum* veſtigium vel minimum ejus rei habetur: nuſquam mentio eſt temporis quo Troja capta, nuſquam ſignificatur, a quo tempore Olympiadum initium ſit repetendum. Non fruſtra tamen in iis requirendis ſuam impendiſſet operam: nam vel ex hoc ſuo irrito conatu, non levi ſane cum lucro deprehendiſſet, aliud prorſus fuiſſe ab *Exordio* opus illud, ſive Opuſculum, in quo hæc Euſebius pertractavit.

§. II. *Reſpondetur Vallarſio, qui ex vocibus* Opuſculum *&* libellus *ſumit argumentum ad ſuam contra Scaligerum confirmandam ſententiam.*

SEd quoniam prior ille Euſebii liber *Opuſculum* heic dicitur a Hieronymo, itemque alibi *libellus*; argumentum hinc captat Vallarſius, ut Scaligerum vellicet, quod juſtæ

molis

molis librum seu volumen fuisse illud sibi persuaserit, uti nos quoque pro certo habemus. Ut hic quoque scrupulus, si quem adhuc sollicitum tenet, ex ejus animo evellatur, respondebimus pro voce *libello*, plerosque MSS. præferre *libro*, ut notavit Pontacus, qui eamdem lectionem potiorem habuit, & sequutus est. itaque ex eo loco nihil adversus sententiam nostram statui potest, præsertim quum ex supra dictis satis constet ab Eusebio usurpatam ibi fuisse vocem *συντάξει*, quæ *Commentarium*, seu librum *ἁπλῶς* significat. Quod vero ad significationem vocis *Opusculum* attinet, non ita quidem illa angustis finibus, ut *libellus*, coartatur: itaque in hoc eodem Prologo Chronicum ipsum, quod tamen non exigui adeo voluminis esse videmus ob continuos numeros & varios regum tramites, ut pro justæ molis libro haberi non debeat; a Hieronymo vocatur *Opusculum*: *Quamobrem præsens Opusculum*, &c.: quibus

tamen in Græco textu respondent, ἡ παροῦσα συνεξέτασις τῶν χρόνων : ad verbum, *præsens temporum comparatio* (*). Sane, si & ea verba, *quos & nos in priore Opusculo digessimus*, in græco textu haberentur, inde clarius appareret Eusebii mens, tum forsitan Hieronymianæ interpretationis liberior hoc quoque in loco licentia, cujus tam multa exempla habentur in eo ipso Prologo, quot fere græca quæ exstant, versibus constant. Verum cum, ut diximus, Eusebius primum illum librum appellaverit σύνταξιν, atque in eodem fuerit per omnem, quaqua patet, antiquam historiam exspatiatus, non est cur dubitemus de ejusdem libri mole. Dubitari potius possit, num Hier-

(*) Idem S. Hieronymus lib. I. c. Ruf. num. XI. *Opuscula* vocat Chronicum, & librum de Locis Hebr. *Laudavi* (inquit) *Eusebium in Ecclesiastica Historia, in Digestione Temporum, in Descriptione Sanctæ Terræ: & hæc ipsa Opuscula in latinum vertens, meæ linguæ hominibus dedi.*

Hieronymus, licet probe sciret duos de temporibus libros Eusebium scripsisse, primum tamen illum de quo quærimus, umquam legerit aut viderit: cum neque ex eo testimonia uspiam produxerit (quod sane multis in locis facere commode potuisset, præcipue cum libro Quæstion. in Genesim, de annorum in Patriarcharum generationibus discrepantia inter Hebræorum, Samaritarum Græcorumque textum sermonem instituit: in quo jejune admodum ille, Eusebius autem copiose exacteque versatus est); neque ejus quoque cum Chronico interpretandi consilium ceperit: quod facere eum par fuisset, si præ manibus illum habuisset. Et quoniam huc sermo transgressus est, non omittam obiter indicare locum unicum, quo Hieronymus de illo primo libro videtur certius aliquid pronuntiasse: nam quum multis in locis ita loquatur, ut quidquid Eusebius de Temporibus scripsit, a se latina lingua donatum innuere videa-

deatur; in libro tamen de Vir. Ill., cap. quidem LXXXI., quod est de Eusebio, huic tribuit *Chronicorum Canonum omnimodam historiam & eorum Epitomen*, capite vero ultimo, quo sua scripta recenset, a se versum in latinum recenset tantum *Chronicum omnimodæ historiæ*, quod *Epitomæ* respondere videtur. Sed de his infra.

§. III. *Proponitur Quæstio, utrum quæ Præp. Evang. lib. X. cap. IX. extant, ex Prologo ad verbum decerpta fuerint. tum de græcis Fragmentis ex eo capite sumtis & substratis latino Prologo.*

SEd alia quæstio occasione hujus loci proponi potest, in speciem quidem exigui momenti, sed quæ reapse plurimum intersit, magnisque difficultatibus enodandis, ut videbimus, viam nobis quasi sternat. Observat Vallarsius, quod nos ipsi paullo ante notavimus, verba illa, *quos & nos in priore Opusculo digessimus*, non habe-

haberi in græco textu: pergit tamen monere, non ideo putandum *ea de ſuo Hieronymum addidiſſe, ſed Euſebium propria recolentem peregrino in loco, utpote minus ibi propoſito inſervientia, præteriſſe*. Equidem nemo ſanus putaverit Hieronymum de ſuo verba illa addidiſſe (cur enim ea addere debuiſſet?) & proinde extitiſſe in græco Prologi textu minime dubium eſt: ſed quod in quæſtionem vocari poteſt, hoc eſt, num habeamus græcum ejus loci textum. Itaque videndum eſt primum, unde ſumtum fuerit græcum illud fragmentum, quod Prologo a Vallarſio ſubſtratum fuit, quodque antea a Scaligero inſertum fuerat græcis Euſebii Reliquiis: tum inquirendum utrum ex hoc Prologo κατὰ λέξιν decerptum fuerit. Scaligerum primum audiamus in Animadv. pag. 13. col. 7. in ea verba Hieronymianæ interpretationis, *Quadrageſimo ſecundo anno imperii Auguſti*. *Hactenus*, inquit, *quid in iis quæ exſtant græcis vertendis præſtite-*

ſtiterit, & quid ſecutus ſit Hieronymus, ex ejus latinis diſcere potuimus: in reliquis, quia græcis deficimus, nihil pronuntiamus. Eruditum vero lectorem fugere non poteſt, majorem partem ſequentium exſtare græce in x. Προπαρασκευῆς, *eamdemque diſputationem de* XLII. *anno Auguſti*, XV. *Tiberii*, *& ſecundo Darii ibidem ab Euſebio iterari, quorum major pars eſt ab Africano*. Fatetur itaque Scaliger ea ſe ex Præp. Euang. libro X. ſumſiſſe ad continuandum aut ſarciendum quomodocumque Prologi græci textum: ſed quia non ex ipſo Prologo ab Euſebio tranſcripta ad verbum credidit, ideo parcendum ſibi eſſe prudenter duxit ab eorum comparatione cum Hieronymi interpretatione inſtituenda. Hanc tamen Scaligeri moderationem in peſſimam partem accepit Vallarſius, ut ex Nota D. col. 17. apparet. *Iniquior vero* (ejus verba ſunt) *in S. Interpretem Scaliger, cujus hæc ſunt inſultantis verba*: Hactenus quid ....(ut ſupra: ſequitur

Val-

Vallarsius) *At græca heic deficere & falsum manifeste est , & contra ejusmet animi conscientiam , qui alterum Fragmentum ex Præparatione Euangelica sumtum novit ante nos , atque excudit . Dixisset , sibi ex utriusque textus collatione non suppetere , quod suis contumeliis proscinderet .* Persuasum itaque Vallarsio Fragmentum illud , quod ex Præp. Euang. sumtum fuit , ab ipso Eusebio ex Chronici Prologo transcriptum , quod expressius declarat in Nota G, col. 18. & seq. , his verbis : *Quæ heic interjacet græci textus lacuna , horum modo verborum est apud Hieronymum* : quod ne cui dubium videatur, sequens ratio sic probabit . *Quæ vero subsequitur satis longa pericopa (tametsi tres aut quatuor priores versus in verborum structura abs Hieronymiana versione abludant) ex iis tamen erat , ut & Scaligero placuit* (Ubinam , quæso , hæc Scaliger ? aut quî id ei placere potuit , qui minime crederet textum Prologi in Præp. Euang. librum fuisse transfusum ,

sed

ſed tantummodo *eamdem diſputationem* ibidem *ab Euſebio iteratam?*) *verbis incboanda*: *nam & ibi plane idem eſt ſenſus, atque ordo ſermonis, ac porro in reliquis ita & ſenſu & verbis* κατὰ πόδα *cum Interprete conſonat, ut nihil dubium ſit, quin eadem illa ſint verba, quæ in ſuo exemplari S. Interpres invenit, ſibique propoſuit transferenda. Jam vero illam, quod Scaliger notare prætermiſerat* (non prætermiſiſſe autem, ejus verba paullo ſupra allata ſatis declarant), *monemus deſcripſiſſe nos, bucque tranſtuliſſe ex ipſomet Cæſarienſi Euſebio, libro decimo Præparationis Evangelicæ capite undecimo* (lege, *nono*) *ubi de Moſis & propbetarum Hebræorum antiquitate diſſerens, & quam ipſe inſtituerat, novam Cbronologiæ rationem exponens, ſuamet verba ex Cbronico bocce opere laudat ac repetit.* Κἀγὼ δὲ, *inquit,* καινοτέραν..... *Quæ cum latius*, ſequitur Vallarſius, *iiſdemque verbis adduxiſſet, ad rem confirmandam, fidemque nobis faciendam, ſubdidit:*

ταῦτα

ταῦτα μὲν οὖν ἀποδεικτικῶς ἐν τοῖς ποιηθεῖσιν ἡμῖν χρονικοῖς κανόσιν οὕτως ἔχοντα συνέστη: Hæc a nobis omnia certis argumentis in Chronicis Canonibus, quos elaboravimus, confecta reperies. *Sed & quæ subsequuntur græca fragmenta, scias ex eodem libro huc translata*. Hactenus ille. Videndum itaque & nobis, non concordantibus inter se Scaligero & Vallarsio, utrum Præp. Euang. textus ex Prologo decerptus fuerit, nec ne. Itaque, cum alias soleam, quoties mihi facultas suppetit, Scriptorum quos ab aliis citatos video, meismet oculis loca ipsa recognoscere; id potissimum mihi faciendum esse duxi hac vice. Sumto igitur in manibus volumine Præpar. Euangelicæ, totum illud caput nonum lib. x. perlegi diligenter, singulasque ejus periodos græcas, quæ ad rem facerent, contuli cum Prologo latino, nec non cum ipsis fragmentis græcis eidem Prologo in Vallarsii editione substratis; itaque pleraque convenire

depre-

deprehendi & quantum ad sententiam, & quantum ad ipsum attinet verborum contextum. attamen in nonnullis a Prologi textu multum discordare miratus sum; & quod admirationem auxit, ipsum græcum fragmentum Prologo latino additum minus convenire in aliquibus comperi cum libro Præpar. Euang., unde sumtum dicitur. Neque tamen velim, Lector, ut de Vallarsii fide propterea vel minimum suspiceris: sed sic habeto, ipsum (quidquid dicat, se descripsisse eam pericopen ex ipso Eusebii libro) Scaligeri editionem adamussim expressisse; hunc autem, sicuti quidquid colligere undecumque potuit, in suam illam græcarum Reliquiarum congeriem coacervavit (aliquando Scriptoris alicujus verba cum verbis alterius miscens, nullo fere indicato auctore aut auctoris loco, unde singula sumserit; ut apparet ex postremis fragmentis Prologo ab ipso & Vallarsio aptatis, quæ partim ex

eo-

eodem Eusebii capite, sed non eodem loco, partim ex Clemente Alexandrino, cap. XII. ejusdem libri laudato, partim etiam ex Syncello collecta, simul contexuit) ita sibi quasi suo jure vindicasse, ut Eusebii contextum interpolaret, quo cum Prologo latino, quantum fieri posset, concordaret, post quem demum scriptum Præp. Euang. librum sibi persuaserat, ut ex ejus verbis jam allatis haud obscure colligitur. Hæc de græcis illis fragmentis indicasse sufficiat, ne Lectori fraudi sint: opportuno postea loco ipsas interpolationes indicabimus. Quod muneris modo nostri est, conferendus est diligenter Prologi textus cum citato capite Præp. Euang., ut appareat in quibus inter se conveniant, aut contra dissentiant: id enim probe perspectum habere, non modo juvabit solvendæ quæstioni jam propositæ (nimirum utrum Eusebius libro illi Præp. Euang. inseruerit partem Prologi) sed etiam alteri multo ma-

joris momenti, quam occasione hujus collationis postea instituemus. Collatio autem hæc commode fiet, e regione positis heic Prologi textu, illic latina Præp. Euang. versione a Vigero curata: adhibita etiam nonnumquam in subsidium alia versione jam diu a Georgio Trapezuntio expressa, & ab eo Nicolao V. S. P. inscripta: cujus apud me exstat antiquissima editio, Venetiis anno MCCCC.LXX. a Nicolao Jenson impressa.

§. IV. *Instituitur comparatio inter textum Prologi & ea quæ habentur in Opere Præparationis Euangelicæ.*

CAput itaque IX. lib. X. Præp. Euang., quod est *de Mosis & prophetarum Hebræorum antiquitate*, ab his incipit verbis: *Ac Mosis quidem & prophetarum eo posteriorum antiquitatem suis in Operibus alii complures dili-*

diligenter admodum ac studiose comprobatam ac contestatam reliquerunt, ex quibus pauca quædam paullo post subjiciam. Sed tamen, &c. Sane in hoc ipso capite producitur Porphyrii locus ex ejus lib. IV., tum capite sequenti prolixum Africani testimonium ex libro III. ejus Chronographiæ, dein cap. XI. Tatiani ex libro ad Gentiles, seu Græcos, πρὸς Ἕλληνας; capite autem XII. Clementis Alexandrini ex libro I. Strom., capite demum XIII. Josephi ex I. Antiq. Judaicarum: sunt autem Scriptores hi quos & initio Prologi recensuit, absque Justo Judæo, cujus in toto Præp. Euang. volumine nuspiam, quod sciam, mentio occurrit. Porro ex hoc ipso initio nonnihil suspicari subit, opus Præparationis ante Prologum atque adeo ante ipsum Chronicum, contra quam à Scaligero putatum fuit, ab Eusebio fuisse compositum: sed de hoc infra.

Sequitur Eusebius lib. x. cap. IX. Præp. Euang.

1. *Sed tamen novam prius ipse viam insistens, ceterisque jam tritæ dissimilem, quæ sequitur rationem ac methodum inire decrevi* (*). *Cum Servatoris nostri natalem omnium consensu in Augusti Imperatoris tempora incidisse, Christum vero circa decimum quintum Tiberii Cæsaris annum proseminandi Euangelium initium fecisse constet; si quis ab eodem annorum summam ita colligere voluerit, ut per superiora retro tempora ad Darium usque Persarum regem & instauratum Hierosolymis ab eo templum, id quod post Judaici populi ex Babylone reditum contigit, numerando perveniat; is a Tiberio ad Darium secundum annos omnino reperiet quingentos & quadraginta octo: Nam*

(*) Græca verba sunt: Κἀγὼ δὲ καινοτέραν παρὰ τοὺς εἰρημένους ὁδεύσας, ταύτῃ χρήσομαι

Idem in Prologo Chronici, S. Hieronymo interprete.

Quod ne cui dubium videatur, ſequens ratio ſic probabit. Quadrageſimo ſecundo anno Imperii Auguſti Chriſtus natus eſt: quintodecimo Tiberii anno prædicare orſus eſt. Si quis igitur retrorſum annorum ſupputans numerum, alterum Darii regis Perſarum quærat annum, ſub quo Templum Hieroſolymitanum, quod a Babyloniis deſtructum fuerat, inſtauratum eſt; reperiet a Tiberio uſque ad Darium annos DXLVIII. Darii quippe ſecundus annus ſexageſimæ quintæ Olympiadis anno primo fuit, & Tiberii XV. in ducenteſimam primam Olympiadem incurrit. Fiunt ergo inter Darium & Tiberium Olym-

μαι τῇ μεθόδῳ: ad verbum: *Ego autem novam & a laudatis* Scriptoribus *minime tritam viam inſiſtens, hac utar methodo.*

Nam Darii quidem ſecundus in primum Olympiadis ſexageſimæ quintæ, Imperii vero Tiberii decimus quintus in quartum ducenteſimæ primæ (*) *Olympiadis incurrit. Quocirca Darium Perſam inter ac Tiberium Romanorum Imperatorem centum & triginta ſeptem Olympiades intercedunt, quæ ſummam annorum quingentorum & quadraginta octo conficiunt, quadriennio ſingulis Olympiadibus attributo. Et quoniam*, &c.

Hactenus probe inter ſe concordat uterque textus, quod ad calculum ſcilicet ſpectat: nam in verborum contextu adeo multæ nec leves occurrunt diſcrepantiæ, ut admodum probabile ſit, Hieronymum non eumdem græcum textum qui habetur in hoc Præp. Euang. loco, fuiſſe interpretatum, idque fatetur ex

(*) Vigeri verſio habet, *ducenteſimæ tertiæ Olympiadis*, quia & in textu græco κατὰ τὸ δ' τῆς σγ' Ὀλυμπιάδος: ſed mendum manifeſtum erat, & a Scaligero & Petavio jam animadverſum: nam ſi ab Olympiade ducenteſimaprima (ipſa, ut par eſt, com-

piades CXXXVII, anni DXLVIII., quadriennio in una Olympiade computato. Deinde, &c.

ex parte Vallarſius, qui, ut vidimus, ita ſcribit: *Tametſi tres aut quatuor priores verſus in verborum ſtructura abs Hieronymiana verſione abludant*. Illa tamen verba potiſſimum attendenda ſunt, *hac utar methodo*, quibus Euſebius non hæc aliunde ſe decerpere, ſed neque de his ſe antea ex inſtituto tractaſſe, ſatis declarat.

computata) retrorſus numeres CXXXVII. Olympiadas, defines commodum in ſexageſimam quintam, cujus primus annus concurrere heic dicitur cum ſecundo Darii. Trapezuntii quoque verſio habet: *Tiberii autem quintusdecimus ducenteſimæ ac primæ Olympiadis quartus invenitur*.

Sequitur Eusebius in laudato cap. Præp. Euang.

2. *Et quoniam Darii secundus annus cum Hierosolymitani templi vastitatis septuagesimo congruebat, ut ex Hebræorum historia liquet; si gradum etiam inde retro flectas, ab anno Darii secundo ad primam usque Olympiadem anni consient omnes quinquaginta sex supra ducentos, Olympiades vero quatuor & sexaginta; quot plane ab ultimo excisi templi anno ad Osiæ Judæorum regis quinquagesimum numerantur, quo tempore Esaias, Oseas aliique amborum æquales prophetæ claruerunt. Ita prima Græcorum Olympias cum Isaia & ipsius æqualibus congruit. Rursus qui .....*

In hac sane periodo non modo utriusque textus calculus sibi invicem plane respondet, sed nec verborum contextus multum inter se dissidet. tum aliquid donandum est etiam interpretibus, Hieronymo præsertim, quem constat in græcis inter-

Idem in Prologo Chronici.

Deinde secundo Darii anno LXX. desolationis Templi annus expletur, a quo usque ad primam Olympiadem retrorsum numerantur Olympiades LXIV., anni CCLVI., qui similiter supputantur a supradicto desolationis templi anno usque ad L. annum Oziæ regis Judæorum, sub quo Isaias & Osee fuerunt. Itaque prima Olympias in Isaiæ & reliquorum incurrit ætatem, qui cum eo prophetaverunt. Rursum si .....

interpretandis non verbum verbo reddere consuevisse: de quo ipse in libello *De optimo genere interpretandi* copiose differit. Itaque progrediamur, si quid in iis quæ sequuntur, animadversione magis dignum forte occurrat.

Euse-

Eusebius in Præp. Euang.

3. *Rursus qui ad superiora tempora recurrere voluerit, is ab Olympiade prima ad captam usque Trojam annorum summam conficiet octo supra quadringentos, quem numerum chronologici Græcorum commentarii repræsentant.* (*) *Similiter apud Hebræos, ab Osiæ Judæorum regis quinquagesimo si gradum ad Labdonis Hebræi quondam Judicis tertium feceris,* (**) *æqualem annorum quadringentorum & octo numerum colliges. Atque ita sub Labdonis judicis tempora Ilium* (supple, *captum*) *fuerit, septem annis antequam Samson Hebræis imperaret, qui viribus corporis*

(*) Græcus textus: *ὡς αἱ παρ' Ἕλλησι τῶν χρόνων ἀναγραφαὶ περιέχουσι: ut continent descriptiones*, seu enumerationes *temporum, quæ apud Græcos feruntur*. Hæc tamen græca verba non habentur in Fragmentis a Scaligero & Vallarsio editis, cur tamen omitti debuerint non video, cum iisdem & latina Hieronymi versio respondeat.

Idem in Prologo Chronici.

Rurſum ſi a prima Olympiade ad ſuperiora tempora & uſque ad captivitatem Trojæ proveharis, invenies annos ccccvi., quos & nos in priore Opuſculo digeſſimus, & (al. *ut*) curioſiſſima Græcorum hiſtoria conſcribit. Item apud Hebræos a ſupradicto Oziæ anno & temporibus Iſaiæ prophetæ uſque ad Samſon & tertium annum Labdon Judicis, ſupputabis annos ccccvi. Samſon autem eſt, quem in corporis robore Herculi ſimilem ferunt poſteri Judæorum. Et mihi videntur non multum diſtare tempora, ſiquidem ambo

(**) In græcis Fragm. Scaligeri & Vallarſii hoc loco inſeruntur iſta, καὶ τοῦ Σαμψών: paullo vero infra hæc omittuntur: ὥστ' εἶναι τὴν Ἰλίου ἅλωσιν κατὰ τοὺς Δαβδὼν τοῦ κριτοῦ χρόνους, ἑπτὰ ἔτεσιν πρότερον ἢ Σαμψὼν ἄρξαι Ἑβραίων. Quo factum eſt etiam, ut abruperint Euſebii contextum, novumque veluti fragmentum ex iis quæ ſequuntur verbis, exhibuerint.

vis nihil non superasse, adeoque omnium ore jactato Græcorum Herculi persimilem fuisse tradunt. Quod si ....

Apparet in hac periodo, quæ est a Troja capta ad primam Olympiadem, duorum annorum discrepantia inter utrumque textum: itaque Scaliger in Animad. in Chron. latinum pro notis υή, quæ DVIII. valent, voluit rescribi υϛ', quod est DVI., juxta latinam utique Prologi lectionem, atque adeo ipsum Chronicum: nam ad annum Abrahami DCCCXXXV., in quem Trojæ excidium conjicitur, hæc habentur: *A captivitate Trojæ ad primam Olympiadem fiunt anni* CCCCVI.: licet ad annum Abrahami MCCXL., a quo incipiunt Olympiades, uno minus habeatur. quæ tamen diversa computandi ratio inde orta videtur, quod primo loco ipsum annum a quo Olympiadas incipit numerare, simul putaverit, secundo vero expunxerit. Quod autem ad Præpar. Euang.

locum

ambo circa Trojæ captivitatem fuerunt. Post hoc iterum ....

locum spectat, non est temere sollicitandus: nam Tatianus ab Eusebio cap. XI. productus, a Trojæ excidio ad primam Olympiadem numerat annos CCCCVII., totidemque Clemens, Strom.I. ex Eratosthene: quibus concinit Dionysius Halicarn. lib. I., quo & accuratis *Canonibus* Eratosthenis utitur, & ex iisdem Romam conditam tradit Olymp. VII. anno primo, post Trojæ excidium annis CCCCXXXII., unde colligi videtur a Troja capta ad Olympiadum initium intercessisse annos CCCCVII. Accedit Diodorus Siculus, qui annum primum Olympiadis XCIV. putat ab excidio Trojæ septingentesimum octavum. Nihilominus Petavius, Doct. Temp. lib. IX. cap. 31. & Ration. par. III. lib. II. cap. 10., Eusebiano huic loco usquequaque adhæret, & *annos inter*

Ilii casum & primam Olympiadem solidos interesse CCCCVIII. statuit, *utroque termino excluso*, in eaque sententia Dionysium & Diodorum, puto ego & alios supra nominatos, commode se interpretari posse confidit. Itaque Eusebius in hoc libro Præpar. Euang. (si quidem hoc Opus multo ante Chronicum scripserit, ut nobis persuasum est, & aliis probatum iri ex nostris hisce observationibus confidimus) eam temporum periodum annis CCCC. VIII. definiverit: postea vero dum Prologum & Chronicum edidit, biennio idem spatium decurtarit. Non esse autem mendosum græcum textum ejus loci, ut nimis confidenter pronuntiavit Scaliger, vel ex ipsa Trapezuntii interpretatione argui possit, quæ tamen habet, enormi sane

Sequitur Eusebius in Præp. Euang.

4. *Quod si ab illo tempore annos rursus quadringentos sursum versus numera-*

diſcrepantia, *quadringenti & quinquaginta anni*: apparet enim in græco textu, exilis ſane apicis omiſſione, ſcriptum vel lectum fuiſſe *υι'* pro *υν'*. Si quis tamen malit adhuc hunc numerum vitiatum fuiſſe, & ad lectionem Prologi eſſe emendandum, nolim ego hunc contentioſum funem alterno ductu in diverſa diſtrahere. Ceterum, quod ad utrumque textum in univerſum ſpectat, multum inter ſe in ſententiis diſcrepant: nam in Hieronymi verſione quædam deſunt, nonnulla abundant; illa potiſſimum, *quos & nos in priore Opuſculo digeſſimus*: quæ ſane verba in Præp. Euang. libro nec habentur, nec omnino haberi umquam potuerunt, ſi quid valent coniecturæ noſtræ, quibus confirmandis incumbimus.

Idem in Prologo Chronici.

Poſt hoc iterum ad priora convertere, & cum CCC. tibi & XXIX. annos

meraveris, Mosem apud Hebræos, apud Græcos Cecropem illum terrigenam reperies: quo quidem recentiora esse quæcumque Græci tantopere celebrant, nemo non fatetur. Nam post illum Deucalionis diluvium, Phaetontis incendium, ortus Ericbthonii, Proserpinæ raptus, mysteria Cereris, Eleusiniorum institutio, Triptolemi agricultura, Europæ ab Jove raptus, natalis Apollinis, Cadmi apud Thebæos adventus, atque iis omnibus juniores Bacchus, Minos, Perseus, Æsculapius, Castor & Pollux, & Hercules exstitere. Quos proinde Moses cum Cecropis tempore floruerit, ætate omnes anteivit. Porro....

Quæ sequuntur in Prologo, a Præpar. Euangelicæ textu sunt prorsus diversa, utpote fusiori exarata stilo, & poetarum flosculis exornata, quæ ex Clemente potissimum, ibidem cap. XII. producto, excerpta apparet: itaque ea omittere visum est. Ceterum maxima heic occurrit discre-

annos pes retroactus impleverit, Græcorum Cecropem Diphyen, & Moſem invenies Hebræorum: nam a XLV. Cecropis anno uſque ad captivitatem Trojæ, & ab LXXX. ætatis Moſi anno, in quo populum Iſraelitarum de Ægypto eduxit, uſque ad Labdon & Samſon Judices, computantur anni CCCXIX. Itaque ſine ulla ambiguitate Moſes & Cecrops, qui primus Athenienſium Rex fuit, iiſdem fuere temporibus. Porro hic eſt Cecrops Diphyes, indigena, ſub quo, *&c.*

diſcrepantia non in contextu orationis tantum, ſed & in annorum numero: ſuperat enim Præp. Evang. textus annis omnino LXXI. Scaliger in græco fragmento, quod, decurtatum tamen ex majori parte, hinc ſumſit, nodum difficultatis non ſolvit, ſed cæcidit, audacter

pro ἐτῶν υ' refigens ἐτῶν τχθ' (*). Sed præterquam quod antiqua etiam hujus libri verſio a Georgio Trapezuntio curata, *quadringentos annos* præfert, non apparet quomodo error tam apertus, ſi quidem error eſſet, in omnes codices potuiſſet irrepere. Sa-

Euſebius in Præp. Euang.

5. *Porro ſi ab eodem Moſe (**) ad primum uſque Abrahæ vitæ annum recurreris, ſummam colliges annorum quinque ſupra quingentos; itemque totidem*

(*) Fragm. græcum apud Scaligerum & Vallarſium his tantum verbis conſtat: Καὶ ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἀνωτέρω βαδίζων, ἐν ταυτῷ τε συναγαγὼν ἀριθμὸν ἐτῶν τχθ', εὕροις ἂν κατὰ μὲν Ἑβραίους Μωσέα, κατὰ δὲ Ἕλληνας Κέκροπα τὸν γηγενῆ: quæ latine reddita, ſunt: *Et hinc ad ſuperiora converſus, & annorum CCCXXIX. numerum colligens, invenies apud Hebræos Moſem, apud Græcos Cecropem terrigenam*. Tum, aliquot aliunde, ut ſupra diximus, ſumtis laciniis interjectis, rurſum ex hoc loco hæc ſubnectuntur:

Sane ſi quiſquam locus eſt, unde appareat Præp. Euang. librum multò ante Prologum ſcriptum fuiſſe, hic profectò eſt, ut paullo infra manifeſtius fiet: nunc reliqua perſequamur.

Idem in Prologo Chronici.

Ab LXXX. autem anno Moſi & egreſſu Iſrael ab Ægypto, rurſus ad ſuperiora converſus, uſque ad primum annum Abraæ, reperies an-

 nos

tur: Τούτων οὖν ἁπάντων πρεσβύτερος γεγονὼς συνίςαται Μωσῆς, ὡς ἂν κατὰ Κέκροπα τὴν ἡλικίαν ἀκμάσας. *His igitur omnibus ſenior Moſes extitiſſe apparet, utpote qui Cecropis tempore floruerit.*

(**) Græcus textus eſt Ἀπὸ δὲ Μωσέως, ſed Scaliger illum ita interpolavit, Ἀπὸ δὲ τοῦ π' Μωσέως: *Ab LXXX. autem anno Moſis*: nimirum, ut plane reſponderet latino Prologo: qua de cauſſa etiam quæ de Ninive & Zoroaſtro his ſubduntur, omiſit, & ubi concluditur, ὥςʼ εἶναι τὸν Ἀβραὰμ κατὰ τούτους, refixit κατὰ τοῦτον.

tidem ab illo (*) *Cecropis regni anno ſuperiora verſus tempora numeratis, ad Ninum Aſſyrium pervenies, quem omnium principem tota paſſim Aſia, ſi tamen Indos excipias, dominatum eſſe tradunt. Nomen ab eo Ninus Civitas, quam Ninivem Hebræi vocant, accepit, ejuſdemque temporibus Zoroaſtres ille magus Bactrianis imperabat. Nini uxor Semiramis eidem ſucceſſit in regnum: quorum ætate proinde Abrahamum vixiſſe oportuit. Verum hæc....*

Summa quidem annorum in utroque textu omnino ſibi invicem concordat: quæ autem in orationis contextu diſcrepantiæ ſunt, ipſæ per ſe apparent, tum in adnexa de Sca-

(*) Euſebius heic habet *ἀπὸ τοῦ δηλωθέντος ἔτους τῆς Κέκροπος βασιλείας*, quæ verba primo aſpectu indicare videntur, paullo ſupra deſignatum fuiſſe ſingillatim annum aliquem regni Cecropis: tamen cum ne Moſis quidem annus qui cum Cecropis regno conveniret, declaretur, non eſt cur omiſſum a librariis Cecropis annum ſuſpicemur: itaque non

nos DV., quos similiter a XLV. anno Cecropis usque ad Ninum & Semiramin Assyriorum principes supputabis. Primus quippe omni Asiæ, exceptis Indis; Ninus Beli filius regnavit. Itaque manifestum est, Abraam Nini ætate genitum, juxta eum tamen numerum, quem contractiorem editione vulgata sermo præbet hebræus.

Scaligeri interpolationibus Notula. Quod reliquum est, ex instituta hactenus comparatione corollaria aliquot sunt nobis deinde colligenda. Sed prius probe animadvertenda

non male Vigerus vertit, *ab illo Cecropis regni anno*, illo scilicet, in quem superior periodus annorum desinebat. Trapezuntii quoque versio habet hoc loco, *quod si a Cecropis regno ad imperium*, &c. Et fortasse Eusebius hæc scribens non ipsum annum XLV. regni Cecropis respiciebat, sed alium quempiam: nondum enim rationes suas, quod postea in Chronico fecit, plane inierat.

ſunt paucula hæc verba, quibus in libro Præp. Euang. diſputatio illa omnis concluditur: ſunt autem ex Vigeri interpretatione hujuſmodi: *Verum hæc a nobis omnia certis argumentis in chronologicis noſtris Canonibus confecta reperies*; ex Trepezuntio vero: *Nam hæc omnia nobis certis rationibus in eo libro demonſtrata ſunt quem de Temporibus inſcripſimus*; demum ex Vallarſio, loco ſupra laudato: *Hæc a nobis omnia certis argumentis in Chronicis Canonibus, quos elaboravimus, confecta reperies*. Græca tamen, ſi ad verbum interpretari velis, ita reddenda ſunt: *Hæc autem evidenter in elaboratis a nobis Chronicis Canonibus ita ſe habent*: Ταῦτα μὲν οὖν ἀποδεικτικῶς ἐν τοῖς πονηθεῖσιν ἡμῖν χρονικοῖς κανόσιν οὕτως ἔχοντα συνίστη. ex quibus id ſane non ſequitur quod indicant allatæ interpretationes, ut editi jam tum fuerint Chronici illi Canones: idque confirmatur etiam ex iis quæ ipſe initio dixerat: ταύτῃ χρήσομαι τῇ μεθόδῳ

ειῳ, hac utar methodo. Sed de hoc statim plura dicemus.

§. V. *Ex instituta comparatione illud primum elicitur, nedum editum, sed ne scriptum quidem fuisse Chronicum, quo tempore Præp. Euang. Opus prodiit*; Canones *vero* Chronicos *ibidem laudatos, priorem tantum librum forte designare*.

QUæ ex hac curiosa Præp. Euangelicæ & Prologi comparatione emergunt in rem nostram emolumenta, multa & magna sunt: quare eam instituisse me nihil pœnitet. Inde primum addiscimus, in eo Opere inseri non potuisse ab Eusebio Procemii in Chronicum partem illam, nec eamdem quæstionem, licet aliis verbis, ibidem fuisse iteratam; quorum primum illud, ut vidimus, Vallarsio placuit, secundum autem Scaligero: nam elucet Chronicum ne dum editum, sed ne perscriptum quidem, sed tantum & ad

summum fuisse tunc temporis adumbratum. Equidem si jam tum Eusebius Chronicum edidisset, ne debuisset quidem ex eo fragmentum illud describere, sed lectorem ad ipsum potius ablegare, ut alias fecisse video, quoties de rebus a se jam alio Opere pertractatis mentionem fecit. At, inquies, id ipsum præstitit hoc ipso loco circa finem: attamen voluit prius ex Prologo particulam quamdam decerpere. Reponam, certum quidem esse *Chronicos Canones a se jam elaboratos* laudari ab Eusebio, non tamen inde sequi, quod vulgatæ interpretationes præferunt, aut saltem suadent, eos jam tum editos fuisse, adeo ut ipsos consulere lector potuerit. Præterea *Chronicos Canones* laudat ille, non *Canonem Chronicum*: itaque priorem illum librum, qui intercidit, a se jam scriptum designare potuit, quum tamen fortasse Chronico, quem, ut suo loco videbimus, *Canonem* singulari numero tum Eusebius tum

Syn-

Syncellus appellant, ſcribendo manum nondum admoviſſet. Sed de his infra: quod nunc inſtat, agamus. Chronicum, inquam, nondum ſcripſerat Euſebius, quum Præp. Euang. Operi inſudabat: id jam a nobis ſatis demonſtratum eſt; alio tamen argumento confirmabimus. Volumen illud Præp. Euang. ante Demonſtrationis itidem Euangelicæ volumen ſcriptum fuit, ut liquet ex cap. I. libri XV. Præp.: atqui Demonſtratio illa Euangelica ſcripta fuit vel graſſante adhuc in Chriſtianos perſecutione, vel vix dum tranquillitate Eccleſiis per Conſtantinum reſtituta, ut a doctiſſimo Tillemontio (*) ex multis ejuſdem Operis locis colligitur, ad quem proinde, brevitatis gratia, appello. contra Chronicum ad xx. uſque Conſtantini Imperantis annum protendebatur, ſeu Chriſti CCCXXV.: ergo non potuit

(*) Tillem. in Euſeb. Cæſarienſis Vita §. VI.

tuit in Præp. Euang. inseri fragmentum ejus libri, quod duodecim fere post annos prodiit. Oppones rursum, Eusebium bis librum illum, seu libros de Temporibus edidisse, quod jam pridem Scaliger in Animad. in latinum Chronicum conjecit, quem Tillemontius (*) & alii sunt sequuti: atque adeo potuisse illum in secunda editione illa supplere, quæ post primam contigerant, atque ita ad annum usque XX. Constantini Chronicum suum perducere. Demus id potuisse & fecisse Eusebium; quod tamen suo loco aut falsum, aut futili saltem conjecturæ super-

stra-

(*) Tillem. in Euseb. Vita §. V. hæc habet: *Il paroist qu' Eusebe a fait deux editions de sa Chronique. En effet, nous avons vu qu' elle estoit déja faite avant le livre de la Preparation, c' est à dire apparemment avant l' an. 313. Et neantmoins S. Jerome assure pleusieurs fois, qu' elle alloit jusque à la vintieme année de Constantin, c' est à dire jusque en 325. ou 326. Il semble que cette derniere edition peut avoir esté intitulée* la Veritable.

ſtructum demonſtraturi ſumus: eo tamen conceſſo, nihilo magis efficies, quod vis: nam id tu quoque concedas oportuerit, quod ſtatim ipſo Euſebio teſte evincam & ex parte jam ſupra demonſtravi, ipſum quo tempore Præp. Euang. ſcribebat, aliter putaſſe temporum periodos, & intervalla ſacræ prophanæque hiſtoriæ aliis inter ſe comparaſſe rationibus, quam poſtea fecit in eo quod habemus Chronico: adeo ut, ſi ipſe Chronicum jam tum conſcripſerat, idem a fundamentis, ut ita dicam, quæ in Prologo potiſſimum jacta fuerant, evertere, & in melius reſtaurare debuerit. Id ex ſequentibus palam fiet.

§. VI.

§. VI. *Ne Canones quidem* Chronici *ante Opus Præp. Euang. editi ab Eusebio fuerunt; nec postea ita ab eo vulgati sunt, ut primum erant digesti, sed nonnullis in locis, præcipueque in annis Judicum, multum immutati.*

QUod secundo loco ex instituta paullo ante inter Præp. Euang. & Chronici Prologum comparatione discimus, hoc nimirum est: ne ipsos quidem Chronicos Canones, quorum ibidem Eusebius meminit, (seu primum tantum, seu utrumque librum eo nomine appellatum contendas, nobis perinde est) ita ab Eusebio editos postea fuisse, ut fuerant ab eo dispositi, cum scribendo Præp. Euang. Operi navabat operam, sed non pauca in ipsis mutasse postea & emendasse, quæ præcipue ad Israelitarum Judicum ætatem spectant: nam quod in Chronico annis cccxxix. definitur intervallum, in eo

eo Opere ad cccc. uſque, ut vidimus, protrahitur. Sed is locus, ne cui, ut quondam Scaligero, mendoſus & ad Chronici normam reformandus videatur, a nobis eſt ex eodem Euſebio illuſtrandus & ſtabiliendus. Tradit ille in ipſo Prologi græci fragmento, quod a nobis jam ſupra Parte I. §. XV. datum eſt integrum, *ſe apud Hebræos diverſas temporum ſummas obſervaſſe, illam quidem abundantem, hanc vero deficientem, neque tamen eam qua ipſe uſus* alias *fuerat*, *aptaſſe* Chronico, *ſed alteram deficientem ſequutum*: οὐ τὴν ἐμαυτῷ κεχρησμένην, λέγω δὲ τὴν πληθοῦσαν, ἥρμοσα, τὴν δὲ ἐνδέουσαν μετῆλθον. Hæc autem non alio referenda ſunt (quod tamen a doctiſſimis viris non perſpectum fuiſſe infra declarabimus, quæ res multiplices inter ipſos quæſtiones peperit, & inextricabiles errores induxit) quam ad intervallum illud quod a Moſe & Joſue ad Saul uſque protenditur: in eo enim digerendo intervallo

vallo sententiam aliquando Eusebius mutavit, quod inter se non plane concordare videretur sacrorum librorum computus. Ipse hanc discrepantiam in Chronici Procemio notavit, & quem tum præferret calculum palam fecit, quum scripsit interprete S. Hieronymo: *A Mose usque ad Salomonem & primam ædificationem Templi, anni CCCCLXXIX., secundum minorem tamen numerum, quem tertius Regnorum liber continet: nam juxta volumen Judicum supputantur anni DC.*. Ille nimirum *minor* numerus est, quem, ut supra dixerat, *sequutus est* in Chronico, hic alter *redundans*, quem repudiavit: repudiavit, inquam, tunc quum Chronicum scriberet: nam quum CCCC. annos a Mose ad Labdonis judicis tertium statuit in Præp. Euang., hoc potius *usus est*. Enimvero si annis illis CCC.XXIX adjungas annos captivitatum, quos in Chronico notavit quidem, sed *secundum Judæorum traditionem*, ut ipse scribit, junxit Judi-
cum

cum annis; tum addas annos decem Ælon judicis, de quo in eodem Chronico: *Post Hesebon in libro Hebræorum fertur judex Ælon rexisse populum annis X., qui non habentur apud LXX. Interpretes*; emergent commodum anni CCCC.: quemadmodum si ex eodem Chronico sumas tibi annos omnes, quibus servisse Israelitæ alienigenis referuntur, tum modo memoratos annos decem Ælon judicis, eosque omnes jungas annis CCCLXXIX., quos Eusebius a Mose ad Salomonem computavit, erunt tibi omnino anni DC., quos juxta Judicum librum, seu secundum numerum redundantem, in allato Prologi loco supputari ipse monet. Non est itaque mendum in Præp. Euang. textu supra cum textu Prologi comparato, sed est alia atque omnino diversa computandi ratio, qua se aliquando usum Auctor ipse in Prologo fassus est: τὴν ἰμαυτῷ κεχρησμένην.

§. VII.

§. VII. *Ostenditur ex capite XIV. lib. X. Præp. Euang., Eusebium aliquando annos captivitatum seorsum computasse ab annis Judicum, secus ac factum ab eo fuit postea in Chronico, quin etiam in priore illo de Temporibus libro.*

SEd morosior aliquis & incredulus dubitabit adhuc de hac nostra interpretatione, & casu potius factum suspicabitur, ut numerus ille annorum CCCC. ratione aliqua a nobis defendi possit, quam ut sibi persuadeat Eusebium ita primum putasse, deinde in Chronico mutasse sententiam. alia itaque machina ejus animum expugnare aggrediamur, atque id efficiamus, ut appareat, non semel tantum sed pluries & in aliis quoque Chronologiæ capitibus Eusebium fluctuantem in diversas abiisse sententias, antequam conscriberet Chronicum. Sed primum illud, quod

præ

præ manibus eſt, nunc agamus: tum deinde, quaſi auctarii loco, addemus hoc alterum. Euſebius itaque in hoc eodem Præp. Euang. libro X., poſtquam in ſuperioribus capitibus de Moſis antiquitate diſſeruiſſet tum juxta propriam, tum juxta aliorum Scriptorum ſententiam; capite demum XIV. hæc inter cetera ſubdit, Vigero interprete: *Nunc igitur quoniam eumdem Moſem longe ante Trojanum bellum floruiſſe oſtendimus, age qui eum ſequuti ſunt, reliquos etiam omnes videamus. Primus ergo poſt Moſem Judaicæ genti præfuit Jeſus, annis, ut nonullis placet* (ita nimirum placuerat Africano, quod ex Syncello novimus: at ipſe aliam in Chronico, atque adeo in hoc ipſo Opere, rationem inivit, XXVII. annis tantum computatis) *triginta: deinde, ut Scriptura teſtatur*, ὥς φησιν ἡ γραφὴ (obſerva, quæſo, hujus ſententiæ ſignificationem: annos captivitatum computaturus ſeorſum ab annis Judicum, ad Scripturam provocat;

 nem-

§. VII. Ostenditur ex capite XIV. lib. X. Præp. Euang., Eusebium aliquando annos captivitatum seorsum computasse ab annis Judicum, secus ac factum ab eo fuit postea in Chronico, quin etiam in priore illo de Temporibus libro.

SEd morosior aliquis & incredulus dubitabit adhuc de hac nostra interpretatione, & casu potius factum suspicabitur, ut numerus ille annorum CCCC. ratione aliqua a nobis defendi possit, quam ut sibi persuadeat Eusebium ita primum putasse, deinde in Chronico mutasse sententiam. alia itaque machina ejus animum expugnare aggrediamur, atque id efficiamus, ut appareat, non semel tantum sed pluries & in aliis quoque Chronologiæ capitibus Eusebium fluctuantem in diversas abiisse sententias, antequam conscriberet Chronicum. Sed primum illud, quod

præ

præ manibus eſt , nunc agamus : tum deinde , quaſi auctarii loco , addemus hoc alterum . Euſebius itaque in hoc eodem Præp. Euang. libro X., poſtquam in ſuperioribus capitibus de Moſis antiquitate diſſeruiſſet tum juxta propriam , tum juxta aliorum Scriptorum ſententiam , capite demum XIV. hæc inter cetera ſubdit , Vigero interprete : *Nunc igitur quoniam eumdem Moſem longe ante Trojanum bellum floruiſſe oſtendimus , age qui eum ſequuti ſunt , reliquos etiam omnes videamus . Primus ergo poſt Moſem Judaicæ genti præfuit Jeſus , annis , ut nonullis placet* (ita nimirum placuerat Africano , quod ex Syncello novimus : at ipſe aliam in Chronico , atque adeo in hoc ipſo Opere, rationem inivit, XXVII. annis tantum computatis) *triginta : deinde , ut Scriptura teſtatur* , ὥς φησιν ἡ γραφὴ (obſerva, quæſo, hujus ſententiæ ſignificationem : annos captivitatum computaturus ſeorſum ab annis Judicum , ad Scripturam provocat ;

L nem-

nempe ut eo pacto obviam eat argumento, quod ex III. Regum libro, quo alter ille minor numerus innititur, ipse sibi objectum iri prævidebat. Nondum itaque illi nota aut probata erat traditio Judæorum, juxta quam postea in Chronico resecavit annos illos captivitatum: sed ipsius verba referre pergamus) *eidem alienigenæ octo dominati sunt. tum Gothoniel annis quinquaginta* (hic numerus habetur in græco quoque textu, ἔτεσι πεντήκοντα, nec non in versione Trapezuntii: idem annorum numerus huic attribuitur etiam a Clemente Strom. I.: sed librariorum fortasse mendum est, qui in græca Judicum versione in aliquot libris notam numericam μ', quæ valet XL., permutarint in ν', quæ valet L. Sane vel hinc apparet Eusebium aliter heic putasse ac in Chronico, immo in hoc ipso libro cap. IX.: sed de his infra). *post hunc Eglom rex Moab annis octodecim. tum Aod annis octoginta: post quem iterum alienigenæ annis*

nis

nis viginti. Deinde præfuerunt Debora simul & Barac annis quadraginta: tum Madianitæ annis septem. postea Gedeon annis quadraginta, Abimelech annis tribus, Thola tribus & viginti, Jair duobus & viginti, Ammanitæ octodecim, Jephthe sex, Esbon septem, Æalon decem (neque de hujus judicis annis hoc loco controversiam movet, quem sane immerito ex Chronici computo exclusit: nam constat decem ei annos attribui non solum in hebræo codice, sed etiam in græca interpretatione: nisi velimus dicere, Eusebium in codicem aliquem græcum qui eos annos non haberet, incidisse, eumque potius esse secutum, ut eo pacto rationes suas aliquo pacto lectoribus probaret) *Labdon*, &c. Habetur his verbis adeo expressa captivitatum seorsum a Judicum annis computatarum enumeratio, ut nulli, vel pervicacissimo, supersit, puto, ambigendi locus, quin eam primum Eusebius probaverit computandi rationem, quam deinde repudian-

diandam judicavit. Id unum tamen quæri adhuc possit, num mutaverit sententiam in Chronico tantum, seu secundo libro quem habemus, an vero etiam in priori illo qui periit. sed hanc quoque dubitationem nobis adimit Georgius Syncellus (*), dum ex eodem libro primo (neque enim in secundo de ea quæstione agit, sed ut rem quasi certam sibi assumit) affert nonnulla, ex quibus apparet quæstionem istam non perfunctorie ab Eusebio fuisse agitatam: verba Eusebii, aut Syncelli de Eusebio, in Fragmentis aliquando dabimus: itaque non est quod de his in præsens plura dicamus: nisi quod ex eo Syncelli loco alterum & luculentum nobis suppetit argumentum, ut ne primum quidem librum editum tum fuisse afferamus, cum volumen Præp. Euang. prodiit.

§. VIII.

(*) Sync. pag. 374., & seq. juxta edit. Paris.

§. VIII. *Ex eodem capite & libro Præp. Euang. demonstratur in multis aliis ad Chronologiam spectantibus articulis Eusebium mutasse sententiam ne dum in Chronico, sed in eodem etiam Præp. Euang. libro capite IX., quod proinde post caput XIV. ex parte conscriptum videtur.*

POstquam expedivi quæ ad primum quæstionis paullo ante propositæ articulum spectabant, succedit alter, quo non una vice nec in hoc tantum capite Chronologiæ Eusebium mutasse sententiam, probandum in me recepi: quod quam brevissime expediam, recitatis antea quæ post supra allata verba ex cap. XIV. Præp. Euang., subnectit Auctor. sunt autem: *Labdon octo, alienigenæ quadraginta, Samson viginti, tum Heli sacerdos, ut hebraicæ litteræ fidem faciunt* (græc. ὡς τὸ Ἑβραϊκὸν) *annis quadraginta: cujus tempore captum est Ilium. Post Heli sa-*

 cerdo-

cerdotem, populo Samuel imperavit: Hunc Saul rex omnium primus excepit (*), *regnavitque annis quadraginta. tum David annis totidem; inde Salomon totidem, qui primus Hierosolymitanum Templum exstruxit. Post Salomonem, Roboam annis septemdecim, Abia annis tribus, Asa uno & quadraginta, Josaphath viginti quinque, Joram octo, Ochosias anno dumtaxat uno, Gotbolia septem, Joas quadraginta,*

(*) Græca sunt: *μεθ' ὃν πρῶτος αὐτῶν βασιλεύει Σαούλ, ἔτεσι μ'.* Sed legendum omnino *μεθ' οὗ*, *cum quo*, id est Samuele, ita ut XL. annorum spatium Samuelis & Saulis regimen simul complectatur: secus Samueli non esset præfinitum tempus ullum. Ita in Chronico: *Samuel & Saul annis XL.* quibus tamen non respondet græcus textus a Vallarsio huic loco ex Syncello accommodatus, & quem ipse *vere Eusebianum* dicit: nam ab eo anni Samueli XX., Sauli autem seorsum XL. assignantur, quod contra Eusebii computum est. Quid? quod ad *Regum seriem* col. 68. ex eodem, ut & alia, Syncello fragmentum hoc affertur: *Σαμουὴλ καὶ Σαοὺλ βασιλεὺς μ'.* quod in toto Syncello non habetur.

ta, *Amasias quadragintanovem*, *Ozias duos & quinquaginta*, *cujus tempore Osee*, *Amos*, *Esaias & Jonas prophetarunt*. *Post Oziam regnavit Joatham annis sedecim*, *tum Achaz totidem*. *quo regnante prima Olympias celebrata est*, *in qua cursu vicit Corobus* (legendum *Coroebus*) *Eleus*. *Post Achaz regnavit Ezechias annis vigintinovem*: *cujus tempore Romulus & Romam condidit & regnavit*. *Post Ezechiam Manasses annis quinque & quinquaginta*: *deinde Amon annis duobus*, *Josias uno & triginta*, *sub quo Hieremias*, *Baruch*, *Olda & alii prophetæ floruerunt*. *Tum Joachaz mensibus tribus*, *Joachim annis undecim*, *& Sedecias omnium postremus duodecim*. *Sub eo capta Hierusalem ab Assyriis*, *Templum incensum*, *universa Judæorum natio Babylonem abducta*, *ubi Daniel & Ezechiel prophetarunt*. *Post annos inde septuaginta Cyrus Persis imperavit*, *omnibus quicumque vellent*, *in patriam redeundi*, *Templique instaurandi potestate facta*. *Cum etiam Jesus Josedeci*, *& Zo-*

& Zorobabel Salathielis filius reverterunt, novique Templi fundamenta posuerunt, quo tempore Aggæus, Zacharias & Malachias omnium novissimi prophetabant: neminem enim post illos Judæi prophetam habuere: &c. Locus hic a me diligenter cum interpretatione Georgii Trapezuntii collatus, ne quid suspiceris mendi irrepsisse, plane convenit: nisi quod Amasiæ pro XLIX. annis, tribuuntur tantum XXIX., quot & in Chronico: itaque hunc tantum locum conjicere est mendosum esse, & pro ἔτη μθ', reponendum ἔτη κθ'. Operæ itaque pretium fuerit totum hoc cap. XIV. Præp. conferre cum illis quæ tum in Chronico, tum paulo ante cap. IX. ejusdem libri traduntur: immanes occurrent discrepantiæ & perpetua fere dissidia: prorsus aliæ ineuntur rationes, dissimilesque toto cælo profanam inter & sacram Historiam conciliationes stabiliuntur. Taceo de minoribus discriminibus, qui in singulorum annis comparatis cum Chro-

nici

nici numeris reperiuntur, ut cum Josue XXX. hic assignantur, illic XXVII. tantum; Othonielo L, cui ibi XL.; Tholæ XXIII. heic, in Chronico vero XXII. putantur: tum additur, *alias XXIII.* (quæ sane est lectio & hebræis & græcis libris consentanea) & Ammoni regi Judæ duo tantum heic anni adsignantur (quot sane & in hebraico fonte, & in plerisque omnibus libris græcis habentur) at in Chronico XII., & quidem hac apposita notula: *Hammon secundum LXX. interpretationem XII. annis regnavit, secundum autem Hebræos annis II.*: tum Josiæ anni XXXI. (& sane ex fide codicum tum græcorum, tum hebraicorum) sed in Chronico, nescio qua de caussa, uno amplius; cum contra Sedeciæ regum Judæ ultimo heic duodecim, ibi uno minus assignentur anni. Quæ majoris tantum momenti sunt expendamus. Primum itaque anni a Mosis obitu ad Samuelis initium, computa-

tis

tis captivitatibus, ut numero superiori diximus, colliguntur omnino D.LX., quibus si addas annos XL. quibus præfuit Hebræis Moses, tum quattuor priores Salomonis, conficient anni DCIV.: at hæc annorum summa plane non convenit cum Prologo & Chronico, quibus locis illud spatium annis omnino DC. definitur (*), præterea cum ipso cap. IX. pugnat. nam ibidem, ut vidimus, anni a Mosis LXXX. ad Labdonis judicis secundum numerantur CCCC., ita tamen si Chronico inhæreas, nam ex hoc capite erunt, ob paullo ante indicatam caussam, anni CCCCIV.: postremo eodem capite IX. Labdoni statim jungitur Samson, omisso scilicet quintæ servitutis spatio, quod annis XL. constat, atque adeo a tertio Labdonis anno ad Osiæ quadragesimum

(*) Differentiæ hujus ratio haud obscura est: tres enim Josue anni, & unus Jairo amplius quam in Chronico attributi, eam gignunt discrepantiam.

mum nonum usque, constituitur annorum periodus CCCC. & VIII. vel, ut in Chronico, CCCCVI., cum contra ex hoc capite XIV. prodeat summa annorum CCCC.XLVI. Apparent itaque tres (& eo amplius, si minutiores etiam differentias computare velis) diversæ inter se in hac annorum periodo computandi rationes ab Eusebio adhibitæ, quarum altera omnes excludit servitutes, tum annos Æalon judicis: quæ quidem in Chronico expressa habetur; altera quæ Æalon X. annos, nec non servitutum tempus computat, ultima tantum exclusa, quæ inter Labdon & Samson interseri solet: hæc autem supra laudato cap. IX. Præp. Euang. stabilitur; tertia denique, quæ & hanc cum ceteris assumit servitutem: atque hæc propria est hujus loci. Hujus vero inconstantiæ & vicissitudinis hæc unica & probabilis ratio reddi potest, si dicas Eusebium varias diversis temporibus sententias in quæstione hac ample-

plexatum fuisse, quarum quidem postrema eique maxime probata fuerit, quam Chronico post hos libros Præp. Euang. scripto aptavit; prima, eaque postea semel & iterum emendata, sit, quæ Præp. Euang. cap. XIV. lib. *X*. delineata habetur: media vero inter utramque illa sit, quæ ejusdem libri cap. IX. stabilitur. ex quo etiam sequitur, caput illud IX. aliquanto post XIV. fuisse scriptum, in ea saltem parte, qua novam a se excogitatam methodum proponit. Illud certe cuique manifestum esse debet, Chronologiam eo capite digestam in plerisque concordare cum Prologi Chronicique rationibus, a quibus longissime distant quæ cap. XIV. traduntur. Quid enim est, ne dicta jam repetam, quod hoc capite Trojæ excidium in Heli sacerdotis, Olympiadum vero initium in Achazi regis Judæ tempus reiicitur, quorum primum in tertium annum Labdonis judicis, alterum in Osiæ regis quin-

quinquagesimum tum cap. IX. ; tum in Prologo & Chronico conjicitur? quid est, quod Roma condita illic statuitur regnante Ezechia, cum in Chronico regnante Achaz præcessore Ezechiæ, & quidem anno regni ejus quinto, adfigatur? Hæc omnia & quæ supra disputata sunt, persuadent planeque evincunt, capite XIV. Eusebium quæ primum de Temporibus commentatus fuerat, scriptis consignasse, quorum pleraque deinde ante libri editionem sibi emendanda duxerit, ut cap. IX. fecit; postremo nonnulla alia rursus post editum Præp. Euang. volumen reformasse, quum Chronico scribendo aut absolvendo manum admovit.

§. IX. *Nec S. Hieronymus, nec Georgius Sincellus assequuti sunt Eusebii mentem, quum in Prologo se* minorem numerum sequi *professus est*.

REdeo ad disputationem quam paullo ante, scilicet §. VI. institui, quæque circa eum Eusebii locum

cum versatur, quo se numerum minorem sequutum esse, repudiasse majorem in Chronico, professus est. verum, quoniam satis, ut puto, declaravi, quænam sit germana ejus loci interpretatio; reliquum est modo ut demonstrem, quod ibidem tantum attigi, summos viros qui in eum locum scripserunt, tum antiquos tum recentiores (absit verbo invidia) minime assequutos Eusebii mentem, atque Eusebium sibimet contrarium, & ineptissime ratiocinantem induxisse. Ex antiquis Hieronymum, & Georgium Syncellum, ex recentioribus Scaligerum, Goarum & Vallarsium nostrum in hoc argumento præcipue video esse versatos: itaque singulos per ordinem expendam. Ut a Hieronymo exordiar, quid de eo Eusebii loco senserit, liquet ex ejusdem interpretatione a græcis verbis multum diversa, quæ ita se habet: *Neque me fugit, in hebræis codicibus dissonos ætatum annos inveniri, plusque vel minus,*

prout

prout interpretibus visum est, lectitari; sequendumque illud potius quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Quid enim est, quod de *interpretibus* ipse memorat? quid *exemplariorum multitudo* ad fidem faciendam accommodata? plane alludit ad celebrem illam in genealogia antiquorum Patriarcharum ab Adam ad Abraham discrepantiam græcos inter τῶν LXX. & hebræos codices, nec non consentientes his interpretationes Aquilæ, Symmachi, Theodotionis aliorumque, Hexaplis Origenis insertas, quas *exemplariorum multitudinem* appellat. At Eusebius non διαφόρους ἐκδόσεις, *diversas* Scripturæ *editiones*, sed διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, *diversas temporum collectiones* seu *summas* dixit se apud Hebræos reperisse, seu, ut ipse Hieronymus initio sententiæ reddidit, *in hebræis codicibus dissonos ætatum annos*. Usum eadem voce ἀποδόσεως eumdem Eusebium invenio in Fragmentis apud Syncellum. Συνάδει τοίνυν, inquit, τῇ παρ' ἡμῖν ἀναγνώσει

ἡ πα-

ἡ παρὰ Σαμαρείταις φερομένη Ἑβραϊκὴ γραφὴ, κατὰ τὰς πρώτας τῶν ἐτῶν ἀποδόσεις, τὰς πρὸ τῆς παιδοποιΐας. *Concinit itaque nostræ* (seu græcæ) *lectioni ea quæ apud Samaritas habetur hebraica Scriptura, in primis annorum collectionibus*, seu summis, *iis nimirum quæ sunt ante filiorum generationem*. Mentem tamen ille suam clarius aperuit alio ejusdem Prologi loco, ubi hæc habentur: *Itaque manifestum est, Abraam Nini ætate generatum, juxta eum tamen numerum, quem contractiorem editione vulgata sermo præbet hebræus*. Editio vulgata Hieronymo & ejus ævi scriptoribus, est Septuagintaviralis: itaque dum *contractiorem numerum* ex hebræis codicibus repeti dicit, excedentem autem tacite tribuit editioni vulgatæ; satis ostendit se de Patriarcharum annis (neque enim in ceteris multum inter se discrepant hebræi græcique codices: aliquando etiam hi minorem præ illis numerum exhibent) Eusebii verba tum hoc tum superiori loco intellexisse &

inter-

interpretatum esse, quibus tamen illum unice ad Judicum ætatem respexisse diximus. Quamvis autem hujus posterioris loci græcus textus non exstet, cum quo interpretatio illa Hieronymi conferri possit; minime tamen dubitandum est, quin eamdem fere atque in altero, interpretandi licentiam sibimet heic arrogaverit. Nam cur Eusebius hoc loco quo agitur de Abrahamo & Nino, quos contemporaneos fuisse asserit, illam græcos inter & hebræos codices discordantiam attigisset? superiora sane tempora utrum contractiori an redundanti annorum numero censeas, ipsi perinde est, qui ab Abrahamo demum Chronicum suum incipit, & in computandis inter se profanæ & sacræ historiæ cardinibus ea demum utitur methodo, ut a recentioribus ad antiquiora, quasi per gradus quosdam ascendens, progrediatur. Hæc de Hieronymo dicta sufficiant, qui quidem venia aliqua dignus est, siquidem in *tumultuario*

opere, ut ipſe vocat (*) interpretationem ſuam, non ſatis attendit Euſebii ſcopum, nec ejus probe expreſſit ſententiam. ſed jam ad Syncellum, non eadem ſane venia dignum, utpote qui de eo argumento ex inſtituto ageret, tranſeamus. Hunc pariter eadem fere qua S. Hieronymus, ſignificatione Euſebii verba accepiſſe, hinc apparet, quod ſtatim ac initium illud Procemii, ſeu Prologi recitavit, eumdem mendacii inſimulet, propterea quod ibidem dicat ſe minorem numerum adoptaſſe, quum contra ex tribus diverſis Patriarcharum annos computandi rationibus, quæ ſcilicet ex hebræo textu, tum ex Samaritarum codicibus, denique ex græca τῶν LXX. interpretatione emergunt, reipſa græcorum interpretum computum, reliquos

(*) Ejus verba ſunt in epiſt. ad Vincent. & Gallienum: *Obſecro, ut quicquid hoc tumultuarii operis eſt, amicorum non judicum animo relegatis: præſertim cum & notario, ut ſcitis, velociſſime dictaverim*, &c.

liquos duos longe excedentem, in primo de Temporibus libro potiorem habuerit: ſed ejuſmet verba in medium proferre præſtat. Ὅτι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρων τριῶν ὑποθέσεων ἑαυτόν τε καὶ τὴν ἀλήθειαν ὤπται παραλογισάμενος, ἐντεῦθεν φανερόν· εἰπὼν γὰρ διαφόρους χρόνων ἀποδόσεις παρ' Ἑβραίοις εὑρηκέναι, τὴν μὲν πλήθουσαν, τὴν δὲ ἐλλείπουσαν, ταύτῃ τε κατακολουθῆσαι, πρῶτον μὲν διαψεύδεται· τῇ γὰρ πλεοναζούσῃ τῶν δύο, τῆς τε κατὰ τὸ Ἑβραϊκὸν τῆς τε παρὰ Σαμαρείταις, ἐκδόσει τῶν Ο' κέχρηται, ὡς φησὶν, ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ: κ. τ. λ.; quæ ſic interpretari lubet, Goari verſionem ex parte retinendo: *At vero tribus aliis ex argumentis, ſibi ipſi veritatique voluiſſe fucum facere, hinc manifeſtum: cum enim varias annos numerandi rationes apud Hebræos ſe inveniſſe, unam quidem excedentem, deficientem alteram, & hanc ſe ſequutum affirmet, primum quidem mentitur. ſuperexcedente ſiquidem duos, & eum qui penes Hebræos & illum qui penes Samaritas, Septuaginta interpretum calculo uſus eſt, ut ipſe dicit, in*

 primo

primo libro: &c. Verum enimvero ab eo immerito arguitur mendacii Eusebius, qui in eo Prologi loco nec de annis antiquorum Patriarcharum ante Abraham, nec de discrimine inter codicem Hebræorum, Samaritarum, & græcum τῶν LXX. disputat. ſane ſi eo ſpectaſſet Euſebius, quo vult Syncellus, non ille unum quidem excedentem, deficientem autem alterum apud Hebræos numerum annorum haberi tantum dixiſſet, ſed medium etiam inter utrumque, qui in Samaritarum codice habetur, indicaſſet. Obiter autem obſervo Syncellum in modo laudatis verbis Euſebii locum commemoraſſe, prout ex 2. MS. Regio a nobis fuit ſupra reſtitutum: nam tum ipſi voces πλήθουσαν & ἐλλείπουσαν, quæ in vulgata lectione deſiderantur, adſcribit; tum ad ea verba Euſebii: τὴν ἐμαυτῷ κεχρησμένην, λέγω δὲ τὴν πλήθουσαν, alludere videtur, cum ſcribit κέχρηται, ὥς φησιν (neque enim ὥς φησιν cum Goaro refero ad ſequentia ἐν τῷ πρώ-

τῳ

τῷ λόγῳ, sed ad κέχρηται, quod præcedit): quamquam & in primo illo libro, ubi de illis tribus in Patriarcharum annis diversis inter se computandi rationibus agitur, usus sit Eusebius eodem verbo κέχρημαι: ejus enim hæc verba sunt de versione Septuagintavirali: εἰκότως ταύτῃ καὶ ἡμεῖς κεχρήμεθα κατὰ τὴν παροῦσαν χρονογραφίαν: *jure optimo illa & nos in hac Chronographia usi sumus*. Ceterum Syncellus in eo etiam lapsus est, quod, quum Eusebius de illa peculiariter quæ est in annis Patriarcharum discordantia, agens lib. I. pronuntiasset: se præferre lectionem τῶν LXX. reliquis duabus; id in universum dictum acceperit & præstari ab eo voluerit: itaque, ex. gr., pag.176. agens de annis Heli, scribit: *Heli sacerdos juxta LXX. præfuit Israeli annis XX., juxta Hebraicum vero codicem*, κατὰ δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν (vide supra pag.165. quo etiam loco de Heli sermo est) *quem & Eusebius secutus est, non ita tamen pollicitus, annis XL.* Est etiam

unus & alter Syncelli locus, quibus de Cainan ſecundo agens, Euſebium qui eum penitus omiſit, inſimulare videtur, quaſi Hebraicum codicem ſequutus ſit: Τοῦτον τὸν Καϊνᾶν ὁ Ἐυσέβιος οὐκ ἐστοιχείωσε, τῷ Ἑβραϊκῷ ἀντιγράφῳ κακῷ ἀκολουθήσας: *Hunc Cainan Euſebius non recenſuit, Hebræorum exemplare malum ſequutus*. Hæc pag. 79. ed. Pariſ., quibus ſimilia fere habet pag. 326. Verum non id ſibi voluit, Euſebium per omnia ſequutum exemplar Judæorum, ſed in eo dumtaxat, quod Cainan ex auctoritate codicis Hebræi exploſerit, quem nimirum ipſe ſibi falſo perſuaſerat in omnibus ubicumque & ſemper græcis τῶν LXX. codicibus exſtitiſſe. Apparet id ex iis quæ poſt allata verba addit: διὸ καὶ ἐσφάλη ἔτη ρλ'., *ac propterea annis CXXX. aberravit*; tum quæ in indicato ſupra loco habentur, quo queritur ſpatium ab Adamo ad Abraham natum, ab Euſebio eſſe decurtatum, quod Cainan illum omiſerit ex auctoritate Judæo-

rum

rum codicis; adeo, ut annis tantum IIIM.CLXXXIV. illud concluserit: qui sane numerus, non computato Cainan, est τοῖς LXX. omnino consentaneus. sed vide eumdem & pag. 169. de eodem Cainan disputantem. Verum hæc de Syncello satis, cujus, ut videbimus, Scaliger mentem minime est assequutus.

§. X. *Scaliger perperam Eusebium & Syncellum intellexit, nec ipse sibi omnino constat. tum de Goaro pauca.*

Nunc de recentioribus, & primum de Scaligero & Goaro: tum fusius de Vallarsio erit dicendum. Primus in Animad. in lat. Chron. pag. 12., ad ea verba Hieronymianæ interpretationis, *sequendumque illud potius quod exemplariorum multitudo in fidem traxit*, dum Hieronymum & Syncellum castigat, ipse nobis non una de caussa castigandum se offert. Observat ille quidem initio, & recte, Eusebio παρ' Ἑβραίοις (quæ verba in

textu græco ejus loci habentur) *idem esse, ac* παρὰ τοῖς ἱεροῖς Βιβλίοις *Scripturam veteris testamenti* τὰ Ἑβραϊκὰ, *aut* τὰ Βίβλια *vocat*. Sed hanc suam observationem statim in irritum cadere sinit, dum ita S. Hieronymum impugnat: *Hoc vult* (Eusebius): *in annis* τῆς παιδοποιίας *veterum Patriarcharum, a quibus omnis ratio temporum historiæ sacræ deducitur, maxima est septuaginta Seniorum, Samaritarum & Judæorum discrepantia, quum Septuaginta plures annos ponant quam Samaritæ, illi quam Judæi. Quid faciam? qui minorem numerum ponunt, eos, inquit, secutus sum, hoc est Judæos. At hujus ne minimum quidem in versione Hieronymi exstat vestigium*. Vides, Lector, ut dum Hieronymum Scaliger carpit, quod Eusebii sententiam minime perspicuam exhibeat; Hieronymi ipse mentem, non Eusebii expresserit? Huc quoque referenda sunt quæ in Notis in græc. Eus. pag. 402. col. 2. habentur: *Hæc trium codicum inter se collatio* (sermo est de triplici

com-

computo in annis Patriarcharum, de quo jam nonnulla dicta sunt obiter) *ideo ab Eusebio instituta, ut ostenderet duobus reliquis editionibus solam codicis hebraici Judaeorum anteferendam esse* (quod tamen numquam dixit aut sensit Eusebius): *quod cum proposuerit, non tamen sequutus est. Nam dinumeratio temporum ab Adam ad diluvium, secundum Judaeos colligit annos dumtaxat MDCLVI., ipse autem putat MM. CC. XLII., quae est Septuaginta interpretum summa. in quo manifesto contra hypothesin facit, atque eo nomine a Georgio laudatur simul & vituperatur: alterum, quod tot annos ab Adam ad diluvium ponit, quot ex dinumeratione septuaginta interpretum colligi potest: alterum, quod professus se Judaeos sequi, in partes septuaginta seniorum transit* (hanc vero dicam Syncellus numquam Eusebio impegit; sed contra: quod cum septuaginta se interpretum asseclam primo libro dixerit, in secundo ad Judaeorum castra & computum transfugerit):

rit): *quæ fuit maxima Eusebii ἀλογιστία, vitium illi scriptori solenne*. At habeto tibi interim tu, Scaliger, ἀβλεψίας notam: paullo infra videbimus ἀλογιστίᾳ, immo & ἀντιλογίᾳ te, non Eusebium, peccasse. Sed ne quis credat hæc imprudenti aut dormitanti, ut fit, excidisse Scaligero; rursus ille hanc refricat accusationem in generalibus Prolegomenis initio voluminis præfixis: (*) *Ejusmodi est & illud* (Eusebii scilicet alucinationes eo loco recenset) *quod initio professus se Judæorum hebraicum exemplar sequi in Originibus Bibliacis, tamen insigni hallucinatione LXX. interpretes sequitur, & ab Adam ad diluvium non MDCLVI. annos, ut concipitur ex rationibus hebraicis, sed MM.CC. XLII. ex computatione LXX. interpretum, numerat* (initio quidem Chronici, seu in Prologo, Eusebius minorem numerum se sequutum dixit; nuspiam tamen, *in*

(*) Vide Prolegom., pag. in inferiori ora ita notata, **2.

in Originibus Bibliacis professus est se Judæorum hebraicum exemplar sequi: itaque non ita facile continget, ut aliquis in errorem illum labatur, de quo hic pergit scribere: dummodo Eusebium ipsum, non hujus in eum commentationes consulat.) *Non dubium est, quin aliquis, computationis hebraicæ imperitus, hoc legens apud Eusebium, credat Judæos tantum annorum ab Adam ad diluvium putare, quantum ex rationibus LXX. seniorum colligitur, idque sola Eusebii auctoritate motus*. Hæc ille. Sed Eusebius, ut diximus, nullibi scripsit se *in Originibus Bibliacis Judæorum hebraicum exemplar sequi*; quin immo, ut sæpius Syncellus eidem exprobrat, sed immerito, palam testatus est se, in primis quidem illis ab Adamo ad Abrahamum mundi ætatibus, inhæsurum computo τῶν LXX. in Prologi vero græco & germano textu non agitur de Patriarcharum ante Abrahamum Chronologia, sive de Hebraicorum, Samaritanorum, & Græ-

græcorum codicum diſſonantia, ſed de illa quæ tum in hebræis tum in græcis codicibus occurrit diſcrepantia, ubi intervallum a Moyſe ad Salomonem ex iiſdem eſt definiendum: uno verbo, deſignatur pugna quæ, in ſpeciem ſaltem, intercedit inter III. Regum librum, cap. VI. verſ. 1., & librum integrum Judicum, tum in hebræis tum in græcis codicibus, atque adeo inter ipſum librum III. Regum & Actus Apoſt. cap. XIII. verſ. 20. (juxta quidem græcum textum). Sed, ut Scaligerum pergam caſtigare; quis ſatis mirari poſſit hominis levitatem ne dicam, an ſtuporem? (ea eſt rei indignitas, quæ contra audaciſſimum Criticum, præter morem & propoſitum meum, acerbiora a me verba extorqueat) qui cum diſertis verbis, quæ ſupra recitavimus ex Animadv. in latinum Chron., tradiderit Euſebium in Prologo affirmare, ſe minorem numerum Judæorum in annis veterum Patriarcharum ſequutum,

in

in eadem tamen Nota ſtatim ad Syncellum converſus, aliam omnino ad Euſebii mentem explicandam rationem init, & ipſam tamen ab auctoris ſcopo aberrantem. En ipſa ejus verba. *Hic vero valde Euſebium exagitat Syncellus; primum*, &c.: *deinde quum Euſebius dixerit, quum ſint* διάφοροι χρόνων παραδόσεις, τὴν μὲν πλεονάζουσαν *Septuaginta & Samaritarum*, τὴν δὲ ἐνδέουσαν *Judæorum, hanc ſequutum ſe fuiſſe*: : *petulanter & præter decorum homini inſultans, hæc ſubdit*: ὅτι δὲ, & cetera quæ nos jam ſuperiori ſ. recitavimus. tum ſequitur Scaliger: *Multa alia inepta adjecit, quæ conſulto omittimus. Dicit igitur in hoc peccaſſe* (Euſebium) *quod, cum profeſſus ſit ſe hebraicos numeros Judæorum ſequutum fuiſſe, numeros tamen Septuaginta ſequatur in priori parte, hoc eſt* ἐν τῇ χρονογραφίᾳ (pergit hic præpoſtere Syncelli ſententiam exprimere: vide quæ jam ſupra monuimus). *quod quamvis verum eſt, tamen Euſebius intelligit ſe ab Abraham ad templi excidium*,

dium, Judaeos, qui breviores numeros annorum ponunt, quam Septuaginta, ut in annis Judicum & aliis, sequutum se fuisse. Alioquin verum est, Eusebium ab Adam ad diluvium, annos putasse MM.CC.XLII secundum Septuaginta. Hæc ille. Sed neque verum est, Eusebium ab Abrahamo ad Templi excidium sibi proposuisse Judæorum codicem præ græco τῶν LXX. sequendum: neque item verum est, codicem illum minorem semper numerum annorum colligere quam græcum. utrumque autem quod dixi, ex ipsius Chronici, in quo differentiæ illæ omnes inter utrumque codicem ex sententia Auctoris adnotatæ sunt, vel perfunctoria inspectione planum fiet. Nos tamen singula loca heic lectorum oculis repræsentabimus, ut uno intuitu omnia perlustret.

Excer-

Excerpta ex Eusebii Chronico.

1. Thola (ex Judicibus unus) *annis XXII., alias XXIII., secundum Hebræos*. Ipse tamen Eusebius annos XXII. tantum recenset.

2. *Post Hesebon in libro Hebræorum fertur judex Æalon* (in Vulg. est *Abialon*) *rexisse populum annis X., qui non habentur apud LXX.*: nempe in codicibus græcis quibus usus est Eusebius; nam ceteri plerique habent. Utcumque sit, Hebræorum codicem hoc etiam in loco derelinquit, ut græcos sequatur, quod hi decem illos annos, ut ipse affirmat, non haberent.

3. *Heli Sacerdos annis XL. In Hebræorum libro XL. anni inveniuntur, in LXX. autem interpretatione XX.* Præfert quidem hac tantum vice Hebræorum numerum, sed illum duplo majorem, quam qui apud τοὺς LXX.

4. *Hammon* (rex Judæ) *annis XII. Hammon secundum LXX. interpretationem XII. annis regnavit; secundum*

autem

dium, Judæos, qui breviores numeros annorum ponunt, quam Septuaginta, ut in annis Judicum & aliis, sequutum se fuisse. Alioquin verum est, Eusebium ab Adam ad diluvium, annos putasse MM.CC.XLII secundum Septuaginta. Hæc ille. Sed neque verum est, Eusebium ab Abrahamo ad Templi excidium sibi proposuisse Judæorum codicem præ græco τῶν LXX. sequendum: neque item verum est, codicem illum minorem semper numerum annorum colligere quam græcum. utrumque autem quod dixi, ex ipsius Chronici, in quo differentiæ illæ omnes inter utrumque codicem ex sententia Auctoris adnotatæ sunt, vel perfunctoria inspectione planum fiet. Nos tamen sigula loca heic lectorum oculis repræsentabimus, ut uno intuitu omnia perlustret.

Excer-

Excerpta ex Eusebii Chronico.

1. THola (ex Judicibus unus) *annis XXII., alias XXIII., secundum Hebræos*. Ipse tamen Eusebius annos XXII. tantum recenset.

2. *Post Hesebon in libro Hebræorum fertur judex Æalon* (in Vulg. est *Abialon*)*rexisse populum annis X., qui non habentur apud LXX.*: nempe in codicibus græcis quibus usus est Eusebius; nam ceteri plerique habent. Utcumque sit, Hebræorum codicem hoc etiam in loco derelinquit, ut græcos sequatur, quod hi decem illos annos, ut ipse affirmat, non haberent.

3. *Heli Sacerdos annis XL. In Hebræorum libro XL. anni inveniuntur, in LXX. autem interpretatione XX.* Præfert quidem hac tantum vice Hebræorum numerum, sed illum duplo majorem, quam qui apud τοὺς LXX.

4. *Hammon* (rex Judæ) *annis XII. Hammon secundum LXX. interpretationem XII. annis regnavit; secundum*

autem

autem Hebræos annis II. Opportune monet ad hunc locum Vallarsius, pleraque omnia græca exemplaria, æque ac hebraica, huic regi biennii tantum spatium adsignare; Alexandrinum tamen antiquissimum adstipulari Eusebio. Sed id modo non quærimus. quod ad nos attinet, hinc novimus Eusebium prætulisse aliquando græcos codices, etiam quum majorem quam hebræi annorum numerum præferebant.

Porro sunt quatuor hæ quas descripsi, discrepantiæ omnes, quas in hebræis ac græcis libris Eusebius notavit in spatio illo, quod ab Abraham ad templi excidium intercedit: ex quibus tamen satis superque constat falsissimum esse, quod paullo supra Scaliger pro re certa credulo nimis lectori venditabat: nimirum, ab Abraham ad Templi excidium Eusebium sequutum Judæos, qui pauciores annos præ τοῖς LXX. ponant: constat etiam verissimum esse, illum, quod initio dicebamus, Euse-

bii mentem minime assequutum. De Goaro pauca: hic dum Syncellum contra Scaligerum acriter defendit, & Eusebium contra cum Syncello incusat, satis significat se non percepisse, in quibus illi erraverint, nec quæ Eusebii mens fuerit. Vide ejus Adnotationes pag. 24., juxta quidem edit. Paris.

§. XI. *Vallarsii de eadem quæstione sententia producitur, & ex parte refellitur.*

AD Vallarsium tandem veniamus, qui in Notis ad duos illos ex latino Prologo supra §. VI. productos textus atque alibi, hanc ipsam quæstionem, quin etiam ea data occasione aliam majoris longe momenti promovet, ambasque ex sui animi sententia definit. Hunc itaque gradatim & pedetentim sequemur disputantem, ipsi non invidentes aliorum, aut abnuentes nostros plausus, quoties usus veniet. at ubi secus contigerit, remota omni

contentionis specie amice eum comiterque interpellabimus, proponentes nostras objectiones: ita fiet(uti quidem spero & opto) ut salva amicitia, veritatis tantum inquirendæ & illustrandæ studio atque æmulatione ducamur. Primum ille, Nota B. col. 15., ad ea Hieronymianæ interpretationis verba: *sequendumque illud potius, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit*; observat, Eusebium *absolute* dixisse, *quæ minorem annorum numerum supputaret, non quam exemplariorum probaret multitudo, se maluisse Editionem sequi*: verum *græcum hodiernum textum aliquot imminutum verbis, mancumque se existimare, & persuasum esse debere, numquam laudatum iri abs Hieronymo exemplariorum multitudinem, nisi quid simile de ἀντιγράφοις Eusebius memorasset*. Hæc nimirum ad Hieronymi interpretationem a Scaligeri censura vindicandam referuntur omnia: & sane quod græcum textum, ut a Scaligero & Goaro editum fuit, mancum & aliquot imminutum verbis

bis videris, Vallarsi, merita jam a me laude supra in Notis ad eum Prologi græci locum donatus es. Quod de ἀντιγράφοις autem ab Eusebio memoratis conjecisti, ex restituta a me ex altero græco MS. lacuna per se ruit: sed in eo quid peccatum a te fuit, qui critices artem, non divinandi scientiam profiteris? Transis tandem ad Eusebium, & *Jamvero*, inquis, *ad Eusebium ipsum quod attinet, estque ex parte animadversum etiam Scaligero contra Syncellum, dum se ille profitetur minores velle Judæorum sequi numeros, de ea modo intelligit supputatione, quam in Chronico ipso opere instituit, ab Abraam scilicet ad Templi excidium* (non itaque, si ita est, oportuisset Eusebium de ἀντιγράφοις, seu de *exemplariorum multitudine*, & *interpretum* discrepantia aliquid eo loco dicere, quæ ad tempora Abrahamo superiora referuntur: nisi forte ut inde colligeret, quod tu proxima Nota C, nimirum: *Certum est, quo brevior instituitur numerus annorum ab A-*

damo ad Abraamum, hunc non antiquiorem, ſed recentiorem Inacho evadere. Sed primum, certum eſt, quod & ſupra pag. 177. attigimus, Euſebium alia plane & contraria via progreſſum ad Abrahami antiquitatem ſtabiliendam, nimirum a recentioribus ad antiquiora gradatim aſcendendo, ut ex Prologo & ex Præp. Euang. lib. X. cap. IX. ſupra jam allato liquet. Quam autem tu, Vallarſi, conſequutionem quaſi rem *certam* affers, ne quid acerbius dicam, ea eſt, cui haud immerito aptari poſſint Plauti verba illa ex Pœnul. I. 3.

> *Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo*
> *Opus conjectore eſt, qui Sphingi interpres fuit*.

Sed video, unde hoc tuum Axioma ſumſeris: nimirum Scaliger eadem fere ad verbum habet: itaque liceat mihi illi libere reponere, nihil abſurdius aut ineptius dici ab ipſo

ipſo potuiſſe (*). Redeo ad te, qui Adnotationem tuam col. 15. his verbis,

(*) Scaliger in Animadv. in lat. Chron. pag. 12. in ea verba Hieronymianæ interpretationis, *Verum ut quiſque* (leg. *utcumque quis*) *volet, computet*, hæc notat : *Nihil tale in Euſebianis : vide græca & latina noſtra*. Non expreſſit quidem Hieronymus Euſebii textum ſatis exacte ; ejus tamen mentem, quantum ſatis erat, declaravit, cum dixit, *utcumque quis volet*, ſeu juxta majorem, ſeu juxta minorem numerum, *computet* ; tamen inveniet Abrahamum ſaltem æqualem Inacho fuiſſe. ſed quid de Euſebio addit ille ? *Sequutus, inquit, ſum editionem, quæ minorem annorum numerum concipit, nimirum Judæorum hebraicam : tamen ne ſic quidem Moſem tam vetuſtum reperire potui. παραλογισμός eſt, & a juſta reprehenſione Euſebius ſe ſe vindicare non poteſt*. Siccine, Scaliger, agis ? Euſebius non dixit, *tamen ne ſic quidem*, ſed πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτω, *nihilominus & ſic quoque*, ut ea tute verba es interpretatus : itaque injuria παραλογισμοῦ Euſebium incuſas, a quo cum poſtea, ſed veluti benigna interpretatione uſus, excuſas, cum in fine Notæ ſubdis : *Niſi velimus dicere hanc Euſebii mentem fuiſſe : quamvis breviorem numerum ſequutus ſum, tamen & ſic quoque Abraham antiquiſſimum reperi, utpote Inachi temporibus æqualem*. Sed ad rem tandem venia.

bis, post supra allata, continuas: *Nam in Prodromo, ut nobis vocare placet*,

veniamus. *Quo enim*, pergis post supra recitata verba contra Eusebium, scribere, *brevior erit annorum numerus a primo homine, vel a diluvio, eo propior erit nostris temporibus Moses, & Inachus Abrahamo antiquior. Quod si sequutus esset longiorem annorum numerum, qualem septuaginta Seniorum prodidit editio, tunc sane poterat Moses aequalis Inacho, aut antiquior, aut non multo inferior videri.* Παραλογισμὸς hic certe est, neque a justa reprehensione, qua immeritum Eusebium sugillasti, tu te ipsum vindicare Scaliger poteris. *Quo brevior est annorum numerus a primo homine, vel a diluvio, eo propior erit* mundi origini *Moses*; quod vero idem *nostris temporibus propior* sit vel remotior, id unice, si sapis, pendet ex annorum numero, qui inter nos & Mosem intercedit, non ex praeteritis ante ipsum saeculis. Ita *Inachus Abrahamo antiquior* fere evadet, non si brevior ille numerus ab Adamo ad Abrahamum potior habeatur, sed si aliunde constiterit illum majori a nobis quam hunc annorum spatio distare. Hanc, ut saepius dixi, methodum Eusebius inivit: neque alia profecto suppetit, quo haec Chronologiae capita rite inter se comparari possint. Haec adeo plana & aperta sunt, ut pudeat me in his refutandis diutius immorari.

cet, sive προτάξει *, ut ipse Auctor vocat,* (de qua tamen voce satis supra a nobis est dictum Part. I. §. 2.) *quo temporum intervalla ab Adamo ad Abraami ortum paucis perstrinxit, certam nullam rationem init; neque enim id sibi negotii in iis dedit: quin potius juxta receptam vulgo editionem LXX. longiores annos putat, subdensque passim Hebræorum numerum, judicium lectori permittit.* Sed facessat jam *Prodromus* iste, sive, ut inscribitur, *Exordium libri*: ejus enim νοθείαν abunde in priori Parte demonstravimus. Quid, amabo te, dicendum de iis quæ in Prologo ipso Chronici habentur, quo loco anni ab Adam ad Abraham juxta versionem septuagintaviralem, nulla habita hebraici textus & computi ratione, recensentur? Hanc sane objectionem per te ipse probe videras, & solvere conatus es, Nota C. col. 25. & seqq.; sed, pace tua dixerim, invita prorsus, uti mihi quidem videtur, Minerva. nam ibidem ea verba Hieronymianæ versionis edisserens:

Itaque manifestum est, Abraam Nini ætate generatum, juxta eum tamen numerum, quem contractiorem editione vulgata sermo præbet hebræus; primum (omissis, quæ ad nos minime hoc loco spectant) nullus dubitas, quin Eusebius ita suam græce explicaverit sententiam, ut a Hieronymo fuit latine reddita (quod tamen ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & postea dicentur, omnino refellitur) : tum ex his verbis id quasi certum & evidens tibi sumis, Eusebium annos ab Adam ad Abrahamum ex hebræorum rationibus recensuisse, de quo nobis erit paullo post agendum. Liceat heic tantum & obiter pauca illa inde delibare: *Est itaque & nobis pensanda res istæc ex Eusebii rationibus; quem ex hac supputatione constat Abraami ortum ad mundi annum MDCCCCLXXXVIII., atque adeo Mosis quoque octogesimum (quo anno egressus est Israel ab Ægypto) ad MMCCCCXCIII. retulisse; qua quidem in re tametsi illi rectius rationes ex Hebræo ineant, qui*

post

post adhuc annos quindecim, sive septimo secundi millenarii anno natalem Abraami diem consignant, bene est tamen, &c.: scire enim abs te aveo, quanam *Cabbala* (verbo minus latino, sed hebraico tamen, uti mihi liceat, quoniam aliud ita proprium huic rei significandæ non suppetit) ex eo loco exsculpseris annum Abrahæ natalitium fuisse ab O. C. signanter MDCCCC. LXXXVIII.: neque enim video, undenam, si non hinc, eum sumseris numerum. Equidem si dixisses annos MDCCCCLI., haberes quo te aliqua ratione defenderes: respexisse enim videreris eo pacto ad Chronicum ipsum, & ad annum Abrahæ LI., ubi hæc habentur: *Principium XLI. Jubilæi secundum Hebræos ..... Itaque juxta supputationem eorum usque ad annum præsentem sunt anni MM.*, de quo tamen loco, & de iis quæ ibidem adnotasti, infra erit dicendi locus. Tum vero non *quindecim*, seu, ut dixisse te oportuit, viginti annis, sed omni-

Itaque manifestum est, Abraam Nini ætate generatum, juxta eum tamen numerum, quem contractiorem editione vulgata sermo præbet hebræus; primum (omissis, quæ ad nos minime hoc loco spectant) nullus dubitas, quin Eusebius ita suam græce explicaverit sententiam, ut a Hieronymo fuit latine reddita (quod tamen ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & postea dicentur, omnino refellitur): tum ex his verbis id quasi certum & evidens tibi sumis, Eusebium annos ab Adam ad Abrahamum ex hebræorum rationibus recensuisse, de quo nobis erit paullo post agendum. Liceat heic tantum & obiter pauca illa inde delibare: *Est itaque & nobis pensanda res istæc ex Eusebii rationibus; quem ex hac supputatione constat Abraami ortum ad mundi annum MDCCCCLXXX. VIII., atque adeo Mosis quoque octogesimum (quo anno egressus est Israel ab Ægypto) ad MMCCCCXCIII. retulisse; qua quidem in re tametsi illi rectius rationes ex Hebræo ineant, qui*

post

post adhuc annos quindecim, sive septimo secundi millenarii anno, natalem Abraami diem consignant, bene est tamen, &c.: scire enim abs te aveo, quanam *Cabbala* (verbo minus latino, sed hebraico tamen, uti mihi liceat, quoniam aliud ita proprium huic rei significandæ non suppetit) ex eo loco exsculpseris annum Abrahæ natalitium fuisse ab O. C. signanter MDCCCC. LXXXVIII.: neque enim video, undenam, si non hinc, eum sumseris numerum. Equidem si dixisses annos MDCCCCLI., haberes quo te aliqua ratione defenderes: respexisse enim videreris eo pacto ad Chronicum ipsum, & ad annum Abrahæ LI., ubi hæc habentur: *Principium XLI. Jubilæi secundum Hebræos ..... Itaque juxta supputationem eorum usque ad annum præsentem sunt anni MM.*, de quo tamen loco, & de iis quæ ibidem adnotasti, infra erit dicendi locus. Tum vero non *quindecim*, seu, ut dixisse te oportuit, viginti annis, sed omnino

no VIII. & L. Eusebiana ex Hebræo ducta, uti quidem contendis, computandi ratio infra eorum rationes esset, qui *septimo*, seu potius octavo secundi *millenarii anno* natum Abraham statuunt; quorum ex numero est Jacobus Usserius, Chron. Sacræ cap. III.; eam tamen minus probari aliis nonnullis video, ut Dionysio Petavio Ration. Temp. Part. II. lib. II. cap. 2.. sed de his nulla inter nos disputatio sit, ne extra orbitam evagemur. Redeo ad Adnotationis tuæ seriem. posteaquam, ut dicebam, statuisti Eusebium Hebræorum ab Adamo ad Abrahamum computum iniisse, opponis tibi: *Verum illud jure meritoque nos moveat, quod statim Auctor adnectit, a nativitate Abraæ ad totius orbis diluvium annos inveniri nongentos quadraginta duos, atque inde bis mille ducentos quadraginta duos retrorsum usque ad Adamum, sive conditum mundum. Hac enim supputatione jam non juxta contractiorem eum numerum, quod satis bene*

atque erudite videbatur adstruere, *sed post adbuc integros mille centum septuaginta sex*, *sive anno IIIM. CLXXXIV. Abrahami ortum constituat*, *necesse est*. Non levis sane momenti objectio est hæc, Vallarsi, *& dignus* te, qui tibimet eum nexuisti, *vindice nodus*: sed permitte ut prius te moneam, annos illos MCLXXVI. non convenire tuis aut Eusebii, ut tu quidem eum interpretaris, rationibus: nam si eum numerum demas ex altero vere Eusebiano IIIM. CLXXXIV., reliqua erit summa annorum II.M. & VIII., de qua paullo supra, & statim infra sermo erit. dicendum tibi itaque fuerat MCXCVI.: sed has minutias scrupulosius putare, credo, calculatoris proprium, non Critici esse judicasti. Sed te audire pergam: *Hinc vero & secum ipse pugnet Eusebius*, *atque ut ab hebræo textu dudum laudato* (seu potius ab eorum sententia, qui ex illo textu ab Adamo ad Abrahamum natum annos IIM. & VIII. colligunt) *aberret*,

non

non tamen ipsis LXX. *consentiet, qui eo numero* (intellige, III. M. CLXXXIV.) *ducentos nonaginta plus habent, sive anno* IIIM. CCCCLXXIV. *natum eum referunt. Experiar igitur, ut eum a calumnia liberem, dicere, quid hoc rei sit.* Sed ante quam incipias, dic sodes, quonam libro, capite & versiculo Septuagintaviralis versio putat ab O. C. ad Abraham natum, annos IIIM.CCCC.LXXIV.? Provocabis fortasse ad Scriptores, qui de computo τῶν LXX. egerunt? saltem horum aliquem itaque a te mihi indicari velim, & multam pro hac re tibi habebo gratiam. ego enim cum plurimos consulto adierim, neminem tamen reperi, qui ad eum usque numerum supputando pervenerit. Sed frustra a te mihi indicari postulo, quod nuspiam est aut fuit umquam. res autem ut se habeat, statim dicam: nam id probe intelligendis iis quæ a te paullo post dicenda erunt, multum proderit. In textu τῶν LXX. (quod nemo sacris stu-

ſtudiis vel a primo limine ſalutatis ignorare poteſt) non habetur (uti nec in hebræo codice, aut Vulgata noſtra) ſumma ipſa annorum ab Adamo ad Abrahamum, ſed id tantum habetur expreſſum, quoto quiſque ex iis Patriarchis vitæ anno filios ſuſceperit: inde vero collegerunt Eccleſiaſtici ſcriptores, ſed alii aliter, computum annorum ab O. C. ad diluvium & a diluvio ad Abrahamum. & quamvis profiteantur omnes verſioni ſe illi inhærere, ſuo tamen quiſque peculiari modo eam explicant: itaque non ideo quia majorem alii quam Euſebius, annorum numerum collegerunt, inde ſequitur eum a LXX. computo diſceſſiſſe: ſuo enim quiſque eſt pede metiendus, non ad aliorum normam & placita. Sed videamus num aliqui ſint, qui illud ſpatium omne ad annos uſque IIIM. CCCC. LXXIV. protenderint, quem numerum, quaſi ad LXX. Interpretum textum unice exactum, ſæpius hac nota a te inculcari video. Alii,

ut dicebam, aliter ætates Patriarcharum usque ad Abraham supputarunt. exempli gratia Eusebius collegit annos IIIM. C. & LXXXIV., Africanus IIIM. CC. & II., Syncellus & Sulpicius Severus IIIM. CCC. & XII., alii etiam plures, ut Petavius, in Rat. Temp. P. II. lib. II. cap. 2., III M. CCC. & XIV.; vel, ut Usserius, Chron. sacræ cap. III., videtur innuere, IIIM. CCCLXXIV., vel denique, ut Pezronius (qui præ ceteris ætates Patriarcharum producere conatus est, in libello gallice scripto, cui titulus *L' Antiquité des tems retablie*) annos omnino IIIM.CCCC. XXX. VIII.: attamen ne hic quidem eo perduxit quo tu intervallum illud, nam annis XXXVI. eumdem tu excedis. Quid nam hoc itaque rei est, Vallarsi? vis ne libere dicam, quod sentio? vereor, ne & hoc quoque in loco rationes tuæ te fefellerint. Sane is quem tu proponis annorum numerum, quantum video, non ad Abrahæ, sed ad nepotum

ejus

ejus Esau & Jacob natalem annum referri debet: nam si summæ illi an. IIIM. CCCXIV. quam paullo ante Petavio tribuebam, sed quæ reipsa ceteris magis recepta est, addas annos centum Abrahæ, quo tempore Isaac ex Sara suscepit, tum alios LX. annos, post quos Isaaco ex Rebecca nati sunt gemelli Esau & Jacob, erunt simul anni omnino IIIM. CCCC. & LXXIV., quos sane tu nullo pacto, quantumvis enitaris, ad Abraham natum poteris coartare. Ita quidem ego Eusebium absolvo a crimine detruncati contra omne fas computi τῶν LXX.

§. XII.

§. XII. Vallarsius, perperam opinatus Eusebium in Prologo *Hebræorum ab Adamo ad Abrabamum computum probasse, de quo §. superiori; eumdem ab impacta* ἀντιλογίας *nota frustra absolvere aggreditur. aliæ ejusdem alucinationes deteguntur.*

SEd videamus aliquando, quomodo ab ea quam dicis *calumnia* deserti ab Eusebio contra datam fidem hebræi computi, tu eumdem liberes. *Eusebius hoc libro Chronologicas rationes suas omnes ab Abraam nato auspicatur, ad quem unice sibi digerenda subsequuta tempora, componendaque cum universa historia proposuit. Eum porro annum cogente rerum serie, atque eorum quos suppares facit esse exoticis monumentis, novit ex Hebræo textu, cujus contractior est numerus, sibi esse repetendum.* His verbis obscurius quidem, sed id unice rursum significare voluisti, quod alibi disertius jam dixeras: minorem scilicet numerum,

qui

qui ex hebræo codice ab Adam ad Abraham colligitur, necessario ab Eusebio fuisse adoptandum, ut Abrahamum, puta, Inacho æqualem faceret: recole tamen quæ paulo ante contra Scaligerum de ea re diximus. *Atque in eo quidem*, inquis, *si levioris, quem supra notavimus, momenti* προχρονισμὸν *XV. fere annorum excuses, de quo rursus dicemus* (*), *cetera bene in-*

 vicem

(*) Respicit, ut puto, Vallarsius ad ea quæ paullo ante hac eadem Nota scripserat; ubi vero de his rursum dixerit, non invenio: quamvis & alibi de Eusebii προχρονισμοῖς & μεταχρονισμοῖς egerit, ut col. 20. Not. C., & col. 288. Not. itidem C., ex Scaligeri, quem tamen perpetuo vellicat, officina has peregrinas merces in suos comparans usus. confer citatam Not. col. 288. cum iis quæ habet Scaliger in Animadv. pag. 53. col. 2., unde ad verbum sumta est; tum Not. col. 20. cum iis quæ hic pag. 69. col. 2. & alibi. Sed & ille Scaligeri, ex pag. 14. col. 2., locus esset expendendus, quo in ea Chronici verba, *Cujus* (Nini) *XLIII. imperii anno natus est Abraham*, ita scribit: *Abraham nascitur anno trigesimo Beluchi noni Assyriorum regis, anno XVI. numeri Eusebiani* (Atqui

annus

vicem & cum historiæ veritate ita constant, ut synchronismi facile observari queant, nec a posterioribus anteriora, vel utraque ab historica observatione dissideant. Quæ vero annum illum præcedunt ad mundi usque initium, quippe cum parum aut nihil ad instituti Operis propositum facerent, nihil pensi habuit, ex cujus Codicis supputatione proferret; ac magis cavit, ne a recepta vulgo apud suos opinione discederet. Mira narras, Vallarsi, de Eusebii ingenio & prudentia. *Nihil pensi habuit*, inquis, quem computum in Prologo proferret? Atqui plurimum, immo maxime intererat, si quidem in toto Chronico

annus Beluchi trigesimus respondet anno numeri Eusebiani CCLVIII. (*Itaque si omnia, quæ post Abrahamum natum contigerunt, ad numerum Eusebianum revocare vis, prius XV. anni de numero sunt deducendi. totidem enim annis veram rationem superat*. Ipse itaque viderit Vallarsius, num ex his locis Scaligeri suum illum de προχρονισμῷ Eusebii in anno potissimum Abrahami natali stabiliendo sumserit. Nobis singula persequi non est animus, ne aliam ex alia quæstionem excitemus, & in infinitum disputando progrediamur.

nico Hebræorum computum, ut tu putas, sequendum sibi proposuisset, id ipsum initio, seu in Prologo facere: immo ibidem vulgarem opinionem, quæ primarium totius Operis fundamentum nutans reddidisset, penitus ante convellere. At, pergis, *cavit, ne a recepta vulgo apud suos opinione discederet*. Quid? si in toto Opere, ut tu dicis, ab ea descivit? quid? si hoc ipso loco, qui præ manibus est, palam fatetur (si Hieronymi tamen interpretationi in eo esset præstanda fides) se *ab editione vulgata* discedere. Quî, quæso, obtrectatorum effugisset dicteria, si paucis adeo in verbis sibimet tam aperte contradixisset, ut uno eodemque loco se & ab editione vulgata discedere profiteretur, & lectorem ad eamdem versionem perscrutandam ablegaret? Pergis deinde multa alia scribere, quæ, vel quod aliis verbis jam dicta fuerant, vel quod sine dispendio principalis quæstionis omitti facile poterant, brevitatis gratia libens prætereo.

hæc tamen non omittam : *In ipsa autem perfunctoria recensione annos quidem ab Adamo ad diluvium ex vulgatæ tunc editionis, sive ex τῶν LXX. calculo posuit IIM. CC. XLII.: totidem enim & græcus Scripturæ textus putat. In aliis DCCCCXLII. a diluvio ad Abraamum ab ipsis maluit LXX. paullisper discedere; & quem illi obtrudunt alterum Cainanum, Arphaxadi filium, juxta quem (* leg. *in quo*) *ferme sequitur Africanum, ex albo Patriarcharum expunxit*. Itaque in eo tantum, te ipso fatente, a LXX. discessit Eusebius, quod Cainanum Arphaxadi filium non recensuerit, & quidem, ut ipse dicis, ab illis *obtrusum*. cur itaque eum non excusas potius, & defendis, ut alii faciunt, qui Cainan illum *intrusum* merito exploserit, præcipue cum & Africanum, ut addis, in eo sequutus sit, quem alioquin aliis multis in quæstionibus acriter impugnavit? Sed tu, ut dicere pergis, *neque Eusebium a Georgii* (Syncelli) *criminatione vindicas*, & qui initio,

tum a calumnia liberare volueras, nova ipsi crimina affingis: nam qui Cainan illum computant, annis tantum CXXX. illud a diluvio ad Abraham intervallum augent, cum tu illud exaggeres ad annos *fere trecentos*, quot nimirum paullo post addis a *Septuaginta* Interpretibus *onerari spatium illud supra Eusebium*. Sed de hac tua supputatione satis dictum est paullo ante. Quod autem Eusebius græcam sibi versionem usquequaque exprimendam proposuerit; cum annos illos DCCCC.XLII. a diluvio ad Abrahamum natum putavit, vel ex ejus græco textu liquet, quem tutemet dum ex Scaligero refers, *ex alio opere* tamen ab eo sumtum mones: illud tamen, si nescis, est primus ille liber, quem tu negas ab Eusebio scriptum fuisse. Latinam ego tantum ejus loci interpretationem transcribam: *Juxta LXX. ab Adamo usque ad diluvium anni sunt IIM. CC. XLII.; a diluvio autem usque ad primum Abraami annum, DCCCCXLII.;*

 simul

simul omnes anni IIIM.CLXXXIV. Liquet, itaque Cainan ab illo omissum, uti & ab Africano, vel quod in græca exemplaria nondum irrepsisset, vel quod ab iis saltem abesset, quæ magis antiqua & emendata habebantur. Sed tu ad aliud statim argumentum confugis, quo eum numerum annorum DCCCCXLII. impugnes: est autem hujusmodi. *Eusebiani præterea libri, hos dico, qui ex latina Hieronymi interpretatione superant, pro Editionum varietate, & librariorum interpolatione diversas ad hunc Chronici locum ab Orbe condito summas concipiunt. Et quamquam castigatiores ii dicuntur Pontaco & Petavio codices, qui a diluvio ad Abraamum pro* DCCCC. XLII., *annos computant* MLXXII., *ea tamen summa adhuc est septuagintavirali calculo solidis centum sexaginta annis minor, quantum nempe ab eo anno* IIIM. CCCC.LXXIV. *discedit* (At centum illi & sexaginta anni numerandi sunt ab Abrahami ad Esau & Jacob natalem,

ætalem, qui, ut supra diximus, incidit nimirum in annum ab O. C. IIIM. CCCCLXX. IV.) *Prior autem illa, quæ solos putat DCCCC. XLII. recepta est vulgo tamquam ex Eusebii & Hieronymi mente ab omnibus fere ætatis mediæ Chronologis, Orosio, Beda, Freculpho, atque aliis, qui se calculis Eusebianis insistere profitentur. Est igitur manifestum, neque ἐν παρέργῳ disputantem de Patriarcharum annis Eusebium, septuaginta interpretum abuti rationibus, cujus est tanta ab illis dissensio, quanta non solis annis, sed tribus annorum centuriis continetur.* Ego quidem aliam prorsus exspectabam ut tu, Vallarsi, deduceres ex præmissis conclusionem: nempe numerum illum annorum DCCCCXLII. esse repudiandum, propterea quod, ut tu dixeras, *castigatiores dicuntur Pontaco & Petavio codices, qui annos computant MLXXII.* quod si fecisses, haberem quos tibi opponerem non Orosium tantum & paucos illos, quos pro minori illo numero alle-

 gasti,

gasti, sed illos multo plures, qui a me Part. I. §. X. & XI. commemorati fuerunt: omnes enim numerum hunc DCCCC.XLII. annorum a diluvio ad Abraham Eusebio adscribunt, nemo majorem alterum. Quid autem sit quod scribis *de diversis pro editionum varietate & librariorum interpolatione ad hunc Chronici locum ab orbe condito summis*, plane non intelligo: nam, si id tibi vis, Prologi locum, quem edisseris, *pro editionum varietate & librariorum interpolatione* utrumque illum numerum præferre, hoc omnino falsum est: nam neque tu, neque alius quispiam eam ibidem lectionis discrepantiam offendit, aut indicavit. Sin autem, ut facile crediderim, eis verbis designare voluisti discrepantiam illam quæ est inter hunc Prologi locum & alterum in *Exordio libri*, de qua jam pluribus actum est I. Parte, præsertim §. XIII.; falsum itidem est a Pontaco uspiam scriptum, *castigatiores eos codices* esse, *qui a diluvio ad Abra-*

hamum

bamum pro DCCCCXLII., *annos computant MLXXII.* Ipsum Pontacum audiamus: & primum quæ notaverit in hunc Prologi textum, deinde quæ in textum *Exordii*, in medium afferamus. Duas habet hic, cujus tamen rei caussam divinare nequeo, nisi forte secunda emendatior haberi debeat, Adnotationes in hæc Prologi verba: *retrorsum annos DCCCC.XLII.*. prima his concepta verbis est: *Ita me multorum exemplariorum consensus Peta. A. L. M. Va. Vat. V. Lo. Al. Vi. O. Pi. Fa. Sa. So. Fux. Mar. Eusebii & Gregorii Turonens. lib. 1. cap. 7. postquam dixit se sequutum exemplaria Chronici Eusebii, & tam heic, quam ad annum Christi XXX. ubi eadem repetuntur, & ipsa ratio temporum coegit legere, cum in Lut. Ven. Ba. Pet. B. & H. habeatur DCCCXLII.*, *& in Al. DCCCC.* secunda vero ita se habet: *Ita correximus pro DCCCXLII. suadentibus L. A. M. V. Va. Vat. Lo. Vi. Al. O. Mar. So.*

Sa. & ipso auctore circa Olymp. 201. *Juvatur hæc lectio testimonio Freculphi lib.* 1. *cap.* 35. *Beatus Hieronymus in Chronico Eusebii atque Orosius in prima fronte suorum librorum dicunt, a nativitate Abrahæ usque ad totius orbis diluvium numerari, supputando retrorsum, annos* 249. (Sed legendum est, ut apparet, inversis numeris, 942.) Jam vides, nullum hoc loco MS. habuisse pro DCCCCXLII., alterum illum numerum M. LXXII.: sed fortasse melius tibi res successerit, si Pontaci Adnotationem proferamus in illa *Exordii* verba: *Ab anno diluvii usque ad nativitatem Abraæ sunt anni MLXXII.* Eccam: *Locus feliciter emendatus: nam conveniebant omnes libri, ut pro* 1072. *legeretur* 1720. *cum iisdem quidem numeris, sed luxatis & transmutatis: prodidit autem errorem ratio annorum præcedentium, per generationes videlicet*, &c. His adde, quæ ex hac eadem Nota alibi attulimus, scilicet Par. I. hujus Differt. §. XIII. Ubi ergo, Vallarsi,

sunt

sunt castigatiores illi codices a Pontaco, ut dicis, allegati? quum is hunc ipsum locum, nullo ex paucis illis qui *Exordium*, ipso referente, habebant, suffragante codice, sed ex generationum serie restituerit. At tu Pontacum non legeras, & Petavium clausis oculis sequutus es, & descripsisti ex libro IX. de Doctr. Temp. cap. 2., qui sane Pontacum ne ipse quidem legerat; aut si legit, non intellexit. Multa prætereo, ne nimia prolixitate lectoribus gravis, aut ne tibi, Vallarsi, molestior sim, si singula tua dicta ad trutinam revocare vellem: itaque quod præcipuum & extremum in hac ipsa Adnotatione occurrit, tantummodo recenseo: *Alterum quod inferimus*, inquis, *huic quidem consectarium est*, *momenti autem multo majoris*, *& quod totam fere Eusebiani syntagmatis memoriam continet. Nempe tantum abesse contendimus a græci exemplaris supputatione in hoc adornando Chronico Eusebium*, *ut numquam ab ea summa, quæ ab orbe condi-*

condito ad diluvium, atque exinde ad Abrahamum initur, ad alias temporum sequiorum æras collegerit iis locis haud sane paucis, quibus totius operis sui rationes ad diversas epochas comparat, ac certa invicem nectit initia. Sed cum hoc paucis demonstrari nequeat; sit etiam unus aut alter locus in editis libris, ut est ille ad annum Abrae CMXC., qui sententiæ huic nostræ refragantur, quorum est tamen fides omnis elevanda: denique veterum & recentiorum testimonia, & præconceptas opiniones diluere oporteat, quæ Notarum brevitas non patitur, in præfixa huic Tomo Præfatione, commodiore scilicet loco, edisseremus, quam adeo ut recolas, auctores sumus. Sed de his, & de tota hac quæstione, qua Eusebium Hebræorum calculo per omnia atque unice inhæsisse in Chronici serie contendis, licet non pauca jam, sed quasi obiter, dixerimus, in proxime seq. §. erit ex instituto disserendum.

§ XIII. Expenduntur argumenta omnia quibus Vallarſius ſententiam ſuam de Hebræorum computo in Chronico ab Euſebio unice obſervato, ſtabilire, contrariamque ab omnibus ad hanc diem receptam elevare niſus eſt.

UNum nimirum eſt, quod jamdiu verſat Vallarſius, quoque ſua omnia collineant molimina. tum ipſe illud pro certo habet, tum aliis perſuadere conatur, Euſebium hebræi codicis computum unice & perpetuo ſequutum eſſe in Chronico. itaque quæ ſibi in eo loca adverſantur, evertere eadem opera aggreditur. Sed quoniam, neſcio qua de cauſſa, factum eſt, ut quod in Tomi Præfatione promiſerat ſe cumulate præſtaturum, ne attigerit quidem; ſatis tamen nonnullis aliis in locis, & hac ipſa Nota ſignificavit, quibus potiſſimum argumentis ſe utrumque efficere ſperaret: itaque ſingula quam breviſſime potero, expendam quæ in utram-

utramque quæstionis partem ab eo afferuntur argumenta: quando in hanc quæstionem ab ipso quasi abductus descendere cogor. Ceterum quæ dicam, eo omnia referri possunt, ut id potissimum de quo primum disputatum est, magis ac magis confirmetur: nempe, ut eluceat locum illum quo se Eusebius *minorem numerum* annorum in Chronico digerendo prætulisse affirmat, perperam fuisse acceptum a doctissimis viris, qui eum interpretari, aut declarare ad hanc usque diem sunt aggressi: quod de Vallarsio nostro adeo verum est, ut ea una de caussa Eusebii Chronologicas rationes præcipuas ab illo omnino turbatas & sus deque versas, ex jam dictis ac mox dicendis liquido appareat. Quæ itaque Vallarsio indicia & argumenta fuerunt, ex quibus concluderet ab Eusebio adoptatum computum Hebræorum, tria omnino esse video, quorum primum nititur Hieronymianæ Prologi interpretationi, quæ sane

nisi

nisi contra Eusebii mentem expressa probe cognoscatur, eo incautum quemque facile pertrahit: sed de ea jam satis, ut puto, actum est supra. Alterum pro sua sententia argumentum Vallarsius ducit ex his Chronici verbis, quæ ad annum Abrahæ DCCCLXI. habentur: *Heli sacerdos annis XL. In Hebræorum libro XL. anni inveniuntur, in LXX. autem interpretatione XX.* Ita enim in eum locum commentatur. *Eusebius, ut vides, Hebræorum numerum præfert: & quod alias notatum nobis est, contra receptam hactenus vulgo sententiam, non ideo præfert, quod minor sit illo, quem reddunt Septuaginta Interpretes; cum e contrario sit altero tanto major; sed quod Hebræo archetypo fidelissime adhærere semel propositum habuerit. Hanc Auctoris nostri mentem neque Syncellus assequutus est, qui eum plane immerito sugillat heic loci, quod τὸ Ἑβραϊκὸν ἀκολουθῆσαι, οὐχ οὕτως ἐπαγγειλάμενος:* Hebraicum librum, contrarium etiam pollicitus, sequitur. (sed Syncelli

textus

textus non habet τὸ Ἑβραϊκὸν ἠκολούθησεν, sed κατὰ δὲ τὸ Ἑβραϊκὸν, ᾧ καὶ Εὐσέβιος ἠκολούθησεν), *Putat scilicet, dixisse alias Eusebium, velle se minorem numerum ἁπλῶς sequi, non quia Hebraici textus, sed quia minor esset: cum omnino Hebræi archetypi rationem habere se velle dixerit, atque ibi minorem, ut est fere semper alias, heic majorem numerum, eadem illa de caussa probet*. Hic ille profecto locus est, in quo ne Vallarsio malæ fidei notam inurere debeam, cogor eumdem incuriæ & oblivionis accusare: nempe quod, cum alia non pauca in Chronico loca sint, ubi Hebræorum numeri repudiantur, præferuntur autem illi Græcorum Interpretum; ea silentio prætererit, aut minime attenderit; & hunc tantum, qui in speciem videtur sententiæ ejus suffragari, in argumentum assumserit. *Hebræo archetypo*, inquit, *fidelissime adhærere semel propositum habuit* Eusebius: cur ergo, ubi de Thola judice egit, XXII. tantum ei annos ad-

tri-

tribuit, licet fateatur *secundum Hebraeos* numerari XXIII.? Ergo Eusebius aut promissis non stetit, aut *Hebraeo archetypo fidelissime adhaerere* numquam promisit. Idem dicendum est de Æalon judicis annis X., quos cum *in libro Hebraeorum* haberi notaverit, non recensuit tamen. Tum Ammon regi Judæ XII. annos juxta LXX., ut ipse scribit, adsignavit, fassus tamen Hebræos duos tantum illi adscribere. Hæc omnia certe loca viderat Vallarsius; nam in singula adnotavit nonnulla, quæ tamen ad quæstionem nostram non referuntur. non itaque unus ille de Heli annis locus, licet ipse difficultate non careat, illi producendus erat, ut eidem id superstrueret quod tot aliis locis penitus subruitur & disjicitur. Difficultate, inquam, non caret locus ille, quo de Heli annis agitur, siquidem cum eo, quæ a Vallarsio usurpata fuerunt ex Eusebio testimonia, diligenter conferantur: nuspiam enim Eusebium, ne in inter-

 pre-

pretatione quidem S. Hieronymi, dixisse apparet, se Hebræorum sequi computum, quin is simul significaverit, aut potius significare videatur, eumdem contractiorem esse altero. at Vallarsius, ut ab hac etiam se expediat difficultate, fingit illum, non habita ratione majoris aut minoris numeri, per omnia inhærere se professum hebræo archetypo. Præterea dum Syncellum arguit, quod Eusebii *mentem* non sit *assequutus*, ipse Syncellum perperam intellexisse se prodit: nam, ut supra §. IX. & X. declaravimus, hic in eo accusat Eusebium & violatæ fidei reum peragit, quod, cum libro primo dixerit se calculos τῶν LXX. potiores habere, in Chronico aliquoties, ut in Heli, Hebræorum numeros prætulerit: idque adeo verum est, ut ubi in Prologo idem Eusebius dixit *se minorem numerum sequi*, ab illo mendacii insimuletur, quod annos Patriarcharum ex græcorum Interpretum ipse rationibus subduxerit. adeo abest, ut Syn-

Syncellus umquam putaverit, *dixisse alias Eusebium velle se minorem numerum ἁπλῶς sequi, non quia hebraici textus, sed quia minor esset*. Tertium Vallarsii argumentum, quodque ipsi palmare visum est, ducitur ex iis Chronici locis, in quibus de Hebræorum Jubilæis mentio est. Exempli gratia ad annum Abrahæ LI. hæc leguntur: *Principium XLI. Jubilæi secundum Hebræos. Jobel autem apud eos quinquagenarius annus notatur. itaque juxta supputationem eorum ab Adam usque ad annum præsentem sunt anni MM.* Porro, quid ad hunc locum Vallarsius adnotat? *Nihil evidentius hoc loco*, inquit, *ad probandum quod contra receptam vulgo sententiam diximus ad hujusce libri Præfationem, Eusebium adeo non sequi calculos τῶν LXX., ut cum cetera Chronologiam suam post ea tempora exordiatur quæ illi exaggerarunt, etiam ubi superioris ejus intervalli ab Adam meminisse oportuit, ab eoque rationes inire, minorem numerum, sive hebræi codicis, non Græcorum supputa-*

 tionem

tionem prætulerit. Vide, si id potuit probari manifestius, quam ducto Jubilæorum initio ab Adamo, & quadragesimo primo Jubilæo in Abraami quinquagesimum primum conjecto. Hoc tamen ipsum minime videtur Scaliger assequutus, qui cum aliis modis heic erratum esse ab Eusebio contendit, tum isto, quod suismet ipse rationibus contradicat, quas ex dinumeratione septuaginta Seniorum inierat. Nos hac de re, utpote manifesta, & de qua plura alias, nec uno in loco, diximus, nihil heic ad eam refellendam objectionem addemus. Hæc ille, merito quidem Scaligerum reprehendens, præcipue quod ex hoc loco arguerit Eusebium sibimet contradicere; sed & ipse reprehensione dignus, qui *nihil evidentius hoc ipso loco judicet ad probandum, illum etiam in intervallo ab Adam ad Abraham hebræi codicis supputationem prætulisse*. Quid enim respondere poterit, si dixero Eusebium non ea scripsisse ex sententia propria, sed retulisse tantum quid de Jubilæis traderent

He-

Hebræi? Nam quid aliud, quæso, sibi volunt illa, *secundum Hebræos*, quæ toties fere repetuntur, quoties Jubilæorum initia recensentur? quid rursus hæc quæ hoc ipso in loco habentur, *juxta supputationem eorum*? Opponet fortasse, aut opponere posset, eodem fere loquendi modo usum aliquoties Eusebium, etiam cum agit de computo τῶν LXX. Nempe hæc ad primum Josue annum apposita leguntur: *Huc usque V. libri Mosis: continent annos IIIM.DCC.XXX. secundum LXX. Seniorum interpretationem*. Demus hæc postrema verba ex Eusebio esse, & non potius a Hieronymo adjecta: quid ergo? vel hinc discere debuerat Vallarsius, non esse adeo evidens & manifestum ex locis illis in quibus de jubilæis agitur, Eusebium prætulisse Hebræorum computum alteri ex LXX. petito. Quamquam non is tantum locus est, qui Vallarsii sententiæ minime faveat, sed alii præterea occurrunt, qui eidem aperte refragen-

 tur:

tur : sunt autem ipsi quibus , dum ex propria sententia & computatione annorum spatia quæ Chronico comprehenduntur , colligit , annos etiam ab Adam ad Abraham obiter computat , ut in Prologo fecerat ex τῶν LXX. rationibus , nulla minoris ex hebræo codice numeri ratione habita . itaque ad annum Salomonis quartum legitur : *Colligitur autem omne tempus a Mose & egressu Israel ex Ægypto usque ad præsentem annum, annis CCCCLXXX., ut Regnorum liber tertius in testimonium est . A diluvio usque ad Mosen anni M.CCCCXXXXVII., ab Adam usque ad diluvium anni IIM.CC.XXXXII.: simul omnes anni IIIIM.C.LXIX.*, quem locum supra Part. I. §. XI. a Freculpho transcriptum vidimus . Item ad annum Tiberii XV. , ceteris omissis : *A diluvio usque ad Abraam DCCCCXLII.*; *ab Adam usque ad diluvium anni IIMCCXLII.* His adde ex Hieronymi continuatione circa finem eadem fere verba , eamdemque ab Adamo ad

ad diluvium, a diluvio ad Abrahamum computandi rationem. Hæc ſane loca omnia ſimul conjuncta, & cum Prologi textu ſæpius laudato comparata eam vim habent, ut merito concludi poſſit, *nihil evidentius his locis ad probandum* (utar Vallarſii verbis paulliſper immutatis) *quod contra receptam vulgo ſententiam* Vallarſius unus ad hanc diem negare auſus eſt, *Euſebium adeo ſequi calculos τῶν* LXX., *ut cum cetera Chronologiam ſuam poſt ea tempora exordiatur, quæ illi* (ex quorumdam opinione, nam alii ſecus ſentiunt) *exaggerarunt, etiam ubi ſuperioris ejus intervalli ab Adam meminiſſe oportuit, ab eoque rationes inire, majorem illum numerum, non minorem, ſive Hebræorum ſupputationem, prætulerit*. Nam, rurſus dicam, ſi aliquando minorem numerum Hebræorum expreſſit, expreſſit unice ad eum finem, ut ipſorum de Jubilæis traditionem attingeret, iiſque in locis expreſſit, in quibus minime *ſuperioris ejus intervalli ab Adam meminiſſe*

oportuit, *ab eoque rationes inire*: at ubi id factum oportuit, non Judæorum, sed Græcorum calculum sibi proprium fecit & constanter usurpavit. Sed de his Jubilæis infra: nunc quid tam manifestis testimoniis opponat Vallarsius, ex professo videamus.

§. XIV. *Refutatur Vallarsius in eo potissimum quod contendit, Chronicum interpolatum fuisse iis in locis, quibus exhibentur collectiones annorum ab Abrahamo ad diluvium, & ab diluvio ad Adamum.*

Ille autem probe sensit hujus objectionis pondus, jam tum cum scripsit Notam illam in Prologum, ex qua plura excerpsimus supra: eo enim spectant verba illa circa finem: *Sed cum hoc paucis demonstrari nequeat: sit etiam unus atque alter locus in editis libris, ut est ille ad annum Abraami CM. & XC.* (sed melius *CM. & LXXXV.*) *qui sententiæ huic nostræ refragetur, quorum est fides omnis elevanda*, &c. Sensit,

fit, inquam, hujus objectionis pondus; sed satis ab ea sibi cautum duxit, si ad annum hunc Abrahæ CM. & LXXXV., qui est Salomonis quartus, hæc adnotaret, col. 332. Not. B. *Hasce a diluvio ad Moysem & ab Adamo ad diluvium, ut & subsequentem annorum collectionem IVM.CLXIX., ab Eusebii calamo profectas esse, vix credam, aut ne vix quidem. Ad rem certe faciunt omnino nihil, siquidem Auctor hoc in Opere ita sibi proposuit, solos ab Abraamo annos digerere, ut præcedentes a mundi conditu semel atque obiter & verbo tenus in libri Præfatione memoret. Tu videsis, quæ ad eum locum col. 26. & seq. nobis observata sunt. Ex eo parergo studiosus nonnemo hæc acceperit: accepit certe Syncellus pag.145., ubi ait ab Adamo ad IX. Salomonis, annos supputari κατὰ Εὐσέβιον, δϡό,* juxta Eusebium IVM.CLXX., *uno supra ipsius Eusebii rationes. Nihilosecius ea rejicere contra MSS. fidem non licuit.* Lupum nimirum, ut est in proverbio, aure tenet Vallarsius: nec

nec recipere vult quæ funditus ejus ſubruunt placita, nec rurſus rejicere audet quæ omnium librorum veterum auctoritas recipienda eſſe evincit. Porro eamdem cantilenam canit ad annum Tiberii XV., col. 647. Not. A. *Poſtremas duas iſtas a diluvio ad Abraam, & ab Adamo ad diluvium ſupputationes, vereor ut ab ipſo Euſebio aut Hieronymo ſint. Enimvero & a propoſito Operis toto cælo abludunt* (quod tamen quiſque videre poteſt eſſe falſiſſimum, præcipue ſi ea conferat cum Prologo), *& cum præcedentibus ſummis minime connectuntur, quæ omnes ad Tiberii decimum quintum annum reſpectum habent, ad eumque terminum recta collimant. Proinde nec ſpectant ad Abraami æram, quæ juxta contractiorem Hebræi textus numerum* (at hoc nimirum eſt, de quo inter nos controverſamur) *ab Euſebio ſemel propoſita, ab hac augetur latiore ſupputatione, a diluvio ad mundum conditum, quæ tanta ferme eſt, quantam LXX. inſtituunt. Alias bonis argumentis oſtendimus*

dimus (sed ubinam, quæso te? ego ubi id promiseris, inveni; ubi fidem tuam liberaveris, adhuc requiro) *eas summas a sciolis Criticis, qui Eusebii Chronicum pro suo captu interpolarunt, adsutas fuisse. At vero id jamdiu olim ab iis perpetratum oportet heic loci: siquidem habentur etiam apud Prosperum, qui in hac ipsa recapitulatione Eusebium fidejussorem suum laudans*: A diluvio, *ait*, usque ad annum primum Abraæ, anni nongenti quadraginta duo. Eusebius vir disertissimus adnumeravit; ab Adamo autem, *&c. Sed & Syncellus pag.* 259. (ed.Ven.) *de Eusebio ad hunc locum notat, quod ab Adamo condito ad ortum Abraæ, vel ad Nini Semiramisque ætatem brevius intervallum positurus, Hebraicum codicem prævium sequutus, annos IIIM.CLXXX. IV. collegerit. Cogemur itaque horum testimoniis collectiones istas pro vere Eusebianis habere? Equidem non videtur eorum auctoritas tanti, maxime si propositum ejus & mentem spectes. Ut vero habeas pro germanis, cum a reliquis*

suppu-

supputationibus sejuncta sint, nec eo tendant, quo reliquæ, satis intelliges, nihil inde eorum, & Scaligeri cum primis, juvari falsam opinionem, qui priorem partem illam temporum ab Adamo ad diluvium, atque exinde ad Abraamum, fuisse ab Eusebio priore libro digestam per annos contendunt. Postremo, ubi ad Hieronymiani supplementi calcem ventum est, de gradu minime cedens, quin immo quasi de certa victoria sibimet plaudens, hæc tantum adnotare Vallarsius sat habuit: *De collectionibus ab Adamo & diluvio dictum satis abunde alias*. Ego vero, Vallarsi (ad te enim rursus orationem convertam, sed non sine aliqua indignatione & stomacho) Ego vero, inquam, a te de his dictum plus satis judico, ut appareat te iniquam caussam habere, eamque obstinatione potius animi quam ratione defendere: agnoscis enim & fateri cogeris tum manuscriptos libros, tum antiquos scriptores, ipsique Hieronymo fere æquales, Eusebiano Chronico eas annorum

norum ab Adamo ad Abrahamum collectiones adſerere. tu tamen perſtas adhuc eas vel palam negare, vel ſaltem in ſuſpicionem vocare, vel denique earum vim inanibus prorſus reſponſis eludere. Fingis enim tibi primum *ſciolos* neſcio quos *criticos*, qui illud Chronicum interpolaverint, & eos Proſpero antiquiores facis: ſed cur non & Hieronymo? ita enim rationem aliquam reddere poſſes, cur a Syncello iiſdem in locis in græco quoque textu eædem interpolationes citentur. Secundo dicis, *eas collectiones ad rem non facere*: melius dixiſſes, eas nullo cum detrimento omitti potuiſſe, quod Auctor ab Abrahamo Chronicum ſit auſpicatus: ſed quid inde? Potuerat ſane etiam in Prologo omittere eam ab Adamo & diluvio annorum ἀνακεφαλαίωσιν, neque tamen omiſit: eadem ergo ratione qua Prologo primum inſeruit, in Chronici quoque ſerie, & maxime opportunis locis, eamdem iteravit; nimirum, ut lectori in memoriam revoca-

vocaret, quoto ab O. C. anno distaret Abrahami epocha. Tertio urges collectiones illas, ab Abrahamo ad diluvium & a diluvio ad Adamum, *cum praecedentibus summis minime connecti, quae omnes ad Tiberii XV. annum respectum habent, ad eumque terminum recta collimant* (melius, *collineant*). Scilicet, aliam μέθοδον Eusebio visum est sibi esse adhibendam in commemorandis epochis illis, quae protendebantur extra & supra spatium quo Chronicum Canonem circumscripserat: & sane nisi ita fecisset, fortasse aliquando dubitatum fuisset, num Chronicum ab Abrahamo incipiens esset ἀκέφαλον. Postremo eo confugis, ut dicas, etsi *pro germanis habeantur* collectiones illae, *nihil inde eorum, & Scaligeri cum primis, juvari falsam opinionem, qui priorem partem illam temporum ..... fuisse ab Eusebio priore libro digestam per annos contendunt*. Sed quaero abs te primum, ubinam Scaliger, aut quis alius scripserit aetates illas ab Adamo ad Abrahamum

mum digeſtas fuiſſe *per annos?* ſiquidem hoc *per annos* idem ſibi vult, ut ego ſentio, ac κατὰ πλάτος, ſeu *per annos expanſos* (qua ſane ratione Chronicum digeſtum fuit) Scaliger non ſemel dixit, primum librum καθ' ὁμάδα fuiſſe digeſtum, ſeu *per intervalla* temporum, ut ipſe explicat. Quæro deinde, numnam hæc de annorum ad Abrahamum collectionibus quæſtio ad quæſtionem de primo Euſebii libro ſpectet? Demus tibi eas collectiones ab Euſebio non eſſe: demus eum hebræum computum in Patriarcharum annis unice ſecutum eſſe: quid ergo? potuit ille nihilo ſecius primum illum librum conſcribere, & in eo annos Patriarcharum ex tua ſententia deſcribere. Huc demum redeunt argumenta omnia tua, quæ quidem in Notis protuliſti: nam quæ Præfationi reſervaveras, Sibyllæ, puto, ad inſtar oraculorum a te frondibus conſcripta, iiſque neſcio qua aura turbatis, repente evanuerunt. at quoniam id non ſemel a te factum, moneo, ut ſi quid

quid imposterum scripturus es, dicta tibi reputes Æneæ apud Virgilium verba:

Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipse canas oro.

Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Ostensum oportuit, Vallarsi, interpolatum fuisse iis in locis Chronicum, priusquam id a te jam ostensum scriberes: sed neque id alicubi fecisti, neque efficere umquam poteris: præfidenter enim dicam, nullum fortasse in toto Chronico locum esse, qui aut per se magis a corruptionis suspicione vacet, aut pluribus veterum scriptorum & codicum testimoniis confirmari possit, quam illos quos tu censoria virgula notare, atque Aristarcheo obelo transfodere aggressus es. nam quibus ipse tu locis eos impugnas, iisdem maxime confirmas, ut vidimus. Sed si plura adhuc in hoc

argu-

argumentum desideras, vide quæ Pontacus ad singula illa loca diligenter adnotaverit (neque enim hoc loco ea transcribere est opus), tum quæ hujus Differt. Par. I. multis locis, sed præcipue §. IX. & X. scripta habentur. Illud etiam animadvertas velim, hoc interesse inter me & te in hac agitanda quæstione, quod tibi ad unum omnes ii textus explodendi sint, quibus Eusebius annos ab Adamo ad Abrahamum colligit IIIM. CLXXXIV.: cum contra tu caussa cecideris, si ego vel unum ex his sincerum, & ab Eusebio profectum probaverim; ut est, ex. gr., ille, quo ad annum Salomonis IV. computantur a diluvio ad Mosem anni M.CCCCXLVII.: de reliquis enim aut nulla suppetet idonea ratio, cur dubitemus; aut, si forte suppetat, adhuc infecta tibi res sit.

quid imposterum scripturus es, dicta tibi reputes Æneæ apud Virgilium verba:

Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipse canas oro.

Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Ostensum oportuit, Vallarsi, interpolatum fuisse iis in locis Chronicum, priusquam id a te jam ostensum scriberes: sed neque id alicubi fecisti, neque efficere umquam poteris. præfidenter enim dicam, nullum fortasse in toto Chronico locum esse, qui aut per se magis a corruptionis suspicione vacet, aut pluribus veterum scriptorum & codicum testimoniis confirmari possit, quam illos quos tu censoria virgula notare, atque Aristarcheo obelo transfodere aggressus es. nam quibus ipse tu locis eos impugnas, iisdem maxime confirmas, ut vidimus. Sed si plura adhuc in hoc

argu-

argumentum desideras, vide quæ Pontacus ad singula illa loca diligenter adnotaverit (neque enim hoc loco ea transcribere est opus), tum quæ hujus Differt. Par. I. multis locis, sed præcipue §. IX. & X. scripta habentur. Illud etiam animadvertas velim, hoc interesse inter me & te in hac agitanda quæstione, quod tibi ad unum omnes ii textus explodendi sint, quibus Eusebius annos ab Adamo ad Abrahamum colligit IIIM. CLXXXIV.: cum contra tu caussa cecideris, si ego vel unum ex his sincerum, & ab Eusebio profectum probaverim; ut est, ex. gr., ille, quo ad annum Salomonis IV. computantur a diluvio ad Mosem anni M.CCCCXLVII.: de reliquis enim aut nulla suppetet idonea ratio, cur dubitemus; aut si forte suppetat, adhuc infecta tibi res sit.

quid imposterum scripturus es, dicta tibi reputes Æneæ apud Virgilium verba:

Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipse canas oro.

Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Ostensum oportuit, Vallarsi, interpolatum fuisse iis in locis Chronicum, priusquam id a te jam ostensum scriberes: sed neque id alicubi fecisti, neque efficere umquam poteris. præfidenter enim dicam, nullum fortasse in toto Chronico locum esse, qui aut per se magis a corruptionis suspicione vacet, aut pluribus veterum scriptorum & codicum testimoniis confirmari possit, quam illos quos tu censoria virgula notare, atque Aristarcheo obelo transfodere aggressus es. nam quibus ipse tu locis eos impugnas, iisdem maxime confirmas, ut vidimus. Sed si plura adhuc in hoc argu-

argumentum desideras, vide quæ Pontacus ad singula illa loca diligenter adnotaverit (neque enim hoc loco ea transcribere est opus), tum quæ hujus Differt. Par. I. multis locis, sed præcipue §. IX. & X. scripta habentur. Illud etiam animadvertas velim, hoc interesse inter me & te in hac agitanda quæstione, quod tibi ad unum omnes ii textus explodendi sint, quibus Eusebius annos ab Adamo ad Abrahamum colligit IIIM. CLXXXIV.: cum contra tu caussa cecideris, si ego vel unum ex his sincerum, & ab Eusebio profectum probaverim; ut est, ex. gr., ille, quo ad annum Salomonis IV. computantur a diluvio ad Mosem anni M.CCCCXLVII.: de reliquis enim aut nulla suppetet idonea ratio, cur dubitemus; aut si forte suppetat, adhuc infecta tibi res sit.

§. XV. *Rursus argumentum ex Jubilæis ductum expenditur & refellitur. Tum Chronicum ipsum emendatur & illustratur.*

SEd Vallarsio, quantum video, unum illud omnibus quæ ipsius sententiæ opponuntur, præponderat argumentum, quod ex Hebræorum Jubilæis in Chronico sæpius memoratis ipse sumit: in id quasi in tutissimum propugnaculum se demum recipit, & inexpugnabilem fore confidit, atque adeo triumphat. Nos de hoc argumento nonnulla jam diximus, sed supersunt adhuc multo plura quæ hoc loco addamus. Ac primum non ibimus inficias iis locis Eusebium indicare voluisse, quot annos Hebræi illi qui per Jubilæa sæcula metiebantur, computarent a mundi initio. Vidit hoc multo ante nos Venerabilis Beda, qui ideo scripsit in Chronico ad annum Tiberii XV.: *Anno XV. Imperii Tiberii Dominus post baptismum,*

quod

quod prædicavit Joannes, mundo regnum cælorum annuntiat, peractis a principio mundi secundum Hebræos annis, ut Eusebius in Chronicis suis signat, quatuor millibus, adnotando quod XVI. Tiberii anno principium fuerit LXXXI. Jubilæi secundum Hebræos. Quare autem nostra supputatio undeviginti minus ponendos æstimaverit annos, facile qui superiora libelli hujus legerit, inveniet. Num itaque propterea concludendum est, eum numerum Eusebio probatum, rejectum contra majorem alium ex LXX. versione ductum? Non ita sane visum est eidem Bedæ, nam statim sequitur: *Juxta vero Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de vera editione, ut sibi videbatur, composuit, anni sunt VM. CCXXVIII.* Porro hæc, paucis mutatis, Bedæ verba descripsit Ado, quem vide a nobis laudatum supra Part. I. §. X., apud quem tamen, pro *de vera editione*, mendose legi puto *de utraque editione*: nam certum est his verbis, quod suo loco contra Scaligerum defendam,

Bedam significare voluisse, Eusebium computum septuaginta Interpretum, quæ *vera editio ipsi videbatur*, sequutum, & juxta illam editionem annos illos VM. CCXXVIII. collegisse ab O. C. ad Tiberii annum XV. Ita nimirum Beda & Ado, licet uterque Hebræorum minorem numerum sequutus sit, de Eusebio sensit & scripsit: qui sane si hunc in suam sententiam trahere potuissent, fecissent utique; Beda potissimum, quem constat vel primum vel ex primis Scriptoribus fuisse, qui antiquæ Vulgatæ computo posthabito, Hieronymianæ ex Hebræo expressæ, quæ nunc Vulgata audit, editioni adhæserint. Sed, ut ad nos redeamus, ita demum Eusebium Hebræorum quorumdam computandi rationem exprimere voluisse asserimus, ut tamen ipse ex Hebræo textu aliquanto diversam annorum ab O. C. ad Abraham natum summam alibi stabiliverit: ex quo demum sequitur, eum nec probasse illam per Jubilæa computandi ratio-

rationem, & de digerendo juxta Hebræi textus computum Chronico ne cogitasse quidem. Id vero quod proposui, ut demonstrem, duo mihi præstanda sunt: nempe, ut ostendam primum, Eusebium in primo libro Chronicorum Canonum ipsum Abrahæ natalem annum ab O.C. millesimum nongentesimum quadragesimum octavum putasse, adeo ut annus IIM. & I. ex ejusdem rationibus fuerit Abrahami quinquagesimus quartus: alterum est, Jubilæi XLI. initium anno Abrahæ XLV. fuisse primitus in Chronico alligatum: itaque ex utriusque computi comparatione emerget IX. omnino annorum discrepantia, de qua paullo supra dicebamus. Quod primo loco mihi demonstrandum est, paucis expedio, illa tantum Eusebii verba ex Syncello pag. 88. producens, quibus, post deductam ex hebræo codice ad primum usque Abrahæ annum per singulas Patriarcharum generationes Chronologiam, ita demum concludit, Goaro interprete: *Abrahæ primus annus*.

annus. *Summa a diluvio usque ad primum annum Abrabæ, anni CCXLII. Ab Adamo vero numerantur anni MDCCCCXLVIII.*; quibus etiam respondent ejusdem, ut alibi demonstrabimus, Eusebii verba, pag. 89., quæ latine a Goaro reddita ita habent: *Juxta hebraicum exemplar Judæis usitatum, ab Adamo usque ad diluvium anni MDCLVI., a diluvio usque ad primum annum Abrabæ CCXCII., quorum omnium summa est M. DCCCC. XLVIII.* Hæc probe se habent, inquies: sed quæ ratio persuadet, anno potius XLV., quam LI., ut editi libri præferunt, aut LIV., ut Eusebianæ ex hebræo codice rationes poscere videntur, aptandum esse Jubilæi XLI. initium? Prima & potissima ratio ducitur ex græco apud Syncellum pag. 99. Eusebii textu, qui præfert ἐπὶ με' ἔτους Ἀβραάμ, *ad XLV. Abraæ annum*: quem tamen numerum Scaliger primum, tum Goarus refixerunt, substituentes ille να', quod est *LI.*; hic (quem Vallarsius sequitur)

νγ',

νγʹ, quod eſt *LIII*. Porro Græca integra ſunt: Ἀρχὴ τοῦ μαʹ Ἰωβηλαίου παρ' Ἑβραίοις. Ἰωβὴλ δὲ παρ' αὐτοῖς ὁ πεντηκονταετηρίς· ὡς εἶναι (for. ὥστ' εἶναι) ἀπὸ Ἀδὰμ κατ' αὐτοὺς ἐπὶ μεʹ ἔτους Ἀβραὰμ ἔτη βνʹ (leg. ,βʹ); quibus ita reſpondet Hieronymi interpretatio: *Principium XLI. Jubilæi ſecundum Hebræos... Jobel autem apud eos quinquagenarius annus vocatur. Itaque juxta ſupputationem eorum ab Adam uſque ad annum præſentem ſunt anni MM*. Scaliger, ut innuimus, in Animadv. in lat. Chron. pag. 16. col. 2., pro μεʹ legendum voluit νάʹ, ex latino Chronico græca reformans: quamobrem Goarus obſervat Scaligerum *deceptum, quod hæc Euſebii verba*: Principium XLI. Jubilæi .... *ad annum Abrahæ L.* (ſeu LI.) *viderit alligata, quæ eadem nullius certæ ſedis eſſe pronuntiavit Pontacus Not. pag.* 245. *At cum ab Adam creato ad Abrahæ diem natalem Hebræi codices, de quibus hic ſermo, annos numerent MDCCCC. XLVIII., pag.* 88. A., *annus a mundi conditu bis milleſimus,*

& primus annum Abrahæ LIII. debet attingere: quocirca textus emendatus leget, ἐπὶ νγ´ ἔτους Ἀβραάμ, ἔτη ͵βα´. Hæc Goarus Scaligerum castigans, sed in eo ipse castigandus, quod de hebræo codice ex ipsius Eusebii rationibus id dictum acceperit, quod hic de Hebræorum per Jubilæa annos computandi ratione adstruit; tum, quod LIII. Abrahæ annum pro LIV. posuerit, ad eumque annos ab O.C. transisse statuerit ͵βα´, seu MM. & I.: cum Scaliger juxta latinum Chronicum melius conjecerit legendum, ἔτη ͵β´. Ceterum græci textus lectionem, quæ fert ἐπὶ μέ ἔτους Ἀβραάμ non esse vitiosam, sed mendosum potius latinum Chronicum, ex indicata a Goaro Pontaci Nota satis elucet, qui ad ea verba *Principium XLI. Jubilæi*, hæc observat: *Ista certam non habent sedem: nam aliquoties ad annum L. Abraæ collocantur....., aliquando ad annum LII. ejusdem, &c. Si tamen conjectione esset agendum, initium hujus Jubilæi assignandum potius videretur anno XLV. Abraam*,

braam, quam quinquagesimo, vel quinquagesimoprimo; idque duplici nomine. Primo quidem, quia in nonnullis codicibus, ut paullo post videbitur, initium Jubilæi LI. & annus ultimus Mosis (qui est ab Abraam DXLV.) simul concurrunt; similiter initium Jubilæi LXXI. ad an. ab Abraam MDXLV.: secundo vero, ac præcipue, quia in pluribus libris initium LXXXI. Jubilæi respondet anno Christi XXXI., qui opponitur MMXLV. anno ab Abraam. Etenim si subducas a XLV. Abraam usque ad XXX. Christi, invenies quadragesies L. annos, seu XL. Jubilæos, ac proinde duo annorum millia. Hæc ille: qui sane si græcum textum apud Syncellum, annum illum XLV. Abrahæ aperte designantem, novisset, non jam conjicientis in modum, sed asseveranter eam lectionem reliquis explosis approbasset: sed quod illi, nondum vulgato Syncello, probe nosse non licuit; Scaligero & Goaro Syncelli illustratoribus non videre turpe fuit; præcipue cum a Pontaco ipso ad ve-

ram lectionem internoscendam quasi manu ducti fuissent. Accedit alia ratio, quæ apud me non levis sane momenti est, ut vulgata in eo Chronici loco Jubilæi XLI. collocatio contra Eusebii mentem facta deprehendatur: est autem hujusmodi. Si ille in annum Abrahæ LI. initium XLI. Jubilæi collocasset, initium Jubilæi XL. Abrahæ anno primo respondisset; itaque jam tum ille Jubilæorum mentionem fecisset: quod tamen ab eo nec est factum, nec fieri potuit, quia Jubilæus quadragesimus aliquot ante Abrahami natalem annis jam numerari cœperat. Id adeo verum est, ut, postquam in Chronico latino Jubilæi XLI. initium e sua sede avulsum, ad annum Abrahæ LI. translatum fuit, in aliquot exemplaria irrepserint ipso Chronici initio nonnulla de Jubilæo XL. in Abrahami natalem annum incurrente, quæ quidem Scaliger editioni suæ inseruit, & de quibus Pontacus monet in Notis ad ea verba: *Abraam natione Chaldæus primam ætatem*

tatem apud Chaldæos terit. Ceterum non abs re erit aliam Pontaci observationem in medium producere, qua, ad annum Abrahæ C. & I. in ea verba, *Principium XLII. Jubilæi secundum Hebræos*, tradit sibi valde suspectas, ne dicam aperte spurias haberi Jubilæorum omnium adnotationes a XLI. usque ad LI. &c.. *Si bene auguror*, inquit ille, nonnullis omissis, *omnes isti Jubilæi deleri debuerant, saltem usque ad LI. Jubilæum: neque enim germani esse videntur. Nam ut quid alioquin post LI. Jubilæum aliquis codex non subjungeret similiter reliquos consequentes Jubilæos, ut LII., LIII., & ita demum post LXI. Jubilæum subjecisset LXII., LXIII., LXIV. &c., item post LXXI. addidisset LXXII., LXXIII. & consequentes? nihilominus video majorem numerum codicum (nam nonnulli, ut Fa., penitus prætermittunt) convenire in expressione tantum horum Jubilæorum, XLI., LI., LXI., LXXI., LXXXI., quos referunt per decadas Jubilæorum.*

Hinc

Hinc malui nimis religiosus in retinendo, quam minus prudens in expungendo haberi. Illa autem expressio Jubilæorum per decadas videtur magis accommodata ad Eusebii mentem, qui ut suam supputationem ab Abraam digessit per decadas annorum, sic supputationem Hebræorum ab Orbe per decadas Jubilæorum, idest à quinquagesimo anno ad quingentesimum: alioquin si institutum Eusebii fuisset, notare singulos annos quinquagesimos, seu Jubilæos, cur non cœpisset ab anno I. Abraam, qui revera est initium XL. Jubilæi, quoniam ejus LI. annus est initium XLI. Jubilæi. Quæ hic habet postremo loco de initio XL. & XLI. Jubilæi, ex vulgo recepta sententia dicit, quæ tamen in Nota paullo ante allata ipsi suspecta fuerat, quamque nos, tum Syncelli testimonio tum aliis argumentis, refutavimus. Eamdem ipse in suis ad initium LI., LXI., LXXI. & LXXXI. Jubilæi Adnotationibus ita sequitur, ut non omiserit tamen ea apponere, quæ nostræ sententiæ stabiliendæ in-

fer-

ſervire poſſunt. Ceterum, quod potiſſimum advertendum eſt, ſi ex Chronico juxta codicum antiquorum auctoritatem expungas omnia illa Jubilæorum initia, quæ ibidem inſerta fuerunt poſt quam Jubilæi XLI. initium ab anno Abrahami XLV. ad LI. translatum fuit (cujus luxationis ea fortaſſe prima cauſſa eſſe potuit, ut ita Jubilæa cum numeris Abrahami convenirent); facili negotio, & ſua quæque peculiari ratione, ad ſedes proprias revocari poſſunt quæ ſuperſunt legitima Jubilæorum initia, ſi quæ ex his extra ordinem vagantur.

§. XVI. *Parergon de libro qui* Parva Geneſis *dicitur: quæritur potiſſimum, num per Jubilæa digeſtus fuerit?*

REſtat poſtremo loco, ad exhauriendum funditus hoc argumentum de Euſebiana per Jubilæa computandi ratione, proponenda quæſtio: nimirum, unde eam Euſebius acce-

acceperit? Scaliger in Animadv. pag. 16. in illud, *Principium XLI. Jobelæi*, ita pronuntiat: *A primo anno Abraham Patriarchæ Jobelæa in hoc Canone digesta sunt* (quod tamen falsum est, ut paullo ante notavimus) *per L. annos, exemplo illius libri, qui* μίκρα γένεσις, λεπτὴ γένεσις, & λεπτογενέσιον *dicebatur, non postremæ apud priscos Ecclesiasticos auctoritatis, opus mendaciorum multa impensa farctum, quod quia per Jobelæa digestum esset, ab eo* Ἰωβηλαῖοι *vocatum est auctore Epiphanio, neque aliunde accepit Africanus & post eum Eusebius, cujus rei vestigia in Æthiopico computo licet videre*. A Scaligero non dissentit Vallarsius, in Nota ad eumdem locum ita scribens: *Neque enim ipse* (Scaliger) *diffitetur accepisse id Eusebium ab eo libro, qui* μίκρα γένεσις & λεπτὴ γένεσις *dicebatur, non postremæ apud veteres Ecclesiasticos auctoritatis, a quo & Africanus ipse ante acceperat, ac vulgo alii scriptores Græci & Latini passim*. Quod de *Africano* uterque, & quod de *aliis scriptoribus Græcis &*

Lati-

Latinis passim pronuntiat Vallarsius, ex parte incertum, ex parte falsum est: incertum omnino, utrum Africanus de Jubilæis aliquid habuerit: falsum autem, alios *passim* scriptores a Parva Genesi ea accepisse: quin immo nemo, quod sciam, præter Eusebium ejusque latinos compilatores, & ex Græcis Syncellum, sed ex eodem Eusebio, ejus computandi rationis meminerunt. Una itaque reliqua est Epiphanii auctoritas, quæ persuadere possit Eusebium ex *Parva Genesi* mutuatum esse Jubilæorum computum; sed ea unica illa conjectura nititur, quod liber ille Ἰωβηλαῖα ab eo vocetur: de cujus tamen tituli significatione non una est eruditorum opinio, ut liquet ex Nota quam Jo. Alb. Fabricius inseruit Codici Pseudepigrapho V. T., sub num. CLXII., quo de *Parva Genesi* agitur, quamque hoc loco referre placet: Obscurum, *inquit Cotelerius ad Const. Apostol. p.* 346., cur τῇ λεπτῇ γενέσει nomen τὰ Ἰωβηλαῖα inditum fuerit,

rit, tacuitque qui docere poterat, doctissimus Petavius. Conjecerim, quia verbum יבל significat *deducere*, & nomen יובל *rivum*, *aquarum processum*, quæ *Genesi* atque originibus conveniunt, ut fusius videre est in R. Mose Nachmanide, ubi de Jubilæo disserit. *Alia Scaligeri est sententia pag. 16. ad Eusebium*, &c. (Nos ejusmet verba paullo ante transcripsimus: sequitur Fabricius) *Edvardus Bernhardus ad Josephum p. 322. librum* Ἰωβηλαῖον *interpretatur* ספר הקבלה, *quod perplacet: nam per Jobelæa dispertitam fuisse parvam illam Genesin, nullo testimonio satis constat*. Hæc ille: sed fortasse conjecturæ hæ parum probabiles videri poterunt, nec satis idoneæ ad Scaligeri sententiam refellendam, quæ sane penitus rueret, si certum esset, quod est tamen admodum verisimile, ea quæ Syncellus pag. 8. & seqq. refert, ex eo libro hausta esse: ibidem enim anni non juxta Hebræorum codicem, sed ad LXX. Interpretum numeros expressi haben-

habentur. Sed videamus, si placet, quæ ratio suadeat ea esse a Syncello ex Parva Genesi descripta. primum ille pag. 5. præfatur sibi necessarium esse nonnulla ex τῆς λεπτῆς γενέσεως, *ex Parva Genesi*, & ex libro qui dicitur *Adami vita*, describere: statimque non pauca ex hoc altero volumine recitat. tum pag. 8. a primo Mundi anno resumens narrationem, hæc præfatus, Ἐκ τῶν λεπτῶν (leg. τῆς λεπτῆς) Γενέσεως, *Ex Parva Genesi*; statim multa refert ex ordine, quæ sane manifesto ex apocrypho libro sumta videntur, qui tamen ad calculum τῶν LXX. esset digestus. ex iis aliqua excerpam.

Excerpta ex Parva Genesi apud Syncellum, nonnullis initio omissis.

Octavo, ut refert, (gr. φησίν: quis refert? nisi Parva illa Genesis, quam hic paullo ante tertio nominaverat) *anno Adamus uxorem Evam cognovit*.

R *Anno*

Anno septuagesimo natus est eis Cain primogenitus.

Anno septuagesimo septimo justum Abel in lucem venisse dicunt (gr. φασὶ, sed legendum fortasse & hoc loco φησὶ, *dicit*).

Anno octogesimo quinto nata est eis filia nomine Asuam: Deinde, aliquibus prætermissis,

Anno centesimo tricesimo quinto, cum esset Cain annorum sexaginta quinque, propriam sororem Asuam, annis quinquaginta natam, duxit in uxorem. Et, nonnullis omissis,

Anno ducentesimo tricesimo Adami, quo Seth natus est, centesimum & sexagesimum Cain attigerat.

Anno vero ducentesimo tricesimo quarto filiam Azuram nomine progenuit Adamus. Et hoc loco aliqua prætermittuntur.

Anno quadringentesimo vicesimo Azuram propriam sororem Seth duxit uxorem: erat autem ille annorum unius & nonaginta supra centesimum.

Anno quadringentesimo tricesimo (supple, *quinto*, habetur enim statim post: *Ab*

Ab Adamo usque ad Enos ortum quadringenti trigintaquinque anni fluxerunt) Setho *Enos filius natus est. Hic cum esset annorum centum & nonaginta genuit Cainam anno sexcentesimo vicesimo quinto.* (Ita quidem legendus est hic locus, qui apud Goarum, tum in græco tum in latino textu, luxatus est.) Cetera.

Hæc satis superque sunt, ut appareat computum τῶν LXX., non Hebræorum, in his Excerptis iniri. Esse autem ea ex parva Genesi petita, uti visum est & Fabricio in laudato libro & loco; eamque ipsam esse quam laudavit & Epiphanius, ex hujus testimonio haud obscure colligitur. Agit ille contra hæreticos quosdam Sethianos dictos, de quibus num. V. refert, uti libros quosdam subdititios haberent, quibus Sethi uxor Horæa, Ὡραῖα, quædam ferebatur; quosque num. VI. ex auctoritate Parvæ Geneseos refutare aggreditur in hunc modum: *Exstant in Jubilæis, qui liber Parva Genesis dicitur* (gr. Ὡς δὲ

 ἐν

ἐν τοῖς Ἰωβηλαίοις εὑρίσκεται, τῇ καὶ λεπτογενέσει καλουμένῃ) *uxorum Caini Sethique nomina. . . . . Et ex illius* (Adami) *liberis, Cainus sororem suam majorem duxit Savem* (quæ apud Syncellum & alios dicitur *Asuam*) *nomine: Sethus porro, Adami filiorum tertius post Abelum genitus, cum alia sorore Azura conjunctus est.* Hæc ipsa nimirum ex Syncello colliguntur: quare eum in supra allatis excerptis *Parvam Genesim*, quam & S. Epiphanius laudat, exscripsisse quasi manifeste apparet. Unum est tamen, ne quid dissimulem, in quo Epiphanius & excerpta illa Syncelli non conveniunt: nimirum ille ibidem de numero filiorum & filiarum Adami hæc subnectit: *Fuerunt & alii Adamo liberi, ut in Parva illa Genesi scriptum est* (gr. ὡς ἡ λεπτὴ γένεσις περιέχει), *novem quidem secundum priores illos tres, ut in totum filias duas, mares duodecim susceperit; e quibus occisus unus, undecim superstites relicti sunt.* At multo aliter est apud Syncellum:

Anno

Anno nongentesimo tricesimo Adamus, relictis filiis triginta tribus, filiabus viginti tribus, obdormivit: quæ sane discrepantia me aliquantulum suspensum & hæsitantem tenet, nec quo pacto nodum hunc solvam, satis invenio (*). Porro alio etiam argumento demonstrari potest *Parvam Genesim* ad calculum græcorum Interpretum digestam fuisse: est autem hujusmodi. Syncellus pag. 4. librum illum apocryphum primum nominans, addit eum a quibusdam vocari Mosis Revelationem seu Apocalypsin: ὡς ἐν λεπτῇ φέρεται Γενέσει, ἣν καὶ Μωσέως εἶναι φασί τινες ἀποκάλυψιν. Eadem habet Cedrenus, iisdemque

(*) P. Scipio Sgambatus S. J., *Archiv. Vet. Test.* lib. II. pag. 219., cum de Parva Genesi ex unico Epiphanii loco paucis egisset, subdit: *Sed quod ait, in ea Genesi scriptum fuisse Adamum genuisse novem alios liberos mares, feminas vero duas; in Philonis antiquitatibus Biblicis enumerantur filii duodecim præter illos tres, Cain, Abel & Seth; filiæ quoque octo: adeo fabulis numquam bene convenit.*

omnino verbis pag. 3., qui præterea, pag. 49. edit. Par., ejus fictitiæ Revelationis tempus, librique argumentum declarare videtur his verbis, Xylandro interprete: *Primus Moses Judæis leges posuit. idem hominum in Ægypto consuetudine relicta, in solitudinem, ut sapientiæ studio vacaret, se contulit. Ibi (ita quidem Parva Genesis refert) a Gabrielo Angelorum principe edoctus fuit de origine mundi, de primo homine & eum subsequutis, de diluvio, de confusione & diversitate linguarum, de statu primi hominis, de temporibus usque ad ipsum elapsis, de lege quam Judæis erat traditurus, de siderum positu, elementis, Arithmetica, Geometria & omnibus scientiis, ut ibidem perscriptum est*. Atqui ex ea Syncellus, pag. 27. (*), refert hæc: *In Moysis*

(*) Idem Syncellus pag. eadem tradit Paullum Apostolum in Epist. ad Galatas ex Mosis Revelatione hæc sumsisse: Οὔτε περιτομή τί ἐστι, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις: *Neque circumcisio est aliquid, neque*

ſis namque vulgo dicta Revelatione, ἐν τῇ Μωσέως λεγομένῃ ἀποκαλύψει, *fertur eos* (puta, *Egregoras*) *præterito jam diluvio*, *IIM.D LXXXII. mundi anno*, *invidia poſt mortem motos*, *in errorem filios Noe induxiſſe*; *& orante Noe*, *ut ab eis diſcederent*, *Deo jubente a Michaele Archangelo in abyſſum ad judicii diem fuiſſe detruſos*, &c. Vides diluvium juxta LXX. heic ad annum fere IIM. CC. XLII. collocari: nam ita annus ille IIM. D. LXXXII. incidit commodum in annum Noe fere CM. & XL., qui eſt decimus ante ejuſdem

 mor-

---

que præputium, *ſed nova creatura*: quæ habentur tum cap. V. 6., tum cap. VI. 15. ad litteram. Fabricius in laudato Opere num. CLVIII. agens de *Apocalypſi Moſis*, in ejus rei confirmationem alia nonnulla teſtimonia citat: ſed, quod noſtra intereſt, notat Grotium in ea verba cap. VI. ad Gal. v. 15. hæc habere: *Dicunt veterum quidam ſcriptum fuiſſe in libro cui nomen* ἀποκάλυψις Μωυσέως, *& iiſdem verbis locus hic legitur in manuſcripto. Forte is liber ab aliquo Chriſtiano ſcriptus fuit*, *nam* καινὴ κτίσις *locutio eſt Chriſtiana 2. Cor. V. 19.*, *quamquam res ipſa prædicta Eſ. XLII. 9.*

mortem. Sed eſt alius ſcrupulus, quem nobis ingerit doctorum quorumdam opinio, putantium eum librum primum hebraice ſcriptum fuiſſe. In eam ſane opinionem propendet Goarus, in Notis ad Syncellum, ubi primum Parva Geneſis ab eo nominatur, ita ſcribens: *Commentaria Hebræorum in Geneſim duplicia; illa majoris, hæc minoris Geneſeos nomen ferunt, & juxta illorum idioma* בראשית רבה *&* בראשית קטנה: *utraque apocrypha, falſo Moſi adſcripta, ſomniis & deliriis ſcatentia*: &c. Unde hæc hauſerit Goarus, ignoro; mihi tamen maxime ſuſpecta ſunt, tum quod Moyſi adſcriptos ab Hebræis eos libros dicat, tum quod Parvæ Geneſis, ſeu בראשית קטנה nullam inveniam mentionem apud Bartoloccium, qui de libris Hebræorum fuſe egit. hic contra duos memorat libros dictos *Bereſchith Rabbà*, a prima voce ſacracrorum librorum בראשית, *In principio*, quorum prior auctorem habeat *R. Oſciangbià*, quem floruiſſe dicit

circa

circa annum Christi VC.; posterior *R. Bar Nachmanì*, qui obierit anno Christi CCCXXII. De primo dicit, part.II.pag.781.: *Crediderim voluisse ita appellare suum commentarium, ut ex hoc præclaro nomine* Bereschith *primum illud esse in* Miscnà *commentarium intelligeremus, & alios omnes præcedere dignitate & honore. ideo vox* רבה Rabbà *adjungitur: sunt enim commentarii magni in* Miscnaijoth. De secundo autem part. IV. pag. 362.: *Composuit* בראשית רבה, Bereschith Rabbà, *continens historicam narrationem terræ Israelis, & est commentarius in primum librum Mosis, non litteralis, nec textualis, sed allegoricus, historicus, & varius admodum, lingua Hierosolymitana conscriptus, & græcis vocabulis maxime abundans*. Tum de primo rursum hæc habet: *Alius est liber bujus nominis* Bereschith Rabbà, *cujus auctor est* R. אושעיא Oscianghià, *discipulus R. Jehudæ, cognomento Sancti, qui librum* Miscnaijoth, *sive Traditionum Talmudicarum collegit. Postea*

hic

hic Osciangbià discipulus ejus cœpit librum istum publice in scholis legere, interpretari, disputationibus examinare, & tandem commentario illustrare, & hunc commentarium vocavit Bereschith Rabbà, *continens declarationem libri, Allegoriam in Genesim, & alios Rabboth*. Hæc ille. Fortassis itaque aliquis ex Judæo semichristianus ex his libris *Bereschith Rabbà* dictis occasionem sumsit, ut *Parvam Genesim* græce scriberet atque inscriberet, quam ipse finxerat Mosis Apocalypsin. Quidquid tamen de his sit, Fabricius in supralaudato Opere, & Vallarsius in Notis ad epist. LXXVIII., quæ est ad Fabiolam, volunt Hieronymum Parvam Genesim habuisse præ manibus hebraice scriptam (*): quod si ita se haberet, non

(*) Fabricii verba sunt pag. 851. Cod. Pseudepigraphi V. T. *Ex his locis patet librum hunc, quem Hieronymus legit, scriptum fuisse hebraice*: Vallarsii autem, col. 80. Nota B.: *Apparet autem ex Hieronymo, quod apocryphus iste liber hebraice scriptus, non græce, fuerit, ut alii putant*.

non debuisset in eo libro calculus τῶν LXX. expressus fuisse ; ac proinde locus adhuc esset conjiciendi in eodem tempora per Jubilæa fuisse digesta : licet, ut Fabricius in supra allata Nota observavit, nullum ejus rei habeatur in Fragmentis quæ supersunt, vestigium. Ego tamen Hieronymi verba recolens & diligenter considerans, non satis idoneam caussam invenio, quare docti illi viri in eam opinionem descenderint. Duo sunt Hieronymi in illa epist. ad Fabiolam, seu in libello *de XLII. mansionibus Israelitarum in deserto*, textus in quibus ejus libri mentio fit: primus *Mansione XVIII.* (quæ est *in Ressa*, Num. XXXIII. v. 21.) est hujusmodi : *Octavadecima mansio* in frenos *vertitur* ..... *Hoc verbum, quantum memoria suggerit, nusquam alibi in Scripturis sanctis apud Hebræos invenisse me novi, absque libro apocrypho, qui a Græcis* λεπτὴ (alia lectio, a Rhabano etiam agnita, μικρογένεσις) *idest* Parva Genesis *appellatur* : *ibi in* ædi-

ædificatione turris pro ſtadio *ponitur*, *in quo exercentur pugiles & athletæ*, *& curſorum velocitas comprobatur*. At primum a Hieronymo liber ille dicitur a Græcis nomen habere, quod indicio eſt græce ſcriptum, & a ſe lectum. tum quod addit, in eo ubi agitur de ædificatione turris (puta Babel), *Reſſa pro ſtadio poni*, potuit id fieri etiam ſi græce ſcriptus ponatur, nempe ut interpretatio hebraicæ vocis traderetur. Quamvis autem in obſcuro ſit, quæ illo Parvæ Geneſeos loco traderentur de ædificatione turris Babel, ex Hieronymi tamen contextu indicium aliquod capio, ibidem Numerorum fortaſſe locum eodem aut ſimili fere quo Hieronymus poſtea, ſenſu allegorico fuiſſe explicatum. Sane Hieronymus de XVII. Manſione agens, quæ (Num. XXXIII. v. 20.) eſt, *caſtra metati ſunt in Lobna*, ita ſcribit: *Septima decima manſio eſt*, *quam* in laterem *poſſumus vertere .... Legimus Ægyptios lateres in Exodo*, &c. *Ex quibus diſcimus*

ſcimus in itinere iſtius vitæ, & de alio in aliud tranſitu, nunc nos creſcere, nunc decreſcere, & poſt ordinem Eccleſiaſticum ſæpe ad laterum opera tranſmigrare. Tum manſione XVIII. occaſione ſupraindicatæ ex Parva Geneſi interpretationis, illud Apoſtoli dictum recitatur: *Neſcitis, quod qui in ſtadio currunt*, &c. Utcumque tamen ſit, nihil ſane prohibet quominus Parvæ Geneſeos Auctor hebraicum verbum *Reſſa* interpretatus græce ſit *ſtadium*, ſive hoc accipiatur pro menſura CXXV. paſſuum, (quo modo Herodotus, in *Clio*, turrim Babylonicam fuiſſe dicit *ſtadii longitudine ac latitudine*; σαδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος) vel peculiariter pro loco in quo exercerentur athletæ. Alter Hieronymi de Parva Geneſi locus habetur Manſione XXIV., quæ (Num. XXXIII. 27.) eſt, *caſtrametati ſunt in Thare*. Ita autem Hieronymus ibidem ſcribit: *Hoc eodem vocabulo & iiſdem litteris ſcriptum invenio patrem Abraham, qui in ſupradicto apocry-*

crypho Geneseos volumine, abactis corvis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris *vel* depulsoris *sortitus est nomen. Itaque & nos imitemur Thare, & volucres cœli, quæ juxta viam satum triticum devorare festinant, solliciti prohibeamus.* Capit, ut vides, & hoc loco opportunitatem Hieronymus ex fabella quam de Thare in apocrypho illo libro legerat, ut pium aliquod ad Fabiolæ captum accommodatum eliceret documentum; ita tamen ut non significet librum hebraice scriptum fuisse: quin immo, dum ex fabella corvorum a Thare abactorum inditum ei nomen *abactoris* vel *depulsoris* tradit, innuere videtur, non eam esse hebraici תרח nominis etymologiam, nec eo nomine ab ortu & hebraice fuisse appellatum, sed ea lingua, qua parva Genesis scripta fuit; græca videlicet. Hæ sunt in obscurissima quæstione conjecturæ nostræ, quæ si non omnino certæ videbuntur esse, ut sane non sunt; ejusmodi tamen esse videntur, quæ alio-

aliorum assertionibus comparatæ, eas vel evertere, vel saltem infirmare valeant. Sane si quod verum certumque sit, non semper definire datur, est tamen aliquid illud pervidere quod majorem veritatis & certitudinis speciem præferat. Verum de his satis.

§. XVII. *Synopsis hujus secundæ Partis.*

SEd longius fortasse quam par erat, a primario argumento evagati sumus, dum multiplices difficilesque de Eusebianis in universum Chronicis libris quæstiones persequuti sumus, contra doctorum qui de his antea scripserunt, virorum sententiam judicium nostrum proponentes. juvabit itaque disputationis vela contrahere, & huic quoque secundæ Dissertationis nostræ parti finem aliquando imponere, statim ac eorum de quibus hactenus a nobis est disputatum, summa capita

recensuerimus. Initium & occasio totius disputationis pendet ex illo *Prologi* loco, in quo Hieronymo interprete *prioris Opusculi* rursus mentionem fecit Eusebius: eo itaque ad duos ipsi libros Chronologicos asserendos, & ad confirmandum ejusdem alterum textum, de quo in prima parte actum fuerat, usi sumus §.I. Sed quoniam ex voce *Opusculo*, uti etiam ex illa *libello* (quæ in aliquot exemplaribus superiori illo Prologi loco habetur, pro *libro*) Vallarsius argumentum duxit, ut duos libros verbo quidem concederet ab Eusebio de temporibus scriptos, re autem negaret; declarandum statim fuit §. II., neutram vocem id efficere posse, quin prior ille liber a secundo, seu Chronico, omnino distinctus fuerit, ac justæ molis liber dici & reputari possit & debeat. Præterea, quum sententia illa latini Prologi, *quos nos in priore Opusculo digessimus*, in græcis quæ Prologo apposita fuerunt fragmentis non habeatur,

quæ-

quærendum fuit §. III., ex quo Eusebii Opere sumta fuerint fragmenta ipsa, & utrum ab Eusebio in Opus illud inserta fuerint ad verbum ex Prologo. Postquam constitit haberi illa lib. X. Præp. Euang. cap. IX., & inde a Scaligero primum transcripta; compertum est etiam ab eodem multis locis fuisse interpolata, ut Prologo, quantum fieri posset, responderent. Contendente tamen Vallarsio illa ex Prologo ab Eusebio fuisse excerpta, & inserta ad verbum in Præp. Euangelicam; necesse fuit nobis §. IV. utriusque textus comparationem diligenter instituere, ex qua demum deprehendimus non paucas, nec levis momenti discrepantias tum in orationis contextu, tum in annorum computo. Itaque primum conclusimus §. V. Chronicum scriptum fuisse aliquanto post volumen Præparationis, adeoque non ex Prologo decerptum fuisse textum illum Præp., ut voluerat Vallarsius, nec

eamdem quæstionem post conscriptum Chronicum ibidem fuisse ab Eusebio repetitam, ut Scaligero placuit. secundo, §. VI. ostendimus præcipuam discrepantiam, quæ inter utrumque textum occurrit in annis a Moyse ad Labdonem judicem, facile conciliari posse, si ponamus in Præpar. computata fuisse captivitatum intervalla, quæ in Chronico omissa fuerunt, ut eo pacto, juxta III. librum Regum cap. VI., ab egressu Israelitarum ex Ægypto ad IV. Salomonis annum summa annorum CCCCLXXX. confieret: quo unice Eusebium respexisse demonstratur, cum in Prologo *minorem numerum* se professus est sequi. Demum, §. VII., ex ipsis Præp. Euang. lib. X. cap. XIV. verbis confirmatur Eusebium primum in eo Opere annos omnes quibus in Judicum libro Israelitæ alienigenis servisse referuntur, seorsum putasse ab annis ipsorum Judicum; præterea, §. VIII., in multis aliis Chronologiæ capitibus

bus secus eum putasse, ac postea fecit non in Chronico tantum, sed in eodem Præp. volumine & libro cap. IX., quod proinde post caput illud XIV. emendatum vel suppletum fuisse oportet. Sed quoniam locus ille Prologi, quo *minorem numerum* amplectitur Eusebius, ut §. VI. dictum fuerat, a nemine antea probe intellectus fuit; exponuntur & refutantur singillatim variæ de eodem antiquorum & recentiorum sententiæ, ut S. Hieronymi & Georgii Syncelli, §. IX.; tum Scaligeri, & Goari, §. X.; demum §. XI. & XII. Vallarsii: qui cum animum induxerit, ut Eusebium in Chronico computum Hebræorum ab Adamo ad Abrahamum, quin etiam in sequentibus ætatibus, approbasse velit, repudiasse autem illum qui ex versione τῶν LXX. colligitur, hæc quoque quæstio §. XIII. & XIV. copiose pertractanda fuit. Denique cum idem iis potissimum Chronici locis innitatur, in quibus Jubilæa

a mundi conditu repetuntur, & ea computandi ratio sumta ex Hebræorum traditionibus memoratur, hoc quoque telum retudimus §.XV., ostendentes iis locis Eusebium Hebræorum quidem quorumdam sententiam retulisse obiter, non tamen probasse; quum contra, ubi temporum epochas ad Chronicum spectantes ipse colligit, fere semper annos etiam ab Adamo ad Abrahamum supputet juxta LXX., quæ sane loca idem Vallarsius nulla satis idonea ratione interpolata fuisse commentus est. Eadem occasione declaratum alieno loco Jubilæi XLI. initium, ex quo pendent reliqua, collocari nunc in Chronico; tum plerisque in locis Jubilæa ipsa a recentiori manu apposita fuisse, quum Pontaco teste desint in antiquis MSS. Postremo, quoniam præeunte Scaligero Vallarsius scripserat, Eusebium eam per Jubilæa computandi rationem desumsisse ex libro qui *Parva Genesis* dictus fuit, de hoc libro multa dicenda

§. XVI.

§. XVI. fuerunt, ex quibus, ni fallimur, futilis assertio Scaligeri evadit, tum liber ille ad LXX. calculos exactus apparet, nec omnino hebraice, ut aliquibus & Vallarsio ipsi in Notis ad Hieronymi epistolas visum fuit, sed græce potius primitus scriptus. Habes, erudite Lector, expressam totius hujus secundæ Partis delineationem, ex qua demum recognoscas & memoria recolas, quæ tutemet in ea perlegenda maxime digna notatu deprehenderis.

III. DISSERTATIONIS PARS,

In qua multa ad utrumque Eusebii librum Chronicum spectantia pertractantur.

§. I. *Plenius & certius libri primi indicium & specimen ex Eusebii ipsius Comm. in Isaiam, & Syncello sumitur.*



Uamvis, in prima præcipue Parte, demonstratum abunde sit ex Prologo Chronici, duos ab Eusebio de Temporibus libros editos fuisse a se invicem penitus distinctos, quin etiam non incertis conjecturis declaratum, cujusmodi fuerit prior ille qui temporum injuria ad nos integer non pervenit; nihilominus ad hoc argumentum funditus exhauriendum, non prætereunda hoc loco sunt quæ aliunde nobis suppetunt in ejusdem rei confirmationem rationum & auctoritatum momenta. tum nonnullæ de utriusque

que libri titulis, editionibus, ac græcis quæ adhuc exstant aut exstare putantur fragmentis quæstiones proponendæ adhuc restant: quibus omnibus illustrandis hæc tertia & ultima Dissertationis Pars a nobis destinatur. Primo itaque loco expendendus est insignis Eusebii ipsius locus ex Commentario in Isaiam, a Montfauconio edito Tom. II. Novæ Collectionis Patrum: Hæc itaque ibidem habentur, in cap. Isaiæ XIII. v. 17., τῷ δὲ φάσκοντι λόγῳ, Ἰδοὺ ἐπεγερῶ ὑμῖν τοὺς Μήδους, μαρτυρεῖ ἡ τῆς ἱστορίας ἔκβασις ἀνάγραπτος οὖσα παρὰ τοῖς Ἑλλήνων τὰ Χαλδαϊκὰ καὶ τὰ Ἀσσυριακὰ συγγραψαμένοις, τοῖς τε τὰ Μηδικὰ ἱστορηκόσιν· ὧν καὶ ἡμεῖς πλείστας ἀνελεξάμεθα μαρτυρίας ἐν τοῖς πονηθεῖσιν ἡμῖν χρονικοῖς συγγράμμασι, καὶ τ. λ. quæ ita interpretatus est Montfauconius: *Huic autem dicto, Ecce suscitabo vobis Medos, ipse historiæ eventus testimonium addit: quæ historia, apud Græcos qui Chaldaica, Assyriaca & Medica scripserunt, reperitur; quorum nos multa testimonia col-*

legimus in Chronicis, quæ edidimus. Medi itaque Assyriorum imperium everterunt; illos vero sibi subjecit Cyrus primus Persarum Rex; qui Judæorum captivitatem dimisit, &c. Apparet ex his primo, non unum, sed plures libros de eo argumento ab Eusebio fuisse perscriptos: *ἐν τοῖς πονηθεῖσιν ἡμῖν χρονικοῖς συγγράμμασι*, dicit ille, seu *in Chronicis libris a nobis elaboratis*, non *in Chronicis* tantum, ut fert Montfauconii versio, quæ & in margine habet *Eusebii Chronica*, numero quidem plurali, sed qui de uno Chronico libro facile intelligi possit. Apparet secundo, multa eo in Opere producta fuisse Græcorum historicorum testimonia de Chaldæorum, Assyriorum & Medorum imperio, quæ quidem omnia in primo qui intercidit libro, exstitisse oportuit: nam in secundo quem habemus, seu Chronico, non laudatur scriptor ullus, qui de Chaldæis, Persis aut Medis egerit: quin immo de Chaldæorum regno, quod primo loco se recensuisse Euse-

bius in Prologo scribit, ne verbum quidem in Chronico habetur, quod ad tempora Abrahamo unde hoc incipit, antiquiora referretur, quin etiam ad usque ætates quæ diluvium præcesserunt. De iis sane antiquissimis & commentitiis Chaldæorum regni initiis pertractasse Eusebium constat ex iis, quæ Syncellus scribit pag. 17. & 35., qui demum pag. 36. hæc habet: Πλὴν καὶ Εὐσέβιος καὶ Ἰώσηπος καὶ ἄλλοι περὶ τῆς τῶν Χαλδαίων βασιλείας ἱστορικοὶ φαίνονται λέγοντες, ὅτι πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐβασίλευον, ἑπόμενοι Ἀλεξάνδρῳ τῷ πολυΐστορι καὶ Ἀβυδηνῷ καὶ Ἀπολλοδώρῳ, μηδεμίαν ἔχοντες ἀφορμὴν ἐκ τῶν θείων γραφῶν. *Verumtamen tum Eusebius, tum Josephus, tum alii qui de Chaldæorum regno egerunt historici, videntur dicere, illos ante diluvium regnasse, sequuti Alexandrum Polyhistorem, Abydenum & Apollodorum, cum nullum habuerint in divinis scripturis ejus rei indicium*; ex quibus quamquam haud certo colligatur scriptores illos, Alexandrum, Abydenum & Apol-

lodo-

lodorum, ab Eusebio laudatos fuisse; conjici tamen potest id ab eo factum, tum quia id ipse in supra allato ex Comment. in Isaiam loco innuere videtur, tum quia id ab ipso & suscepti Operis ratio, & perpetuum fere in aliis quoque Operibus ejusdem institutum exposcebat, tum etiam quia Josephus, quem Eusebio nominatim jungit Syncellus, neminem ex illis, ut notavit Goarus, hac occasione nominavit: denique quod Syncellus ipse ex Eusebio, ut alia pleraque, ita ipsorum testimonia descripsisse admodum probabile sit. Hæc de Chaldæis: ad Assyrios transeamus. Idem Syncellus pag. 165. & seq. affert primum nonnulla ex Diodoro de Sardanapalo ultimo Assyriorum rege, & de totius Assyriorum imperii duratione, tum pag. 167. & seq. Cephalionis satis longum fragmentum de eodem argumento; denique facta inter utriusque computum comparatione, subdit: Οὐ μέντοι Εὐσέβιος καίπερ πραγματείαν οὐ

τὴν

τὴν τυχοῦσαν συλλεξάμενος φιλοπόνως, καὶ ταύτῃ τὴν ἑαυτοῦ χρονικὴν συγγραφὴν κατασεμνύνας, τάς τε προκειμένας χρήσεις Διοδώρου καὶ Κεφαλίωνος προθεὶς, ἐν λζ' βασιλεῦσι τὴν Ἀσσυρίων ἀρχὴν περιέλαβεν, ἔτεσι δὲ ,ατ' τῷ Κάστορι μᾶλλον ἀκολουθήσας, οὗ καὶ μαρτυρίαν προήγαγεν, ,ασπ' φάσκουσαν τοὺς Ἀσσυρίων βασιλεῖς ἄρξαι: quæ ita latine reddi possunt: *Eusebius autem, quamvis non vulgarem summo labore collegerit supellectilem* (*) *, qua chronicam suam scriptionem exornavit, & præallata Diodori & Cephalionis dicta protulerit; Assyriorum imperium regibus XXXVII., annis vero M. & CCC. complexus est, Castorem potius sequutus, cujus etiam produxit testimonium, quo Assyrios reges per annos M. CCLXXX. imperasse dicitur*. Referuntur hæc quidem ad Assyriorum tantum imperium, sed multum & illu-

(*) Πραγματείαν interpretor *supellectilem*, non quod germana hæc ejus vocis significatio sit, sed quia nulla huic loco accommodatior occurrat, tum quia a Goaro ipso fuerit primum usurpata.

& illustrandis allatis jam Eusebii ex Comm. in Isaiam verbis, & nostræ de primo ejus chronico libro sententiæ confirmandæ inservire possunt: nam hinc discimus, eo in libro in universum copiose, & undecumque collectis Græcorum Scriptorum testimoniis, de priscis illis imperiis fuisse disputatum, & singillatim Assyriorum imperii tempus definitum, Diodori, Cephalionis & Castoris testimoniis in medium allatis, quorum sane nullum exstat in Chronico: præterea, Eusebium eo in libro imperium Assyrium regibus XXXVII., annis autem M. & CCC. circumscripsisse: itaque cum in Chronico, ducto a Nino initio, XXXVI. tantum reges, & anni MCC. & XL. (*) computentur ad Abrahami annum MCXCVII., apparet eumdem

(*) Ita habet & *Regum Series*, quam Chronici ipsius elenchum esse diximus: quare hoc argumentum junge iis quæ Parte I. §. XIV. & XVI. dicta sunt contra eos qui *Seriem* illam ad primum Eusebii librum referunt.

dem in primo libro a Belo Nini patre numerare cœpisse, & huic LX fere annos regni adtribuisse. Sed Goarus id minime animadvertens, pro ἐν λζ´ βασιλεῦσι legendum monuit in margine λς´, ac XXXVI tantum reges in interpretatione sua posuit, & in Nota ad eum locum; in qua cum multis contra Scaligerum, nec injuria, invehatur; (*) ab eo tamen discere ipse poterat; illos

(*) Quod Goarus in refutatione Scaligeri non attigit, non omittam ego. Objicit Scaliger Syncello inter cetera, Animadv. pag. 64.: *Deinde quomodo sequitur Castorem in annis regum, quum Castor universum Assyriorum imperium MCCLXXX. annis definiat, Eusebius MCCC., ut ipse ait*. Respondeo Syncellum dixisse, Eusebium sequutum Castorem non ἁπλῶς, sed μᾶλλον, *potius*, scilicet quam Diodorum aut Cephalionem. Ceterum & Justinus lib. I.: *Imperium Assyrii .... annos* MCCC. *tenuere*. At S. Augustinus de C. D. lib. XVIII. cap. 21., tradit Assyriorum regnum *ad Medos translatum post annos ferme mille trecentos quinque, ut etiam Beli qui Ninum genuit ..... tempora computentur*: idem lib. XVI. cap. 17., quem forte sequutus est

Pseudo-

illos MCCC. annos *ab initio Beli* esse repetendos, tum seriem XXXVI. regum Assyriorum in Chronico non esse completam, ipso Belo omnium primo ibidem omisso, quod Abrahamo ex ipsius Eusebii rationibus antiquior esset. Hæc omnia ad Assyriorum imperium spectant. quæ deinde Eusebius de Medorum Persarumque regno scripserit primo illo libro, non satis liquet, nisi quantum ex ejus Chronico eruitur. Sufficiunt tamen quæ dicta sunt, ut appareat eumdem, qui passim a Græcis Scriptoribus appellatur ὁ πολυμαθὴς καὶ πολυΐστωρ Εὐσέβιος, quamlibet historiæ partem copiose & erudite ibidem pertractasse. Quod etiam manifestius fiet, quum ex Syncello colligemus ejusdem fragmenta ad Ægyptiorum Dynastias potissimum spectantia. Nam quæ hoc loco de Chaldæis & Assyriis per-

strin-

Pseudo-Eusebius *Exordii* consarcinator circa finem; nisi potius uterque aliunde id habuit; *sexaginta quinque annos regnasse* Belum refert. Syncellus pag. 96., & alibi, LV. tantum ponit.

ſtrinximus; unice inſerviunt Euſebii loco ex Comm. in Iſaiam illuſtrando.

§. II. *Quiſnam utriuſque libri titulus fuerit: quid* Chronici Canones, *quid* Canon.

JAM ſupra pag. 150. recitavimus Euſebii verba ex cap. IX. libri X. Præpar. Euang., quibus *Chronicos* ſuos *Canones* laudat Euſebius, quem locum de priori libro potiſſimum interpretandum diximus pag. 152. Porro etiam in Hiſt. Eccl. lib. I. cap. I. *Chronici Canones* commemorantur hiſcemet verbis: ἤδη μὲν οὖν τούτων καὶ πρόσθεν ἐν οἷς διετυπωσάμην χρονικοῖς κανόσιν, ἐπιτομὴν κατεστησάμην· πληρεστάτην δ᾽ οὖν ὅμως αὐτῶν ἐπὶ τοῦ παρόντος ὡρμήθην τὴν ἀφήγησιν ποιήσασθαι, quæ ita vertit Valeſius: *Ac jam quidem antea in iis libris, quos de temporum ratione conſcripſi, earum rerum quaſi compendium quoddam confeci: ſed nunc uberiori narratione eaſdem explicare aggreſſus ſum.* Laudat

dat & Syncellus *chronica* Eusebii pag: 49: ὧν καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου μνησθεὶς ἐν τοῖς χρονικοῖς αὐτοῦ, φησὶν οὕτω: *quorum & Eusebius Pamphili meminit in Chronicis suis, ita scribens*: &c. Locus quem producit ex his Chronicis, ad primum certe librum spectat: nam de antiquissimis & fabulosis apud Ægyptios Deorum, Semideorum Heroumque Dynastiis in eo agitur. Meminit denique *Chronicorum* Eusebii *Canonum* & Cedrenus pag. 193. Ed. Paris. Ὁ τοίνυν πολυμαθὴς καὶ πολυΐστωρ Εὐσέβιος ἐν τοῖς χρονικοῖς κανόσιν περὶ τῶν Ἀντιόχων καὶ Σελευκῶν καὶ Πτολεμαίων, καὶ τῶν μετὰ τὴν ἐκ τῆς Βαβυλῶνος ἐπάνοδον καθηγησαμένων ἀρχιερέων διεξιὼν ἐν ἐπιτομῇ, τάδε φησίν: quæ ita interpretatus est Guillelmus Xylander: *Eusebius multæ vir eruditionis, plurimarumque rerum cognitione insignis in tabulis annalibus, de Antiochis, Seleucis, Ptolemæis, & Pontificibus, qui post redditum ex Babylone populo Judaico præfuerunt, hæc compendio scribit*. Porro quæ Cedrenus ex Eusebio hoc

loco

loco repetit, habentur etiam in Chronico, ſed alio ordine & contextu verborum: itaque ex primo libro ſumta videntur. Quæritur itaque utrum *Chronici Canones* totum opus Euſebii Chronographicum comprehendant, an vero hic fuerit peculiaris titulus primi libri. Ac primum illud conſtat, merito appellari potuiſſe plurali numero *Chronicos Canones* librum illum priorem, ſiquidem in eo, ut ipſe in Prologo teſtatur, collegerat χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας, βασιλείας τε, κ. τ. λ., *temporum enumerationes omnimodas*, *regnaque* omnino quindecim, eaque ſeorſum ſingula expenderat & digeſſerat; adeo ut tot *Canones Chronici* evaderent, quot *regna* quorque *temporum enumerationes* in eo libro exſtarent. Conſtat ſecundo, librum alterum, quem Chronicum dicimus, *Canonem* ἁπλῶς ſeu *Chronicum Canonem* inſcriptum fuiſſe, ut ex iis quæ heic congeram, ipſius Euſebii & aliorum teſtimoniis diſcere quilibet poterit. Nam & in Pro-

logo ea verba habentur, Χρονικοῦ Κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην, *Chronici Canonis librum composui*, & in Chronico Paschali habentur duo textus, qui ex Eusebio ad verbum videntur descripti, in quibus itidem Chronicum dicitur Κανών. Primus habetur pag. 104. Ed. Paris. his verbis expressus: Τὴν α' Ὀλυμπιάδα ὁ Ἀφρικανὸς κατὰ Ἰωαθὰμ Ἑβραίων τοῦ Ἰούδα βασιλέα συνάγει· καὶ ὁ ἡμέτερος δὲ Κανὼν κατὰ τὸν αὐτὸν παρίστησι. Γράφει δὴ ὁ Ἀφρικανὸς ὧδε πρὸς λέξιν· Αἴσχυλος ὁ Ἀγαμήστορος ἦρξε τῶν Ἀθηναίων ἔτη κγ', ἐφ' οὗ Ἰωαθὰμ ἐβασίλευσεν ἐν Ἱερουσαλήμ. Καὶ ὁ ἡμέτερος Κανὼν, λέγει (*), ἐπὶ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος τὸν Ἰωαθὰμ βασιλέα Ἰούδα συνείληφεν. In Chronico autem ex interpretatione Hieronymi hæc leguntur: *Primam Olympiadem Africanus temporibus Joathan regis Hebræorum fuisse scribit. nostra quo-*

(*) Vocula hæc λέγει attendenda est, quam auctor Chron. Pasch. addidit, ut significaret, se alterius verba describere, scilicet Eusebii: nam in Chronico latino non habetur quod ipsi respondeat.

quoque supputatio iisdem temporibus eam exhibuit. Scribit autem Africanus, ut verba ejus ponam, ad hunc modum: Æschylus Agamestoris filius apud Athenienses obtinuit principatum annis XXVIII. (lege *XXIII.*) qua ætate Joathan regnabat in Jerusalem. *Porro nos* (apud Scal. *& nos*) *in prima Olympiade Joathan posuimus.* Congruit, ut vides, in omnibus Hieronymi interpretatio cum græcis verbis, nisi quod cum in iis bis legatur ὁ ἡμέτερος Κανὼν *Canon noster*, Hieronymus *Canonem* vertere omiserit, non quia nesciret quid ea voce significaretur, ut eum accusat Scaliger in Notis ad Græca Eus. pag. 417. col. 1., sed quod circuitione quadam græcam vocem latine exprimere maluerit. In eo autem ipse Scaliger peccavit, quod altero ex iis locis Africani Canonem expressum crediderit, cum in utroque Eusebius de suo ipsius Canone loquatur. Scaligeri verba sunt: *Non solum Eusebius Chronicum suum, & Africanus quoque suum,*

Κανόνα *vocat*. *Item Castor* ..... *Quod igitur Eusebius ita Chronicum suum vocaverit, exemplo Africani fecit, quem non solum sequutus est, sed totum ejus Chronicum totidem verbis in suum transtulit*: &c. Tum in sequenti Nota: *In Chronico Latino tam in verbis Africani, quam in Eusebianis vertendis Hieronymus manifesto ostendit, se, quid esset* Κανὼν Ἀφρικανοῦ, *aut* Κανὼν Εὐσεβίου, *non intellexisse, quum tamen non alio titulo utrumque Chronicum ab auctoribus suis notatum fuerit*. *Hoc plus satis mihi mirum videtur*. Sed Julius Africanus quinque *de temporibus*, sive χρονογραφιῶν, volumina edidisse constat ex Euseb. Hist. E. lib. VI. c. 31. & Hier. de Vir. Ill, cap. LXIII., sed de ejus *Canone* per annos expansos digesto nuspiam mentio: nam hoc loco de uno Eusebii Canone sermo est, quod tamen nec Vallarsius vidit: nam ea verba, *Porro nos in prima Olympiade Joathan posuimus*, eadem carachterum forma excudi curavit ac præcedentia, quæ ad Africanum

num ſine controverſia ſpectant. Et quoniam locus hic Euſebii a Syncello & Scaligero (*) acriter oppugnatus fuit, legendus omnino Petavius de Doct. Temp. lib. IX. cap. 46., qui ipſum præclare ediſſerit, & defendit. Porro alter locus, quo ſupra dicebamus Chronicum ab Euſebio Κανόνα dictum videri, habetur pag. 121. Ἰωσίας βασιλεὺς Ἰούδα συμβαλὼν Νεχαὼ, τῷ καὶ Νεχεψὼ, ἀναιρεῖται ὑπ' αὐτοῦ· καὶ ἐποίησεν ὁ λαὸς βασιλέα ἕνα τῶν υἱῶν αὐτοῦ. Καί μοι θαυμάζειν ἔπεισιν, πῶς συνέδραμον οἱ χρόνοι κατὰ τὸν προκείμενον Κανόνα, ὡς (forte ὧν) ἀντιπρόσωπων τοῦ Ἰω-

(*) Nempe Scaliger tum aliis multis locis accuſat Euſebium in hoc capite, tum præcipue in Prolegomenis: *Scienter enim, quum Africanus primum annum Achaz regis cum prima Olympiadis initio comparaverit, ipſe eam Olympiadem ab Africano in primum annum Joatham regis collatam eſſe comminiſcitur, ut non veritus ſit verba ipſius Africani interpolare atque invertere. Africanus referente Euſebio*: "Αἴσχυλος (ut ſupra, uſque ad συνείληφεν). *Atqui Africanus utrobique* Ἀχάζ, *non* Ἰωαθάμ *poſuerat*: &c.

σίου (ſupple εἶναι) τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα Νεχαὼ, τὸν καὶ Ψαμμιτικὸν, ὃν καὶ ἡ θεία γραφὴ τοῦ Ἱερεμίου Φαραὼ Νεχαὼ ὀνομάζει: quibus hæc reſpondent in Chronico latino : *Joſias rex Judæorum cum Nechaone Ægyptiorum rege congreſſus occiditur*. (deſunt illa, *& fecit populus regem unum ex ejus filiis*) *At mihi miraculum ſubit, quomodo in præſens tempus ſibi uterque convenerit, maxime cum Scriptura divina hunc eumdem, Pharaonem Nechaonem appellet*. Vide quæ notavit Vallarſius in hunc locum, col. 451. Nota A., cujus primam tantum exhibeo pericopen : *Editio Scaligeri & vetus codex Potero ad Clementem Alexandr. laudatus*, At mihi miraculo eſt, quomodo ad unum tempus uterque convenerit. *Primus Palatinus & Parmenſ. mſ.*, in præſens tempus ita conveniant : &c. Ceterum ex hoc etiam loco Scaliger anſam captavit S. Hieronymo male dicendi ; nam in Prolegomenis (*) ha-

(*) Pag. in inferiori margine notata, *** 3.

habet : *Illud imprimis neque satis mirari possumus, neque unde accidit, comminisci, quod cum Eusebius posteriorem librum suum* Κανόνα *inscripserit, ipse neque hoc advertit, & quid esset* Κανὼν, *non assequutus est, cum aliquando vertat* supputationem (ut in primo textu paullo ante a nobis relato) *aliquando* curiosum ordinem (ut in Prologo, vide Not. supra pag. 28.). *Atque illa verba Eusebii numero MCCCCIV.*, τῶς συνέδραμον οἱ χρόνοι κατὰ τὸν προκείμενον Κανόνα, *ita vertit*, quomodo ad unum tempus uterque convenerit : *qui quid sit* Κανὼν *non intellexit, non magis quam illi libro nomen* Κανόνα *fuisse animadvertit : vertendum enim erat*, quomodo secundum hunc Canonem tempora concurrerunt. Hæc ille: sed neque omnino certum est, κατὰ τὸν προκείμενον Κανόνα ab Eusebio esse, & non potius ab auctore Chronici Paschalis: &, si quidem Eusebii sint verba illa, non ideo quia Hieronymus omisit ea latine reddere, concludendum
 fuit

fuit eum nefciffe quid fit Κανὼν, aut eo nomine appellatum ab Eufebio Chronicum: nam, ut §. fequenti videbimus, ipfe *Canonem* vocavit Chronicum in *Recapitulatione*, tum *temporum Canones* & *Chronicorum Canonum omnimodam hiftoriam* Eufebio adfcribit. Sed, ut a propofito argumento non evagemur, *Canonem* dixit aliquoties Syncellus Eufebii Chronicum, ut pag. 63. ἐν τῷ τοῦ Κανόνος αὐτοῦ προλόγῳ, & pag. 65. ἐν τῷ προοιμίῳ τοῦ Κανόνος: & pag. 67. quum primum Eufebii librum ita indicaffet, ὥς φησὶν ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ, *ut primo libro ipfe dicit*; paullo poft locum quemdam ex Chronico producturus, ita præfatur, ταῦτα παρέθετο ἐν τῷ Κανόνι αὐτοῦ, *hæc in Canone fuo appofuit*. ita etiam pag. 165. & 203. ἐν τῷ Κανόνι αὐτοῦ: pag. vero 226., ἐν τῷ κανονίῳ αὐτοῦ, ubi forte legendum, ut alibi, Κανόνι. His itaque Syncelli locis omnibus & Chronicum Eufebii fingillatim laudatur, & *Canon* ἁπλῶς vocatur: proinde haud immerito conclu-

di

di potest, alterum illum titulum plurali numero expressum, *Chronici Canones*, unice designare primum librum, non universum de temporibus Opus. Difficultatem tamen aliquam nobis creat locus ille ex Hist. Eccl. Eusebii supra productus, quo *Chronicos Canones* suos ipse laudans, utrumque librum significare videtur: nisi quis putet, etiamsi prioris libri titulus peculiaris fuerit *Chronici Canones*, potuisse tamen eo nomine secundum etiam comprehendi, qui singulari numero *Canon* diceretur: præcipue cum hic prioris esset veluti synopsis & compendium, de quo §. sequenti nobis agendum erit.

§. III. *Quibus nominibus a latinis, Hieronymo præsertim, Eusebii Chronica fuerint nuncupata.*

POstquam Græcorum de utriusque Eusebiani libri titulis testimonia produximus, veniamus ad Latinos, Hieronymum præsertim, quem ceteri

omnes

omnes ſequuti ſunt. Hic autem librum a ſe in Romanam linguam translatum ſæpius ac fere ſemper *Chronicum*, ſeu Χρονικὸν, appellat, quod proinde vulgo ita appellatur: quamquam aliquibus plurali numero & neutro genere *Chronica* dicere placuit, unde factum poſtea exiſtimo *Chronica* ſingulari numero & feminino genere. Idem tamen alibi Chronicum aliis nominibus appellavit, ut *Canonem* in Recapitulatione Chronici ſui, de qua paullo infra, & *Temporum librum* (vide Notam pag. 21.) & *digeſtionem temporum* lib. I. c. Ruf. num. XI.: præterea Præfat. in lib. de locis Heb. *Temporum Canones ſe latina lingua edidiſſe* ſcribit, qui locus de univerſo Euſebii Opere aut de primo libro intelligendus primo intuitu videretur, niſi aliunde conſtaret Hieronymum *Canonem* Chronicum tantum fuiſſe interpretatum, ſed illum plurali numero ab eo enuntiari, ut feciſſe video etiam quo loco agit de S. Hippolyti ſcriptis: nam
cum

cum Eufebius Hift. Eccl. lib. VI. cap. 22. referat ab Hippolyto fcriptum librum de Pafchate, ἐν ᾧ τῶν χρόνων ἀναγραφὴν ἐκθέμενος, καί τινα κανόνα ἑκκαιδεκαετηρίδος περὶ τοῦ πάσχα προθεὶς, ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος αὐτοκράτορος Ἀλεξάνδρου τοὺς χρόνους περιγράφει, *in quo temporum feriem* (feu *Canonem* : vide quæ de ἀναγραφαῖς χρόνων notavimus pag. 28.) *defcribens & Canonem quemdam Pafchalem per fexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo imperii Alexandri computationem temporum circumfcribit* : ille in lib. de Vir. Ill. cap. LXI. ita, Eufebii veftigiis infiftens, refert ; *rationes Pafchæ temporumque Canones fcripfit ufque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & fedecim annorum circulum, quem Græci* ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit*, &c. Denique eodem libro cap. ult. a fe fcriptos libros recenfens, *Chronicum omnimodæ hiftoriæ* pofuit. Hæc, ut dixi, omnia ad fecundum Eufebii librum referuntur. quod autem cap. LXXXI. Eufebii Cæfarienfis fcripta

enu-

enumerans posuit, *Chronicorum Canonum omnimoda historia & eorum ἐπιτομή*; utrumque ejus librum distinguere videtur, & primum quidem dicit peculiari titulo *Chronicos Canones*, alterum vero sub ἐπιτομῆς appellatione indicasse videtur. Quamquam de his non una eruditorum sententia est: nam, ut omittam quæ Pontacus in Apparatu, Scaliger in Prolegomenis contendit errasse Hieronymum in eo quod *Epitomen* Chronicorum Canonum ab Eusebio scriptam memoriæ tradidit. En ejusmet verba. *Sed Hieronymus credidit & diu mihi persuasit, Eusebium illius partis* (sc., primæ) *epitomen conscripsisse. Neque minus illius auctoritas mihi imposuit, quam illi locus Eusebii ex Prologo Historiæ Ecclesiasticæ præpostere acceptus*: ἤδη μὲν οὖν &c. (habes eum a nobis exscriptum pag. 287.) *Rufinus*: Quamvis jam de his ipsis nonnulla etiam in Chronicis (id est, in Opere quod de temporum ratione conscripsimus) breviter succincteque perstrinxerim: plenius

nius

nius tamen in præsenti Opere singulorum narrationem aperire tentabimus. *Recte Rufinus, nisi quod* ἐπ' τοῦ παρόντος *vertendum*, in præsententiarum, *vel* nunc. *quem errorem sequitur Christophorsonus. Et quidem nulla mentio ibi epitomes illius, de qua sibi & mihi Hieronymus persuaserat. Puduisset sane nos erroris nostri, nisi duce tanto erravissemus, qui locum Eusebii non consulueramus*. At puduisse debuerat Scaligerum non *erroris*, quem dicit, sed impudentiæ, qua se ab illo vindicat, ejusdem caussam in S. Hieronymum conferens: nam, ut hinc incipiam, unde ipse novit ex Eusebii loco perperam intellecto elicuisse illum *Epitomen* Chronicorum Canonum? & non ita potius scripsisse, quia reipsa comperisset ita esse? Sed, ut appareat evidentius Scaligeri indoles, placet ex Allatio in Notis ad Eustathii Hexaemeron heic referre quid Scaliger in prima Chronici editione haberet, quidque postea emendaverit. Allatius post al-

lata

lata ex Prologo Hist. Eccl. Eusebii verba, ita scribit: *Mirum sane est ut Josephus Scaliger in horum verborum perceptione caecutiat, & aliorum omnium censor in his clarissimis verbis indigeat censore. ait namque in Animadversionibus ad Eusebium, cum de illius Operis titulo tractat*: Eusebius Procemio historiae Ecclesiasticae simpliciter ac in genere χρονικὰ appellat, eorumque se se epitomen conscripsisse dicit. *Nusquam haec sententia in Eusebii verbis, nusquam Chronicorum Epitome*. Haec & alia Allatius. verba autem, quae ipse ex Scaligero recitat, habentur adhuc, ut infra videbimus, in secunda editione, omissis tantum his postremis, *eorumque se se epitomen conscripsisse dicit*: quae sane ab eodem expuncta fuerint eodem tempore quo in Prolegomenis errorem suum retractavit seu excusavit verbis paullo antea a nobis recitatis. sed primum insigniter mentitus est, quum scripsit se *Eusebii locum non consuluisse*: nam ex ipso Eusebii loco apparet eum Epitomen

tomen repetere, quem quidem quum addit habere ἁπλῶς, Χρονικά, tacite in iisdem Prolegomenis correxit, ubi edidit χρονικοῖς κανόσιν, ſed tamen in Teſtimoniis quæ ante ipſum Græcum Chronicum appoſuerat, adhuc legitur mendoſe ſine voce κανόσιν: ex qua comparatione apparet, adeo ipſi fuiſſe jam tum cognitum Euſebii locum ex Procemio Hiſt. Eccl., ut in ipſa libri fronte illum primum ediderit. quod tamen ab iis certius poterit ſciri, qui primam Chronici Scaligeriani editionem conſulere poſſunt. Sed præter mendacium, calumniam etiam S. Hieronymo ſtruit, in quem erroris ſui cauſſam & originem refundit, cum ejus ne meminerit quidem in Animadv.. Præclare itaque Vallarſius, quamvis non viderit omnem Scaligeri fallaciam, hanc de Euſebii Epitome quæſtionem his verbis concluſit in Præf. Tom. VIII. pag. XIII. *Non igitur, cum hoc ſentiret, falſus eſt Scaliger: ſed utique cum ſe id ſentiendo erraſſe exiſtimavit,*

vit, strenue falsus est: & culpam sibi deprecatus, in Hieronymum transferens, ostendit, se neque antea, neque post sensum ejus assecutum; & novo non tam se errore, quam S. Doctorem injuria cumulavit. Sed de Scaligero hæc sufficiant. Sequitur Jo: Alb. Fabricius, qui in Notis ad Hieronymi lib. de Vir. Ill., quem edidit in sua Biblioth. Eccl., hæc scripsit: *Hæc epitome non exstat, quod sciam: licet ad calcem Joannis Zonaræ Cangius pag. 212. — 319. G. & L. vulgaverit* ἐπιτομὴν χρόνων *ab Adam, continuatam usque ad Alexium Comnenum, in cujus titulo legitur:* ταῦτα ἱστορεῖ ὁ Καισαρεὺς Ἐυσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν τῷ λόγῳ ὃς ἐκλήθη Βασιλικός. idem tamen sententiam mutavit in Bibl. Græca, ubi de Eusebio agit, affirmans posteriorem librum Eusebii, χρονικὸν κανόνα dictum, eum esse quem *Epitomen vocat Hieronymus*. Vallarsius tamen secus judicavit, & quum in Notis ad lib. de Vir. Illustr. monuisset: *Chronici autem*, qui-

quibusdam fragmentis exceptis, sola supereſt latina verſio Hieronymi, quam ſuo loco exhibebimus. Ἐπιτομὴ *denique tota, ut videtur, intercidit*; in Præfatione demum VIII. Tom. pag. XII. Fabricii ſententiam acriter ſugillat, ſcribens *nihil potuiſſe ineptum magis aut abſonum vero comminiſci, non eam dumtaxat ob cauſſam* (quæ ſane nulla eſt), *quod prior ille Euſebii plane commentitius ſit liber, verum etiam quod ipſe in eadem præjudicia ſua peccet. Nam ſi Chronicorum Canonum Epitomen Euſebius concinnavit, jam non hæc potuit ille idem liber eſſe, qui, ipſomet judice Fabricio*, Chronicus Canon *proprio titulo nuncupatur*. Aſt, quid ni potuerit, quæſo? num ob eam quam ſtatim Vallarſius ſubdit cauſſam? ipſum audire pergamus: *Tum vero quæ tandem illa exſtitit confiçti libri prioris immenſitas, ſi quæ nunc toto & juſto Euſebiano ſyntagmate continetur, Epitome dicenda eſt?* Atqui, quod tamen pace dictum Vallarſii ſit, ea fuit, ut ex tota hac

Dissertatione discere quisque poterit, prioris illius non *confecti*, sed ab eo perperam impugnati libri, non *immensitas*, sed moles, ea rerum copia, ea totius argumenti partitio & distributio, ut ejus jure *epitome* dici potuerit quod exstat Chronicum. Aliam deinde Vallarsius sententiam producit & refutat, quam *propius tamen ad veri speciem* accedere asserit, Schurzfleischii videlicet, qui *contendit contra atque Fabricius, priorem potius librum, quo, teste Hieronymo in Præfatione, Eusebius* quasi quamdam materiam futuro operi prænotarat, *fuisse olim dictum* ἐπιτομὴν χρονικῶν κανόνων. Refutat autem hac potissimum ratione, quod, *si erat prior ille liber* Epitome *Chronicorum Canonum* (*qui scilicet late, perque annos expansos, altero libro describebantur*), *jam non ille grandis liber erat omnimodam historiam complectens, atque universæ eruditionis thesaurus: sed, ut est epitomarum ingenium & institutum, perexiguæ molis atque operæ libellus, ea etiam de caussa*

aliis

aliis ejusmodi breviariis exilior, quod anni expansi penitus reticeantur, historiarum vero summa capita delibentur. Postremo suam ipse mentem proponit, ita scribere pergens: *Translucet nihilominus ex ea minime sibi constante sententia*, (nempe, Schurzfleischii) *veri species quædam, ut facile videatur ille potuisse rem acu tangere, nisi præconcepta opinio de duplici Eusebiano libro menti tenebras offudisset. Enimvero sic existimo, (siquidem re ipsa concinnata est illa epitome, nec suspicari licet, interpolatum Hieronymi locum) non aliam eam esse, quam quæ in* prævia *Chronici* ordinatione *continetur, & Hieronymo dicitur* quædam futuri operis materia: *denique hoc ibi titulo prænotatur,* Regum series, & quanto quisque tempore regnaverit. *Satis est, ut quod sentio verissimum probes, si eam nominum seriem contextumque a Nino ad Constantinum oculis usurpes, & rem tuo judicio, non aliena fide, æstimes.* Hæc ille: cui nihil habeo quod reponam, nisi me eum nimirum esse

qui *rem meo judicio, non aliena fide æstimare* voluerim, neque tamen ullo pacto ipsius sententiam probare potuisse, quin immo falsissimam esse deprehenderim. Quam autem ille suspicionem movet de interpolato Hieronymi loco, non video cui indicio innitatur; nam & Græcus Interpres, & ex eo Suidas vulgatam lectionem confirmant, nec in latinis, quod sciam, codicibus ulla occurrit ibidem lectionis varietas. Eamdem lectionem confirmare etiam videntur aliquot MSS. codices, de quibus vide quæ supra pag. 36. habentur. tum Trithemius, lib. de Scrip. Eccl. Eusebii opera enumerans, hæc habet de Chronico: *Epitomes Chronicæ liber unus cum hoc initio:* Moysem gentis Hebraicæ. Enimvero, ut observavit Scaliger, Animadv. pag. 11. col. 1., secundus hic Eusebii liber *est index quidam superioris, quum quæ in illo collecta fuerant, ea heic per annos expansos in unum conspectum conjecta sint*. Eo etiam spectant ea quæ in fine Prologi

logi ab Eusebio ipso, interprete Hieronymo, dicta habentur: *quæ universa in suis locis summa brevitate ponemus*. Porro ad propositam de *Epitome* Eusebii quæstionem referri potest quod ex Goari Notis in Syncellum alia occasione produximus in Nota pag. 5. Nam si quod, Scaligerum, ut ipse putat, sequutus, ex quodam apud Syncellum Aniani & Panodori (qui sub Theophilo Alexandriæ episcopo floruerunt, & scriptis uterque suis Eusebium castigarunt) fragmento colligit, verum esset; Vallarsii & Schurzfleischii sententia non parum confirmaretur. Locus Syncelli hic est: μέμφονται δὲ αὐτὸν ἐν ἄλλῳ μέρει εὐλόγως, ὅτι ἐν τῇ ἀνακεφαλαιώσει τοῦ χρονογραφίου αὐτοῦ σγ΄ ἔτη ἐσφάλη· ἀντὶ γὰρ ͵εωις΄, ͵εφις΄ (Goarus in margine supplet & corrigit ita: ἔγραψεν ͵εφκς΄). ἐστοιχείωσε δὲ οὕτως· ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τῆς γεννήσεως Ἀβραὰμ συνῆξεν ἔτη ͵γρπδ΄· καὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως τῆς εἰκοσαετηρίδος Κωνσταντίνου ἐν τῷ κατὰ πλάτος συνῆξε χρόνον ἐτῶν ͵βτμβ΄· ἃ γίνεται ἔτη ͵εφκς΄, quæ sic inter-

interpretatur idem Goarus: *Non injuria vero alio loco conciliant eidem invidiam, quod annis CCXC. in chronographiæ summa aberraverit, & VM. DCCC. XVI. vice scripserit VM. D. XXVI. Sic autem numerum ille digessit: ab Adamo ad Abrahæ natalitia IIIM. CLXXXIV., & ab Abraham ad vicesimum usque Constantini annum, diffusius exposita posteriore Chronici sui parte, IIM. CCCXLII. annos collegit, quorum omnium summa est VM. DXXVI.* Porro Goarus supracitata Nota interpretatur verba ἐν τῇ ἀνακεφαλαιώσει τοῦ χρονογραφίου, ut iis priorem Chronici partem significatam velit: *Partes*, inquit, *Chronici duas fecit Eusebius: priorem Auctor nuper appellabat* ἀνακεφαλαιώσιν, *secundam nunc* τὸ κατὰ πλάτος χρονικὸν *vocat*, ... *Ita Scaliger præsentem Auctoris locum in Eusebianarum Animadversionum Proœmio referens. Partis utriusque ideam in latina Hieronymi versione lector contemplabitur*. Ita nimirum & Vallarsius noster putavit. Scaliger tamen laudato a Goa-

ro loco aliud, ut puto, ſibi voluit, quam quod ille ex ejus verbis exculpſit. *Bis quoque* (inquit Scaliger, de ſecundo Euſebii libro ſcribens) τὸ κατὰ πλάτος *appellavit* (Syncellus), *hoc eſt expanſum opus, quod in hac anni omnes* κατὰ πλάτος *& expanſi ponuntur, qui in priori parte* καθ' ὁμάδα, καὶ ἀνακεφαλαιωδῶς *comprehendebantur. Hoc melius illuſtratur loco Aniani monachi vetuſtiſſimi, qui libros quinque Africani* τὰ καθ' ὁμάδα *vocat* (*), *Chronicon autem Euſebii* τὸ κατὰ πλάτος. *De Euſebio enim verba faciens, ita ſcribit:* ἔτι δὲ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν Σαμψὼν τοῦ κριτοῦ, τὰ τῆς ἀναρχίας, ἤτοι τῆς εἰρήνης τοῦ λαοῦ μ' ἔτη ἐν τῷ κατὰ πλάτος οὐκ ἔθηκεν. ὁ δὲ Ἀφρικανὸς αὐτῶν ἐμνημόνευσεν, καὶ τῇ τοῦ χρονογραφείου αὐτοῦ ὁμάδι συμψηφισάμενος ἤνωσεν. *Atque hæc quidem de partibus operis, quod bipartitum fuit*. Hæc Scaliger: qui quidem etiamſi

V 4

(*) Non itaque Africanus *Canonem* condidit, ut Scaliger in Nota ad Græca Euſebii a me ſupra allata atque alibi contendit.

iamsi de primo Eusebii libro pronuntiet, in illo annos ἀνακεφαλαιωδῶς comprehensos, non tamen ad id probandum utitur verbis illis, ἐν τῇ ἀνακεφαλαιώσει τοῦ χρονογραφίου: quod vero idem Aniani auctoritatem usurpat, eo tantum spectat, ut secundum librum τὸ κατὰ πλάτος vocatum confirmet. Itaque ἡ ἀνακεφαλαίωσις non aliud fuerit, quam Recapitulatio annorum in fine Chronici apposita, quæ a S. Hieronymo ad calcem sui supplementi rejecta fuit, nonnullis tamen mutatis, ut par erat. Pauca inde excerpere placet. *Continet omnis Canon ab Abraham usque ad tempus suprascriptum* (sc. ad consulatum Valentis VI. & Valentiniani Junioris iterum, Augg.) *annos MMCCCXCV. A diluvio autem usque ad Abraam supputantur anni DCCCCXLII. Ab Adam usque ad diluvium anni MMCCXLII. Fiunt ab Adam usque ad XIV. Valentis annum, id est usque ad consulatum ejus VI., & Valentiniani iterum, omnes anni MMMMMD. LXXIX.*

Sed

Sed quoniam monet Vallarsius omnes illas ἀνακεφαλαιώσεις in Parmensi MS. desiderari, tum Scaligerum *tamquam ab aliena manu postmodum adjectas, exsulare ab reliquo contextu jussisse*; curandum sedulo, ut eas a Hieronymo appositas fuisse appareat, & quidem ad exemplum Eusebii, qui easdem in postrema Chronici sui parte habuerit. Primum itaque satis per se evincit Victorii testimonium, quod integrum pag. 25. & seq. attulimus, ex quo quæ huc potissimum spectant, pauca hæc delibamus: *Quapropter vir venerabilis prædictus Eusebius Chronicorum ab hinc* (sc. ab Abrahamo & Nino) *exorsus est historiam ..... contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari, ætates tantum summatim retro generationum ex Prologi textu, & Operis plenitudine sub annorum recapitulatione comprehendens*: En recapitulationem annorum *in Operis plenitudine*, seu in fine Chronici, qua tum illæ quæ ipso Chronico continentur, tum reliquæ quæ

præcedunt ad mundi usque originem comprehenderentur. Præterea habetur Recapitulatio illa in fine Chronicorum Prosperi & Marcellini totidem fere verbis ex Hieronymo descripta; quin etiam ejus non obscura vestigia habentur in plerisque aliis Hieronymiani Chronici vel continuatoribus vel compilatoribus, puta Cassiodorio, Victore Tunonensi, &. S. Gregorio Turonensi in calce lib. X. Hist. F. Quod autem de Prosperi & Marcellini Chronicis dixi, sciendum in aliquibus editionibus eas collectiones deesse: desunt, ex. gr., in fine Prosperi a Pontaco & Vallarsio, uti etiam in Marcellino a Sirmondo vulgato; at habentur apud Scaligerum & alios. & quamvis demus, quod hic in Notis ad Prosperum vult, sc. ex Hieronymi Chronico, aut aliunde eo translata fuisse ab antiquario aliquo; illud certe & nobis dandum est, ut in calce Hieronymiani Chronici primum fuerint, licet in Scaligeri editione & aliis antiquio-

tiquioribus, de quibus Pontacus, ibidem non compareant. *Quæ sequuntur* (inquit ille in ea verba, *ab Urbe condita*, &c.) *usque ad initium Prosperi, deerant in impressis, nos adjecimus ex diversis codicibus, prout indicavimus in singulis, nec non ex Chronicis Comitis Marcellini & Idacii* (sed in Idacio a Sirmondo edito non habentur), *quamvis Vincentius* (Bellovacensis) *& Antoninus videntur non habuisse ista in suo exemplari ..... Tamen præter fidem tot codicum, de quibus inferius, videntur esse non solum consentanea præfationi Eusebii, sed valde necessaria ad stabiliendum certum gnomonem annorum hujus libri. Jam vero non erit abs re monere lectorem, quomodo sequentia habeantur apud Marcellinum, & Idacium, quia video plures doctos in his alucinari, & nonnullos hinc captare occasionem Eusebio detrahendi. Licet enim ita sint in illis posita, nulla facta mentione alterius auctoris, ac si essent illorum propria, sunt tamen Hieronymi, & ex hoc Chronico exscripta:*

quod

quod forsitan accidit in Marcellino ex eo, quod cum ejus Chronicum fuisset scriptum post Chronicum Hieronymi, quia prosequitur continentem historiam; librarius transposuit ad calcem Marcellini collectiones, quæ erant propriæ Hieronymi: eadem pæne ratione, qua habentur in Lodonensi ad finem Prosperi, easque copulavit cum his, quæ erant Marcellini. Hæc ille, & alia in idem argumentum. Quod secundo loco probandum erat, Eusebium nimirum in fine Chronici sui ἀνακεφαλαίωσιν superiorum ætatum jam inde usque ab O. C. instituisse, licet non haberemus apud Syncellum paullo supra laudatum textum, quo id satis aperte declaratur, tum Hieronymi exemplum, ratio ipsa evinceret: cur enim Eusebius, qui & in Prologo & in Chronici serie non semel instituit superiorum ætatum Recapitulationes, eas fusius in extremo operę retexere non debuisset? Hæc nimirum est, quæ a Syncello memoratur, ἀνακεφαλαίωσις τοῦ χρονογραφίου.

§. IV.

§. IV. *Indicantur quidam a Scaligero & aliis recentioribus passim usurpati Eusebiani Operis tituli non sinceri.*

QUoniam vidimus ac plane expedivimus duos ab Eusebio libros editos fuisse, quorum prior inscriptus ab Auctore fuerit *Canones Chronici*, alter *Canon*; superest ut videamus, quibus aliis nominibus, sed non justa aut non satis certa caussa, a nonnullis appellari soleant. *Priorem partem* (scribit Scaliger, Animadv. pag. 4.) χρονογραφεῖον *vocat Georgius monachus Tarasii Patriarchæ Syncellus, æqualis temporum Caroli Magni, alibi* χρονικὴν συγγραφὴν.... *item aliquando vocat* τὸν πρῶτον λόγον. De πρώτῳ λόγῳ jam diximus §.II.: quod autem ad χρονογραφεῖον & χρονικὴν συγγραφὴν spectat, nos Syncelli loca opportuno loco produximus, scilicet pag. 283. & 309.: sed neutro nomine priorem singillatim partem, sed potius universum opus designatum iis vocibus persuasum habemus.

Sane

Sane illud ἐν τῇ ἀνακεφαλαιώσει τοῦ χρονογραφίου αὐτοῦ, *in Recapitulatione Chronographii sui*, non debuit priori parti aptari, quum non constet *Recapitulationem* nisi secundæ parti, quæ totum opus concluderet, fuisse appositam. Sequitur Scaliger: *Ipse Eusebius Proœmio Historiæ Ecclesiasticæ simpliciter, ac in genere* χρονικὰ *appellat*: Ita nimirum legebat tunc Scaliger, ut appareret etiam ex Testimoniis Veterum ab eo præfixis Græcis Reliquiis, ibi enim legitur, ἐν οἷς διετυπωσάμην χρονικοῖς, omissa voce Κανόσιν, quam tamen, ut diximus pagina 303., agnovit postea eumdem textum producens in Prolegom. *Epiphanius*, sequitur Scaliger, ἀγκυρωτῷ *vocat* χρονογραφίας *numero plurali*. In iisdem Testimoniis habetur hic Epiphanii locus, sed cum his verbis conceptus sit ἐν χρονογραφίαις Εὐσεβίου καὶ τῶν ἄλλων χρονογράφων, *in Chronographiis Eusebii & aliorum chronographorum*, non bene Scaliger Eusebii opus *numero plurali* χρονογραφίας dictum Epiphanio arguit: melius

melius Fabricius: χρονογραφίαν *Epiphanius*, *sub extremum libri de ponder. & mensur.* (non *in Ancborato* , ut Scaliger tum hoc loco, tum in Testimoniis scribit). Rursus Scaliger: *Eusebius lib. X. Præparationis*, *item Cedrenus* χρονικοὺς κανόνας . *Tamen secundum Bedam titulus videretur fuisse*, Chronica veræ editionis, χρονικὰ ἀληθοῦς ἐκδόσεως. *Ita enim scribit in Chronico suo, in XV. anno Tiberii*: Juxta vero Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de vera editione, ut sibi videbatur, composuit. *Quemadmodum enim Africanus bis chronica sua edidit, unde posteriorem editionem vocavit* δευτέραν ἔκδοσιν, *ita Eusebius videtur, quum suum Chronicum bis edidisset, posteriorem editionem* ἀληθῆ ἔκδοσιν *vocasse*. Nos Bedæ locum integrum alia occasione pag. 242. produximus, & ejus germanam significationem dedimus, ex qua apparet Scaligerum alucinatum esse, & alios, ut Tillemontium, cujus verba dedimus supra in Not. pag. 154., secum in errorem abduxisse: *vera* enim ibi

juxta

juxta Eusebii mentem *editio* est τῶν LXX. calculus, non Eusebiani Operis titulus. Quod addit de *posteriori* Africani *editione*, unico non Africani, sed Syncelli loco innittitur, qui quum Dynastias regum Ægypti recenseat juxta Africanum primum, tum juxta Eusebium, pag 56. hæc habet: Ὁμοῦ πρώτης καὶ δευτέρας δυναστείας μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη φνέ κατὰ τὴν δευτέραν ἔκδοσιν Ἀφρικανοῦ: *Simul primæ & secundæ Dynastiæ post diluvium, anni DLV. juxta secundam editionem Africani*: utrum vero ex hoc uno loco, nemine id antiquorum attestante, bis Africanum *Chronica* sua edidisse satis constet, aliorum sit judicium. Porro Scaliger, postquam de secunda Eusebiani Operis parte nonnulla scripsit iis fere consentanea quæ & a nobis §. II. jam dicta sunt, ita sequitur: *Totum vero opus quomodo vocatum fuerit, melius quam quomodo vocandum a nobis erit, expedivero. Nam quemadmodum in jure cognatio & adoptio nunc generis, nunc speciei partes funguntur, ita* uni-

univerſum hoc opus nunc Κανόνες χρονικοὶ, *nunc* χρονογραφίαι, *nunc* χρονικὰ *vocantur*. Recole quæ paullo ante ex eodem attulimus: videbis quo ſpectent & quid valeant poſteriores duæ voces χρονογραφίαι & χρονικά. Sequitur: *Videndum igitur, an e mente auctoris fuerit, ut plurale nomen univerſo operi, ſingulare alteri ex duabus partibus conveniat. Ego ita cenſeo, dum aliquis meliora adferat; & propterea univerſum opus Chronica vocentur, pars prior Chronologia, poſterior Canon, vel, ut hactenus ei nomen hæſit, Chronicon Euſebii .... Præterea* χρονικῶν κανόνων παντοδαπὴ ἱστορία *totum opus quidem vocatum eſt, ſed proprie prior pars eſt* παντοδαπὴ ἱστορία. *Nam verum eſt, quod diximus, generis nomen pro ſpecie uſurpatum fuiſſe*. Hactenus ille, certa incertis, vera falſis immiſcens, ut ex iis quæ ſupra a nobis dicta fuerunt, colligi poteſt. Unum addam; titulum, χρονικῶν κανόνων παντοδαπὴ ἱστορία, apud Græcos non exſtare, ſed ex S. Hieronymo de Vir. Ill. cap. lxxxi. a Scaligero

X expreſ-

expressum: itaque dubitari merito potest, num *omnimoda historia* ab ipso Hieronymo sit, qui græcum titulum latinis verbis explicare aliquo pacto voluerit. Porro quamvis qui post Scaligerum scripserunt, eumdem fere exscripserint; sunt tamen nonnulla peculiaria plerisque, quæ & ipsa excutienda forent. Unus omnium instar sit Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Græca lib. V. cap. 4. *Chronicon*, inquit, *sive* Παντοδαπὴ ἱστορία, de cunctis temporibus Historia, *ut titulus Operis latine transfertur in epistola Augustini* 35., *ex quo loco etiam constat non ubique obvios jam tum fuisse Chronici Eusebiani codices*. Epistola laudata est Paullini Nolani ad Alypium, quæ in editione S. Paullini habetur num. III.: in ea vero non totum Eusebii opus, sed Chronicum tantum haud ita pridem a Hieronymo latinum factum designatum videtur: itaque minime mirum, si pauca adhuc ejusdem haberentur exemplaria, & unum apud Domnionem

nem Hieronymi amicissimum Romæ repererit idem Paullinus, quod & Alypio, illud exposcenti, dono misit. Pergit Fabricius scribere: *In libros duos divisum fuit ab Auctore, quorum priorem inscripsit* χρονογραφίαν, *posteriorem* χρονικὸν κανόνα. *atque hanc* Epitomen *vocat Hieronymus*. Sed χρονογραφίαν priorem librum inscriptum ab Eusebio, non constat: nam quamvis nos supra pag. 181. ex Fragmentis apud Syncellum hæc verba laudaverimus, κατὰ τὴν παροῦσαν χρονογραφίαν; apparet tamen Chronographiam eo loco peculiariter nuncupatam Patriarcharum ab Adamo ad Abrahamum chronologicam seriem. Non prætereundum etiam quod idem Fabricius ibidem habet Nota K.: in qua varias recensens Eusebiani operis quæ apud antiquos occurrunt, appellationes, hæc inter cetera scribit: Ἀρχαιολογίαν, *atque* ἀρχαιολογικὴν ἱστορίαν *vocat Anastasius Sinaita, quæst. XLI. & LXV.* Anastasii Sinaitæ Quæstiones habentur G. L. apud Gretserum Tom.

XIV. novifs. edit.; habentur etiam XCIII. ex his quæſt. a Gentiano Herveto latinitate donatæ in Bibliothecis PP., ſub nomine Anaſtaſii Nicæni. Itaque videamus loca a Fabricio indicata, num ad Euſebii Chronica ſpectent. Habentur autem apud Gretſerum, Quæſtione XLI. pag. 320., hæc: Ἐυσεβίου Παμφίλου ἐκ τῆς ἀρχαιολογικῆς ἱστορίας. Τὰς δὲ βίβλους τοῦ Σολομῶντος, τὰς περὶ τῶν παραβολῶν καὶ ᾠδῶν, ἐν αἷς περὶ φυτῶν καὶ παντοίων ζώων φυσιολογήσας (apud Cedrenum, hæc eadem referentem, legitur φυσιολογία, ſed huic loco congruit potius ἐφυσιολόγησε) χερσαίων, πετινῶν τε, καὶ ἐνυττῶν (melius νηκτῶν, ut apud Cedr.) καὶ ἰαμάτων παντὸς πάθους παντὸς γραφείσας αὐτῷ, ἀφανεῖς ἐποίησεν Ἐζεκίας, διὰ τὸ τὰς θεραπείας τῶν νοσημάτων ἔνθεν κομίζεσθαι τὸν λαόν, καὶ περιορᾶν αἰτεῖν, καὶ παρορᾶν ἐντεῦθεν (redundare omnino videntur poſtrema hæc verba: Cedenus habet tantum, περιώρα, ſc. ὁ λαός, τὰς ἰάσεις αἰτεῖν παρὰ θεοῦ) παρὰ Θεῷ (leg. Θεοῦ) τὰς ἰάσεις. Quæ ita verto: *Euſebii Pamphili ex Hiſtoria Ar-*

Archeologica, five *ex Originibus*. *Libros autem Salomonis de Parabolis & Canticis, in quibus de plantatum & omnis generis animalium, terrestrium, volucrium & natantium natura disputavit, & de cujusvis morbi medicina ab eo scriptos, e medio sustulit Ezechias, propterea quod morborum curationes inde populus sumeret, & sanitatem a Deo petere sperneret*. Eadem fere refert Glycas, & Eusebio adscribit pag. 182. Ed. Par.: παρὰ δὲ Ἐζεκίου κεκαῦθαί φησιν ὁ πολυμαθὴς καὶ πολυΐστωρ Εὐσέβιος: sed cum in eadem pagina paullo ante Anastasium ipse laudet, ex ejusdem fide Eusebium etiam laudaverit. Porro eadem fere referunt, Eusebio tamen non in testimonium assumto, tum Syncellus pag. 200., tum Chronici Pasch. auctor pag. 99., qui quidem hujus rei auctores facit Hebræos, ὥς φασὶν Ἑβραῖοι; tum Cedrenus pag. 77. & 108. Ed. Paris., ipsis pæne ab Anastasio citatis verbis utroque in loco adhibitis; tum alii, quos Fabricius produxit in Cod.

Pseudep. V. T., num. CXCVII. & proximis capitibus, quibus de Salomone agit. Verum enimvero, cum hæc de Salomonis libris ab Ezechia combustis narratio merito inter fabellas ex eruditorum consensu recenseatur; quæ quidem tum ex Chronici Pasch., tum ex quorumdam Rabbinorum, a Fabricio modo citato loco indicatorum, auctoritate, depromta videtur ex hujusmodi mercium feracissima Hebraicarum Traditionum penu; cumque præter Anastasium nemo Ἀρχαιολογικῆς Ἱστορίας Eusebii meminerit (qui potius est a Josepho Hebræo elucubrati Operis titulus), nedum chronicos libros eo appellaverit nomine; omnino rejiciendum censeo Anastasii testimonium, ita ut ἀρχαιολογικὴ istæc ἱστορία omnino pro supposititia, aut nulla habenda sit. Sed & alter ex quæst. LXV. locus obiter est inspiciendus, qui habetur apud Gretserum pag. 368. sub hoc titulo, Εὐσεβίος ἐκ τῆς Ἀρχαιολογίας: *Quoniam & Gentiles sapien-*

pientiam se habere promittunt, & hæretici putant se disciplinam tenere, propterea & Salomon veram sapientiam, disciplinamque docet: ne quis sapientiæ nomine deceptus in sophismata Gentilium & hæresum incidat, &c. Omitto brevitatis gratia reliqua latine reddere, nam pauca hæc satis superque indicant, in chronico Opere his locum non fuisse: ac proinde satis liquet perperam a Fabricio notatum, his Anastasii locis Eusebii Chronicum fuisse laudatum. sed de Quæstionibus, quæ sub Anastasii nomine habentur, rursus paullo post dicendum erit. Apponam postremo Cavei judicium, seu potius ἐποχὴν de ἀρχαιολογικῇ ἱστορίᾳ Eusebii, de qua nimirum hæc habet: *Hujus duo exstant fragmenta apud Anastasium Sinaitam, quæst. XLI. & LXV. An forsan idem sit opus cum Chronico, seu παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, penes lectorem judicium esto. Libri ejus ad Marinum sæpius citantur ab eodem Anastasio*. De libris ad Marinum agit & Fabricius, Bibl. Græc. in *Eusebio*

 num.

num. 16., ex cujus obſervationibus dubitandi occaſio datur, num nonnulla ex Opere ad Marinum, quod erat *de Evangeliorum diſcordantia*, laudentur in Anaſtaſianis quæſtionibus, quæ tamen alterius ſint argumenti. Sed de his alii viderint.

§. V. A Græcis quibuſdam Scriptoribus quædam ex Euſebii Chronico perperam referuntur accepta. Num fuerit Chronicon aliud Euſebii Pſeudepigraphum?

Enim vero, quod magis mireris, Lector, non raro reperias in Græcorum mediæ & infimæ ætatis libris Euſebium Cæſarienſem, aut ejus Chronicum productum in teſtimonium earum rerum, quæ ſane in eodem minime habentur, immo ne haberi quidem poſſunt, utpote contraria plerumque ejus Chronologico ſyſtemati: adeo ut ne ad primum quidem librum ea ſpectaſſe putandum ſit. Ex. gr. adtexuit Chronico

Paſcha-

Paſchali Du-Cangius ſelecta Monumenta aliquot ad chronologiam ſpectantia, in quibus num. V. habetur *Fragmentum duplex Chronici Euſebiani*, &c. Equidem græca illa fragmenta hunc præferunt titulum, Εὐσεβίου ἐκ τῶν χρονικῶν; at falſo Euſebio adſcribi ex eo conſtat, quod in utroque ſtatuatur Chriſtum natum eſſe anno ab O. C. VM. D. & I., quæ fuit Africani & aliorum computandi ratio, non tamen Euſebii, quem conſtat annos tantum VM. & CC., uno minus, ad uſque Chriſti in terris manifeſtationem numeraſſe. Porro eadem quæ in laudatis Fragmentis ſententia adſtruitur & ex Euſebio repetitur in Quæſtionibus Anaſtaſii in Bibliothecis PP. Lugdunenſi antiquioribus ſæpius impreſſis. Cum enim, ut ſuperiori Paragrapho diximus, Gentianus Hervetus XCIII. tantum quæſtiones, Anaſtaſio Nicæno adſcriptas, latinas fecerit, habeantur autem ex his ſex, quæ in Gretſeriana collectione deſiderantur, quaſque

ex

ex græco quodam codice suppleri posse notavit Lambecius (ut ex Fabricii Bib. Græc., in *Anastasio Sinaita*, colligo) in aliqua ex sex illis exstare oportet fragmenta, quorum meminit Pontacus in Apparatu. Scribit enim Curterium in quadam epistola, quam præfixit fragmentis Eusebii a se collectis, *ex illis fragmentis quæ citantur ab Anastasio episcopo Nicæno lib. quæst. in S. Scripturam, ex Eusebio in Chronicis*, argumentum duxisse, ut Chronicos Canones excidisse, superesse autem *Epitomen* tantum probaret: respondet autem Pontacus: *Sed illa fragmenta commentitia esse manifestissime apparet ex eo, quod cum præcipuum fundamentum eorum sumatur ex eo, quod Eusebius in Chronicis dicat Christum natum esse anno ab Orbe V.M.D. evoluto & impleto: certum tamen est, quantum testantur tam omnes libri hujus Chronici, quam alii plerique Auctores, Eusebium hoc in Chronico sensisse Christum natum anno Orbis V.M.C.& IC. Neque ulla ratione recipiendum videtur*

tur eumdem Eusebium sibi fuisse contrarium in re tam seria, & quæ est basis totius Chronici & historiæ, ut unum scripserit in Epitome, & alterum in Chronico: unde argumento est, aut illa fragmenta falso fuisse imposita Eusebio nostro, aut Chronicum illud ab Anastasio citatum tribuendum esse alteri ejusdem nominis, quam Eusebio Cæsariensi. Hæc Pontacus, quæ placuit transcribere, quoniam ipsum Anastasium ex Herveti interpretatione consulere non licuit. ceterum operæ pretium esset, si cui ipsum, aut potius græcum codicem a Lambecio indicatum videre datur, diligenter notare quinam ibidem titulus his præfigatur Fragmentis: num ex χρονικῶν, an vero ex ἀρχαιολογικῆς ἱστορίας, ut alibi, petita dicantur. Sed quoniam rursus incidit mentio Quæstionum quæ sub Anastasii feruntur nomine, non abs re erit, præter ea quæ tum de ipsarum interpolatione tum de additionibus postea eisdem insertis nota-

notarunt Allatius, Caveus, Fabricius & alii, heic apponere, quæ habet Humfredus *Hody* Scriptor Anglus in Prolegomenis ad Joannis Malalæ Chronographiam, num. XXIV. *Quod in* Anastasii quæstionibus Theologicis *Fragmentum suprascriptum* (agit ille de quodam Hesychii textu) *reperiatur, ne aliquem id in errorem inducat: Non enim ab ipso Anastasio in opus Quæst. Theolog. translatum fuit illud Fragmentum, sed in Additamentis, seu Appendice habetur: ut multa sunt alia ex Scriptoribus recentioribus Quæstionibus Anastasianis cum adjecta, tum inserta. Consule nostram Diatribam* de Scriptoribus Græcis variis (*) *ubi de prædictis Anastasii Quæst. fusissime tractatum est, &* *quæ-*

(*) De recentioribus potissimum Græcis scriptoribus agere sibi Diatriba illa proposuisse Hodium colligo ex ejus verbis, in *Erratis & Addendis* post Prolegomena: *Vide tamen, inquit, quæ diximus in Diatriba nostra de Scriptoribus Græcis variis cap. I., ubi de Joanne Antiocheno Chronolog: monacho.*

quaestiones duntaxat XXIV. priores revera fuisse Anastasii, ceteras omnes esse adjectitias; & in ipsis prioribus XXIV. permulta esse interpolata, ex codd. MSS. luculenter est demonstratum. Hæc Hodius in laudatis Prolegomenis, ita de *Diatriba* sua scribens, ut eam non modo perscriptam, sed & publici juris jam tum factam fuisse persuadeat. Secus tamen esse oportet: nam neque Caveus & ipse Anglus, neque Fabricius, aut alius quispiam, ejus Operis, quod viderim, usquiam meminerunt: quod tamen ab illis sæpe factum oportuisset, saltem quum uterque initio librorum suorum singulos diligenter recensent qui de antiquis Scriptoribus commentarios ediderunt. Ceterum Hodius Græcæ linguæ Professor Regius variis editis scriptis insignis est: nam præter laudata Prolegomena & Notas aliquot in Malalam, quæ Oxonii an. MDCXCI. una cum Malala ipso prodierunt, legi etiam ejusdem *De Bibliorum textibus Origi-*

nali-

nalibus, *Versionibus Græcis & Latina Vulgata libros IV.*, itidem Oxonii an. MDCCV., in cujus Operis Præfatione memorat ante annos viginti se *Dissertationem contra Historiam Aristeanam* edidisse, quæ esset alterius hujus Operis veluti Præludium: Addit etiam hæc probe notanda; *Quod attinet ad* Syntagma Historico-chronologicum *de Ptolemæis Ægypti Regibus, ad quod lectorem in Dissertatione sæpiuscule amandavimus, jamdiu est quod constitui Opus illud ita secundis curis augere ac ampliare, ut prodeat tandem aliquando Thesaurus Antiquitatum Alexandrinarum cum Civilium tum Ecclesiasticarum.* Quæ sane verba etiam de supra laudata *Diatriba* fuerint interpretanda (*): de quo tamen certius aliquid sciri poterit ab iis, qui legerunt Disser-tatio-

(*) Fabricius Bibl. Græc. lib. V. cap. 4. hanc Hodii Diatribam memorat, quam tamen *lucem non vidisse* testatur. Hæc in Nota quadam, ubi de Malala agit, nunc demum invenio: quare non omittenda esse duxi.

tationem *de Vita & scriptis* ipsius, quam lego præmissam fuisse ejusdem Hodii Opusculo postumo, Londini an. MDCCXLII. edito, cui titulus *De Græcis illustribus, linguæ Græcæ litterarumque humaniorum instauratoribus*, &c. Sed, ut ad argumentum nostrum revertamur, illa nobis potissimum animadvertenda sunt, quæ Hodius in laudatis Prolegomenis num. XXV. ex *Diatriba* illa refert de Chronico quodam Eusebii supposititio: *Argumentis hisce* (inquit) *de ætate Scriptoris nostri* (Malalæ) *ex eo videtur accedere confirmatio, quod quotiescumque* Chronologiam Eusebii Cæsariensis *adducit, non verum citat sive genuinum Eusebii Chronicon, sed Chronicon quoddam supposititium sub Eusebii nomine circumferri solitum. Quod tale fuit apud Græcos recentiores Chronicon, quod falso Eusebii nomen præ se ferebat, quamvis id a nullo virorum eruditorum sit hactenus observatum; & quod illud quo usus est noster Chronographus, non fuit genuinum Eusebii*

opus;

opus, *nos in libro citato*, *in capite* de Eusebiis variis *ostendimus*. Sane dolendum valde est non exstare eam Diatribam, in qua hæc & alia hujusmodi tradebantur; si tamen Auctor, ut dicebam, eam perscripsit, & non potius delineavit tantum. Quod itaque muneris nostri est, nonnulla producemus ex Malala & aliis excerpta, in quibus Eusebii Chronicum perperam laudari, vel manifesto apparet, vel saltem conjectura colligitur. Malalas igitur lib. X., pag.295. edit.Oxonien., hæc habet ex Edmundi Chilmeadi interpretatione: nam græca afferre minime necessarium duximus: *Eusebius autem Pamphili*, *Cæsareæ Palæstinæ episcopus*, *&* *ipse omnium Dominum & Salvatorem Jesum Christum sexto annorum millenario*, *secundum numerum diei quo factus est Adamus*, *apparuisse fatetur*: Ante impletum, *inquiens*, sextum millenarium annorum terris se se exhibuit D. N. Jesus Christus, uti genus humanum liberaret. *Natum autem*

tem esse, & *incarnatum anno Mundi MMMMMD; esse etiam passum*, & *resurrexisse inque cœlos assumtum anno MMMMMDXXXIII. affirmat idem*: Porro Chilmeadus in ea græca verba, καὶ ἐνηνθρώπησε, φησὶ, τῷ ,εφ' ἔτει., (quæ ad verbum valent, & *humanam naturam assumsit*, inquit, *anno* IↃↃ. D.) hæc adnotaverat: *Ubinam tandem hoc dicit Eusebius? certe in Chronicis suis ab Adamo ad Christum natum annos putat tantum VM. C. & IC: Si autem ita ut Auctor vult; calculum suum instituerct, ubi fuerit inter illum & Theophilum aliosque memoratos discrepantia?* Sed Hodius in Appendice ad Chilmeadi Notas: *Pagi* (inquit) 294. *l.* 7., ,βφλγ': *Corruptissime se habent & hic, & in sequentibus hac pagina numeri. Si recte se habent, quomodo a nostro Auctore discrepanunt Eusebii suppositii calculi, quem dicit annos ad Christum natum numerasse VM. D.? Non enim audiendus Chilmeadus, qui in Eusebiano esse mendum putavit. nam constat aliunde, Eu-*

 sebium

sebium istum quem designat Auctor, suppostitium, ad Christum natum posuisse annos V M. D. Deinde si ad Phalecum numerentur anni IIM. D. XXXIII., & ab eo ad Christum natum supputentur anni IIM. DCCCCLXVII., qui fuerit Phalecus, quod hic asseritur, temporis Christi futuri adventus dimidium? *Conferatur hic locus cum Hesychii fragmento, quod producitur cum variis lectionibus in* Prolegomenis, sect. 24. Conveniunt itaque in eo Fragmenta duo a Du-Cangio edita, Anastasii Quæst. Hervetianæ, & Malalas, ut ex Eusebio falso Christum natum statuant anno Mundi V M. & D. Alter occurrit locus apud Malalam, quo Eusebius, ut ego puto, perperam laudatur; habet enim, lib. II., pag. 63. edit. Oxon., de Sarug, qui fuit Abrahami proavus: *Temporibus autem, quæ superius dicta sunt, exstitit Seruchus, ex Japheti stirpe oriundus. Invexit hic cultum Idololatricum dogmatisque Hellenismi dicti auctor fuit: uti scriptis tradidit Eusebius Pamphili*,

li, καθὼς Εὐσέβιος Παμφίλου συνεγράψατο (*). *Majoribus enim ſuis qui imperatores aut duces in bello fuiſſent, quique magnum aliquod ſive virtutis ſive artis ſpecimen, memoratu dignum edidiſſent; maxime autem eis qui vi quadam occulta myſticum aliquod operati fuiſſent, ſtatuas honoris cauſſa erexerunt*: &c. Hæc eadem cum ſequentibus fere ad verbum habentur apud Cedrenum pag. 45. & ſeq., ed. Pariſ., ut notavit etiam Chilmeadus his verbis: *qui* (Cedrenus) *narrationis ſequentis plurima*, ὡς κατὰ λέξιν, *ex noſtro deſcripſit; niſi uterque ex aliquo tertio*. Ego quidem Malalam & Cedreno juniorem, & ex ipſo fortaſſis hæc deſcripſiſſe crediderim. ſed

 quæ-

(*) Xylander hæc eadem verba apud Cedrenum ita interpretatur, *ut Euſebius Pamphili F. ſcriptum reliquit*. At omnes perſuaſum habent, quod ſcripſit Hieronymus de Vir. Ill. cap. LXXXI., Euſebium *ob amicitiam Pamphili martyris, ab eo cognomen ſortitum eſſe*.

quæritur utrum ab Eusebio hæc de Sarug scripta fuerint? Primum itaque falsum omnino est (& nedum Eusebio, sed quovis vel imperitissimo scriptore indignum) Sarug ex Japheti, & non potius Semi stirpe progenitum, quod in Genesi manifestissime habetur: deinde hæc Hellenismi seu Idololatriæ origo a Sarug repetita nuspiam memoratur apud Syncellum, qui Eusebii sinceros libros Chronicos compilavit. Nam quamvis Scaliger in Græcis Reliquiis pag. 9. ex eodem Syncello recitans Eusebii Chronologiam a Noe ad Abrahamum secundum LXX., in Sarugo hæc habeat: Οὗτος πρῶτος ἤρξατο τοῦ Ἑλληνισμοῦ καὶ τοῦ δόγματος τῆς εἰδωλολατρείας, sc. *Hic primus initium dedit Hellenismo & Idololatrico dogmati*; apud Syncellum tamen ea non leguntur, atque adeo ab ipso Scaligero ex Cedreni loco, quem demum pag. 13. integrum exhibet, fuerunt avulsa. Demum, quod i-

pse

pſe Scaliger monuit ad laudatum Cedreni locum, hæc de Sarug ab Epiphanio tradita fuiſſe conſtat; non quidem, ut ipſe ibidem opinatur, *ſequuto ſine dubio Euſebium*, cum nec eum laudet & traditioni id potius acceptum referat: ὡς, inquit, ἡ ἐλθοῦσα εἰς ἡμᾶς γνῶσις περιέχει, *ut continet quæ ad nos pervenit notitia*, ſive, ut Petavius eſt interpretatus, *quemadmodum a majoribus accepimus*. Itaque hæc videntur omnino Euſebio abjudicanda, quæ ab Epiphanio primum ſcriptis tradita, a recentioribus poſtea interpolata fuerunt: neque enim ille ipſum Sarug Idololatriæ repertorem & magiſtrum dixit, ſed ejuſdem tantum temporibus originem habuiſſe Idololatriam, eamque non ſtatim proceſſiſſe ad ſtatuas erigendas colendaſque tradidit. Verba ejus ſunt, ex Petavii interpretatione, lib. I. adverſ. Hæreſ. num. VI.: *Sed iis omiſſis Phalec Rhagam genuit, hujus filius Seruch fuit, quod nomen provocationem ſignificat*, τὸν ἐρ-

 μηνευ-

μηνευόμενον ἐρεθισμόν (*). *Hoc vero tempore*

(*) Scribitur hebraice hoc nomen שרוג, quod *implicatus*, *perplexus* vertendum foret, non, ut aliqui, *propago*, ſeu ramus, qui hebraice eſt שריג. *Et quoniam quæ hujuſmodi ſunt*, inquſt Petavius in Not. ad Epiph., *hoc eſt*, *implicata & perplexa*, *tricis ſuis* ἐρεθίζειν, provocare & irritare *ſolent*; *inde fortaſſe* שרוג τὸ ἐρεθίζειν, vel ἐρεθισμὸς *dicitur ex reconditiore lingua*. Sed magis veriſimile viddtur, quod ſtatim ſubdit: *Sin eſt ut* סרוח *LXX. in hebræo repererint*, *qui* Σερούχ *ſcripſerunt*, *belliſſime ad hunc modum quadrabit*. סרח *Chaldaiſ & Rabbinis eſt* perverſe agere. *Sam. II. cap. XIX. de Semei*, די סרח, perverſe egit, rebellavit: *hinc* סורחן iniquitas, peccatum, rebellio; סורחין rebellis. *Vide Heliam in Thisbi. indidemque* Σερούχ, *hoc eſt a* rebellione, contumacia & ἐρεθισμῷ. Omnino vero probare non poſſum quod paullo infra addit: *Eſt illa vero Epiphanii interpretatio longe probabilior*, *quam quæ apud Hier. lib. de Nom. Heb. legitur*, *ut ſit* corrigia, vel perfectus: *nam* שרוך, *non* שרוג *corrigiam ſonat*: *unde* Seruc Σερούχ, *non* Setug *legendum eſſet*: *quamquam littera Caph in fine cum Raphe aſpirate pronuntiatur*: *ideo græce* Σερούχ. *An ita in hebræo legerit Hieronymus*, *an* LXX. *Seniorcs*, *divinare non libet*.

pore Idololatriæ inter homines, ac gen-
 tilium

---

bet. *Alterum glossema, quod addit Hier.*, *nempe* perfectus, *non capio, neque ad rem pertinere puto*. Hæc ille, cui succinit Vallarsius in Notis ad lib. de Nom. Hebr. *Alterum glossema*, sive perfectus, *in mendo cubare existimo ex compendio litterarum in antiquis libris nato, & vero legi malim* profectus: *in græco enim Origenis Lexico* Σερούχ, ἀπάρτημα *vertitur*, ἀπάρτημα *vero interpretamur* digressionem in longius *seu* deductionem: *vid. quæ ibi adnotamus*. Sed contra utrumque id primum statuo, hebraicorum nominum etymologias a Philone primum collectas & a Hieronymo latinitate donatas, tum plerasque quæ apud Epiphanium aliosque antiquos occurrunt, non semper respondere ipsis hebraicis vocibus, quod eas vel ab Hebræis hominibus eatenus habuerint græce tantum scientes, qualem fuisse volunt & Philonem Judæum quidem, sed Alexandrinum; vel ex aliquantula notitia quam sibimet comparaverant linguæ hebrææ ejus temporis, scil. ex Syriacæ Chaldaicæque mixtura corruptæ (qua ratione idem Philo scripsit Mosem Chaldaice scripsisse), ipsi exculpserint: itaque cum, ex. gr., quæreretur quid Σερούχ significaret, primum non adverterunt in hebræo fonte שרוג scriptum esse cum G in fine: secundo cum ea vox hebraice variis modis scribi possit, variasque

pro-

tilium superstitionis initium est factum, quemadmodum a majoribus accepimus. tametsi nondum ad simulacra cælatosque lapides aut ligna, aut argenteas aureasque statuas alteriusque materiæ superstitiosus ille cultus adhæserat; &c. Notavit hanc secundam discrepantiam

---

proinde suscipere significationes, alius a Chaldaico סרח eam derivavit & interpretatus est ἐρεθισμὸν, seu *irritationem*, alii a שרוך, & *corrigiam* seu *lorum* reddidere, alii denique a שרק, & *perfectum* sunt interpretati: quod postremum miror non vidisse Petavium; nec Vallarsium. Quod autem hic mendum in voce *perfectus* sibi videre visus est, ac ejus vice *profectum* legere maluit; viderit ipse qui suam hanc vocis ἀπάρτημα explicationem defendat: certum tamen est *perfectus* esse veram lectionem, ut ex eodem S. Hieronymo *de Nominibus apud Lucam* agente col. 96. confirmatur: *Seruch*, inquit, *lorum sive corrigia, vel dependens, sive perfectio*. nec prorsus repugnat vocis ἀπάρτημα significatio, quin *perfectus*, vel *perfectio* latine dicta sit: est enim ἀπαρτίζω *perficio*, & ἀπαρτισμὸς *perfectio*: adde, quod in Cod. Vaticano semel & iterum legi ἀπάρτιμα ipse Vallarsius monet, quod pro ἀπάρτισμα vel ἀπαρτία scriptum fortasse fuerit.

tiam Petavius in Nota ad illud, καὶ ἤρξατο εἰς ἀνθρώπους: *Hausit hæc*, inquit, *ex Eusebii Chronico* (sequitur nimirum Scaligerum, quem tamen, ut alias fecit, castigare debuerat) *quæ in Græca editione Scaligeriana leguntur pag. 13. Sed ibi Japheti, non Semi filius Seruch dicitur, ut etiam apud Suidam in vocabulo* Σερούχ, *ubi eadem fere declarantur. Quin & illud, contra atque Eusebius* (Cedrenum intellige) *scripsit, ab Epiphanio subjungitur: non ætate Seruch lapides ligneaque simulacra, aut aurea argenteave fabricata, sed in picturis & coloribus omnem, ut Tertullianus loquitur, Idololatriæ paraturam constitisse. Eusebius vero:* Αὐτὸς γὰρ, *inquit*, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, &c. Denique ipse hanc apertam discrepantiam in concordiam redigere conatur: adeo persuasus erat Eusebium ita sensisse, ut in Scaligerianis Collectaneis Cedreni verbis scribens perperam inducitur. Verum enimvero eam fuisse propriam Epiphanii sententiam ex eo etiam ap-

patet,

patet, quod idem tum citato libro, tum alibi passim hos constituerit primus omnium religionis & sectarum progressus, ut *Barbarismum* ab orbis initio ad diluvium invaluisse dicat; inde ad ortum Sarug *Scythismum*; a Sarug deinceps *Hellenismum*, quem *Paganitatem* cum S. Philastrio dicere possumus: tum *Abrahamiticorum* ab Abrahamo secta, exinde *Judaismus* ab anno Abrahami XCIX. Quæ sane ab eo ex Paulli ad Rom. I. 14. & ad Coloss. III. 11. ducta fuerunt, sed nulla probabili ratione, nec antiquiori ullo ipsi præeunte: nam quamvis in *Quæstionibus ad Orthodoxos* sub Justini martyris nomine vulgatis mentio fiat Hellenismi & Judaismi, consentiunt tamen eruditi, eum librum falso adscriptum Justino, multoque recentiorem esse. Porro alius occurrit apud Cedrenum locus (*), quo laudatur Eusebii Chronicum,

(*) Scaliger Cedreni verba inseruit Eusebii græcis Collectaneis pag. 25.

nicum, sed qui mihi admodum suspectus est. Habentur nimirum hæc ibi pag. 43. ex Xylandri interpretatione: *Ex Abrahamo & Chetura sex anus est natus, pater Dadami* (leg. *Dadani*) *Dadamus Rhagam* (leg. *Raguelem*; gr. Ραγουὴλ) *Jothorem & Jobabum genuit* (in græco textu est Ἰοθὼρ, ὁ καὶ Ἰωβάβ, *Jothorem qui & Jobabus*). *Jothoris filia fuit Sepphora, quam Moses duxit, ut Demetrius narrat, & in Chronicis Eusebius refert* (gr. ὡς φάσκει καὶ Εὐσέβιος ἐν τῷ Χρονικῷ, *ut & Eusebius in Chronico refert*). *Septimus ab Abrahamo fuit serie generis Moses, Sepphora sexta*. Hæc eadem leguntur in Chronico Pasch. pag. 64., non expressis tamen Demetrii & Eusebii nominibus: ad quem locum observandum etiam est, latinam quidem versionem habere, fere ut apud Cedrenum, *ex Dadam nascitur Rhaguel, Jothor, & Jacob*, in græco tamen textu paullo aliter: *Ex Dadan nascitur Raguel, ex Raguel nascitur Jothor & Jacob*; seu, ut apud Ce-

dre-

drenum, *Jobab* : quæ sane lectio omnino est recipienda, ut Sepphora ab Abrahamo *sexta* jure dici possit: præterea, *Raguel*, Num. X. 29. dicitur pater *Hobabi cognati*, seu potius *soceri Mosis*, heb. חתן (uti dicitur etiam Jud. IV. 11.); *Hobabum* autem Mosis socerum eumdem esse ac Jethro liquet ex cap. III. Exod. & aliis multis locis: itaque cum Exodi II. 18. Raguel dicitur Sepphoræ pater, ex usu linguæ hebraicæ *pater* pro *avo* ponitur; quamquam Joseph Antiq. lib. II. cap. 2. atque alii, Raguelem eumdem esse volunt ac Jethro, seu *Hobabum*. Ceterum Sepphoræ genealogiam ex Eusebii Chronico sumtam non fuisse arguo, quod neque in latino Chronico, neque apud Syncellum ejus vestigium ullum habeatur; neque tamen propterea eam Eusebio prorsus abjudico, quem in Præp. Euang. lib. IX. cap. XIX. locum Demetrii retulisse video his verbis, ex versione Vigeri: *Demetrius autem & hominis Ægyptii cædem &*
susce-

susceptæ a Mose cum eo a quo factis sugillatus est, altercationis exitum eumdem in modum quo Sacra Historia commemorat: quippe Mosem cum se se apud Madianitas fuga recepisset, Jothoris filiam uxorem duxisse, nomine Sepphoram, quo ex nomine (*) *eam ex Chetturæ nepotibus & Abrahami*

(*) Non assequutus est Interpres Eusebii textum, cum ὅσα στοχάζεσθαι ἀπὸ τῶν ὀνομάτων reddidit, *quo ex nomine* &c. Optime Georgius Trapezuntius sententiam integram his expressit verbis: *quam* (Sepphoram) *conjectura a nominibus capta ex Abraham genus traxisse affirmat*. Respexit autem Demetrius in hac Sepphoræ genealogia texenda ad ea quæ Genes. XXV. habentur de Abrahami ex Cetura posteris: nam ibi primum *Jexan*, seu Jecsan, aliis Jezan, habetur secundo loco in numero filiorum Ceturæ; tum ex Jexan natus perhibetur *Dadan*; postremo ex Dadan natus dicitur, primo loco *Raguel* in aliquibus MSS. græcis (vide edit. Græc. τῶν LXX. a Lamberto *Bos* curatam), ut in Alexandrino & Cottoniano, nec non in Aldi editione, qui tamen nec in hebræo fonte, nec in ceteris græcis codicibus comparet. Hunc porro Raguel eumdem esse conjecit Demetrius cum illo qui Exodi cap. II. nomi-

drenum, *Jobab* :! quæ sane lectio omnino est recipienda, ut Sepphora ab Abrahamo *sexta* jure dici possit: præterea, *Raguel*, Num. X. 29. dicitur pater *Hobabi cognati*, seu potius *soceri Mosis*, heb. חֹתֵן (uti dicitur etiam Jud. IV. 11.); *Hobabum* autem Mosis socerum eumdem esse ac Jethro, liquet ex cap. III. Exod. & aliis multis locis: itaque cum Exodi II. 18. Raguel dicitur Sepphoræ pater, ex usu linguæ hebraicæ *pater* pro *avo* ponitur; quamquam Joseph Antiq. lib. II. cap. 2. atque alii, Raguelem eumdem esse volunt ac Jethro, seu *Hobabum*. Ceterum Sepphoræ genealogiam ex Eusebii Chronico sumtam non fuisse arguo, quod neque in latino Chronico, neque apud Syncellum ejus vestigium ullum habeatur; neque tamen propterea eam Eusebio prorsus abjudico, quem in Præp. Euang. lib. IX. cap. XIX. locum Demetrii retulisse video his verbis, ex versione Vigeri: *Demetrius autem & hominis Ægyptii cædem &*
susce-

susceptæ a Mose cum eo a quo facti sugillatus est, altercationis exitum eumdem in modum quo sacra Historia, commemorat: quippe Mosem cum se se apud Madianitas fuga recepisset, Jothoris filiam uxorem duxisse, nomine Sepphoram, quo ex nomine (*) *eam ex Chetturæ nepotibus & Abrahami*

(*) Non assequutus est Interpres Eusebii textum, cum ἴσα στοχάζεσθαι ἀπὸ τῶν ὀνομάτων reddidit, *quo ex nomine* &c. Optime Georgius Trapezuntius sententiam integram his expressit verbis: *quam* (Sepphoram) *conjectura a nominibus capta ex Abraham genus traxisse affirmat*. Respexit autem Demetrius in hac Sepphoræ genealogia texenda ad ea quæ Genes. XXV. habentur de Abrahami ex Cetura posteris: nam ibi primum *Jexan*, seu Jecsan, aliis Jezan, habetur secundo loco in numero filiorum Ceturæ; tum ex Jexan natus perhibetur *Dadan*; postremo ex Dadan natus dicitur primo loco *Raguel* in aliquibus MSS. græcis (vide edit. Græc. τῶν LXX. a Lamberto *Bos* curatam), ut in Alexandrino & Cottoniano, nec non in Aldi editione, qui tamen nec in hebræo fonte, nec in ceteris græcis codicibus comparet. Hunc porro Raguel eumdem esse conjecit Demetrius cum illo qui Exodi cap. II.

nomi-

hami genere satam esse conjiciat; Abrahamum enim Jexanem ex Chettura suscepisse, ab Jexane vero Dadanem, ab hoc Raguelem, a Raguele Jothorem, atque *Ababum* (ita & in græco textu, Ἰοθόρ καὶ Ἀβὰβ : sed legendum, ut apud Cedrenum, Ἰοθόρ ὁ καὶ Ἀβὰβ, *Jothorem, qui* alio nomine *Abab* dicebatur) *procreatos fuisse; postremo Jothoris filiam hanc exstitisse, quam secum matrimonio Moses copulavit. Et vero ætatum seriem haud inepte huic suspicioni quadrare: nam Mosem quidem septimum, Sepphoram vero sextam post Abrahamum numerari. Isaaco enim, ex quo Moses originem duxit, jam secum habente* (excidisse omnino videtur in græco textu *Rebeccæ* nomen, adeo ut legendum sit, συνοικοῦντος γὰρ ἤδη τῇ Ῥεβέκκῃ τοῦ Ἰσαὰκ : supple ergo & in versione, *Rebeccam*), *Abraamum*

nominatur, ex quo natus demum fuerit Jethro qui & *Abab*, sive *Hobabus*, de quibus supra actum est. Ceterum Sepphoram ex Ceturæ posteris progenitam, aliis conjecturis evincunt sacri Interpretes, quos videsis.

mum annos natum quadraginta supra centum Chetturam duxisse, & Isaarum (ita & in græco textu, Ἰσαὰρ, tum heic, tum paullo infra; sed omnino legendum, ut supra, Ἰσξάρ, *Isaari*. Ceturæ filii nusquam mentio, Jecsan contra est, qui secundo loco Genes. XXV. recensetur) *ex ea secundo loco suscepisse, cum Isaacum anno centesimo genuisset; sicque annis circiter duobus & quadraginta serius Isaarum illum esse natum, cujus ex stirpe Sepphora prodiisset: caussæ igitur nihil esse, quamobrem Moses & Sepphora eodem tempore vivere non potuerint. Ceterum eos Madiam urbem incoluisse, quæ ab uno ex Abrahami liberis nomen acceperit. Liberos enim suos Orientem versus domicilii quærendi caussa Abrahamum dimisisse, ac propterea Mosi deinceps ad Aserothen exprobratum ab Aarone ac Maria fuisse, quod Æthiopissam mulierem in uxorem duxisset*. Hactenus Eusebius Demetrii vestigiis insistens. itaque factum fortasse fuerit, ut hunc Præp. Euang. locum quispiam pri-

primum usurpans; Demetrium & Eusebium citaverit, tum deinde aut Cedrenus ex Chronico sumtum dixerit, aut illo antiquior Pseudo-Eusebiani Chronici consarcinator (ut Hodius censuit) huic chronico inseruerit. *Sed* hoc nimirum est quod & a nobis esset modo statuendum: nimirum utrum exstiterit, nec ne, aliquando Pseudo-Eusebianum Chronicum. Nihil tamen certi in hac tanta quæstione definire ausim: nam quamvis ex supra allatis textibus evidentissime constet, Eusebio ejusque Chronico ea adscribi quæ omnino absona & discordantia sint; id tamen multis aliis de caussis contigisse potuit, absque eo quod Pseudepigraphum Eusebii Chronicum cum Hodio confingamus. Nempe, quoniam recentiores illi Græci Chronographi alius alium exscribere solent absque ullo delectu atque examine, adeo ut fabulis & anachronismis usque ad nauseam scateant; potuit quidam per errorem Eusebium

citare pro Africano, puta, aut alio quopiam, eumque ceteri deinde sequuti sint. Fuerit etiam fortasse Collectio aliqua ex variis Chronicis consarcinata pingui minerva (ut ea est, quam ex Africano, Eusebio & aliis compactam ab *homine barbaro collectore & interprete ineptissimo* ut Scaligeri verbis utar, qui ex ea excerpta quaeda dedit, integram demum vulgavit Canisius in suis Antiquis Lection.) quae quidem sub Eusebii potissimum nomine, cujus nimirum prae ceteris spectata eruditio & celebrior fama esset, exscripta & laudata deinde fuerit a Cedreno, Malala & aliis. Utcumque tamen res se habuerit, ex his, quae toto hoc Paragrapho observavimus, id demum concludendum est, ab eo qui sinceras Eusebiani Operis reliquias colligere velit, non temere quaecumque apud recentiores Graecos sub ejus nomine laudantur, esse recipienda.

§. VI. *Scaliger græcum Eusebii textum se restituisse falso jactat. ejus commenta obiter proponuntur & rejiciuntur.*

QUamvis vero statui nequeat exstitisse olim græcum Chronicum Eusebii supposititium, illud tamen certum est exstare nunc, quale nimirum a Josepho Scaligero consarcinatum fuit. Viderunt jamdiu plerique viri docti hoc insigne ejus facinus, qui carbones pro *Thesauro temporum* nobis obtruserit, eamque fraudem, ut ab ea sibi quisque caveret, aliis indicarunt. non desunt tamen alii non pauci, qui ex Scaligeri editione Eusebium incaute laudant & in testimonium producunt. quod ne cui imposterum ita facile accidat, quantum in nobis erit, sedulo curabimus, sinceras, quotquot adhuc exstant, Eusebii reliquias ex priori libro aliquando edituri, quæ Scaligerianis opposita ejus arguant atque revin-

revincant imposturam. Interim videamus quo ipse suam *prætexit nomine culpam*. Primum id quasi certum sibi assumit, quod tamen nullis tabulis, nullo teste probat aut probare potest, Eusebium in priori illo libro Africanum fere totum exscripsisse, & in suum Opus comportasse: atque ita quidquid Africano ab antiquis adscribitur, id fere totum Eusebio vindicat. Ipsum audire præstat: *Unus tantum in præsentia succurrit Julius Africanus, & qui eum ipsis vestigiis ita sequitur, Eusebius Pamphili, ut totum ejus fere Chronicum in suum transcripserit*. hæc ex Prolegom. fere initio: tum in Notis in Græca Euseb. pag. 1. *Itaque in hoc, ut & in aliis fere omnibus, Eusebius Africanum sequitur, adeo ut Chronica Eusebii nihil aliud sint, quam τὸ ἐκοπικὸν Africani recoctum*. idemque centies repetit, quin tamen vel semel probet. Contra constat aliunde, ex Syncello præsertim, Eusebium in multis Africanum castigasse, & inter utriusque chronolo-

giam immanes fere semper intercedere discrepantias. Præterea ex Eusebii Prologo in Chronicum prioris libri materies & distributio aperte colligitur, cui tamen nihil simile habetur in Fragmentis aliquot Africani satis prolixis, quæ apud ipsum Eusebium & Syncellum adhuc exstant: quare statui potest, admodum probabile immo certum esse, Eusebium non recoxisse Africani Chronographiam. Pergit Scaliger, ut facti sui rationem aliquam reddat & incautis imponat; pergit, inquam, jam laudato loco scribere: *Quidam totum opus Eusebii totidem verbis in sua Chronica transfuderunt: in quibus duo Georgii monachi, alter syncellus Tarasii Patriarchæ, alter cognomento Cedrenus. Syncellus Tarasii..... universam Eusebii chronologiam sine ulla verborum immutatione in suum volumen transtulit. .... Ex eo omnia Eusebiana excerpsimus, quæ quidem deprehendere potuimus: quæ quamquam ne centesima quidem pars eorum esse videtur, quæ ab*

Euse-

Eusebio relicta sunt, aliquod tamen justum volumen explere possunt. Tum de Cedreno hæc ad institutum nostrum: *Denique totum Cedreni opus est stabulum quisquiliarum, & cento ex multis pannis, sordidis purpureis; malis bonis, integris laceris consutus. Ex ea farragine multa Eusebiana eruimus, quæ ex Georgio Syncello ille excerpserat, & præfato Eusebii nomine producit; multa etiam, quæ, quamquam tacito Eusebii nomine, manifesto Eusebiana constat esse tum ex Syncello, tum ex aliorum fragmentorum reliquiis. Non pauca præterea apud eumdem Cedrenum supersunt optimæ notæ analecta, quorum partem Eusebii; partem Africani esse non dubitamus: Sed ea, quod, quibus opinionis nostræ fidem faceremus, argumenta nobis desunt, maluimus intacta relinquere, quam incerta pro certis afferre*. Hæc ille initio Notarum in Græca Eusebii; qui rursus in Prolegom. circa finem: *Eam priorem* (Chronici) *partem ab Hierony-*

mo conversam fuisse superius indicavimus (de quo tamen a nobis actum est satis in I. Parte hujus Differt.), *cujus interpretationis nihil nobis reliquum fecit putidum antiquariorum fastidium, præter nuda regum & aliquot consulum nomina .... Nos itaque antequam græcas reliquias illius partis nanciscercmur, postquam ex prologo Canonis mentem ac propositum Eusebii assequuti essemus, historias, quæ ἐν χωρίῳ ἱστορικῷ Canonis exponuntur, colligentes καθ' ὁμάδας, aliquod corpus confecimus, quod propius a mente Eusebii abesse putabamus . Postquam autem illis reliquiis græcis potiti sumus, non aliter ab Eusebio dispositas fuisse animadvertimus, quam quomodo nos latina antea digesseramus . Itaque si non ipsum corpus, non omnino tamen dissimile ei quod ab auctore institutum fuit, exhibemus, ne hac parte claudicaret editio Latina . Græca autem, quæcumque nancisci potuimus, majori ex parte a Georgio Tarasii Patriarchæ Syncello*

cello habemus (*) : *quædam etiam a Chronologo innominato, beneficio viri numquam satis laudati Isaacii Casauboni, quos Fastos Siculos vocant* (Fasti hi sunt excerpta quædam ex Chronico Pasch.) : *neque pauca a Georgio Cedreno, qui multa Eusebiana in suum centonem inculcavit, non quidem ab Eusebio petita, sed a Georgio Syncello*. Hoc pacto Scaliger utriusque Eusebiani libri, tum latine tum græce a se partim interpolati, partim ex integro consarcinati, idoneam, ut ipse putat, rationem & probabilem caussam reddit: sed, ut omittamus quæ ad latinum utrumque librum & ad posteriorem græcum spectant, ejus commenta (quæ facile revinci possunt comparatione facta cum sinceris

(*) Scaliger Syncello *MS. usus est, & ex illo pleraque in Eusebium suum, minus licet emendata quandoque, ut notat Salmasius pag. 99. Epist., descripta derivavit*. Hæc Fabric. in Bibl. Græc., ubi de Syncello agit. Sunt tamen vicissim loci aliqui, qui contra apud Scaligerum emendatiores sunt quam apud Goarum, ut ipse comperi.

Pontaci & aliorum editionibus ad MSS. codd. exactis) quæ fides ipſi habenda ſit in græcis quæ congeſſit in priorem Chronici partem ſeu librum, potiſſimum videamus. Simulat ille, ut vidimus, ſe non pauca omittere, *ne certa pro certis afferat*: quaſi ea, quæ obtruſit ex Syncello, Chronico Paſchali & Cedreno, pura puta Euſebiana eſſent. Verum enimvero, ſi excipias loca quædam non ſane multa ex Syncello præſertim depromta, quorum Syncellus ipſe Euſebium auctorem aperte declarat; quæro undenam ſcire potuerit, cetera longe plura quæ ipſe undecumque corraſit, Euſebiana eſſe & ad ejus priorem librum ſpectare? Potuit ea Syncellus aut alius quiſpiam ex Clemente Alexandrino, ex Africano, ex Aniano & Panodoro, aliiſque bene multis chronologis, potuit ex ipſis antiquorum Hiſtoricorum fontibus mutuari, potuit denique proprio marte confingere, aut ſaltem interpolare: cur igitur hic omnia temere Euſebio tribuenda

ſtatuit? Nulla puto alia de cauſſa; quam ut ingens conflaret volumen, ſeque Euſebiani Operis reſtauratorem ac parentem alterum venditaret. Sed homo acutus & emunctæ adeo naris, qui tam multa Euſebiana olfecerit, quæ nullo ſane certo indicio ſe ejuſmodi eſſe produnt; nonnulla tamen prætermiſit & rejecit, quæ parentem ſuum Euſebium clamitant. Taceo textus mutilatos, aut quos ex diverſis ſcriptoribus, aut ex ejuſdem ſcriptoris locis diverſis coagmentavit: tum pleraque obtruſa ne indicato quidem ſcriptore, aut ſcriptoris loco, unde ea ſumſerit. poſtremo cenſoriam quamdam, ſeu dictatoriam potius in his poteſtatem ſibimet arrogavit, ut arbitratu ſuo cuncta diſponeret, aut inverteret. Peſſime proinde de Euſebio eſt meritus, cui tot alienos & adulterinos fetus ſuppoſuit: peſſime meritus eſt de ſuis lectoribus, quibus ſub Euſebii nomine obtruſit præfidenter quæ Euſebii non ſunt. quare, ſi quis

his

his studiis delectatur, nisi ea sagacitate polleat, ut internoscere possit sincera a suppostitiis, auctor ei fuerim, ut caveat sibi prorsus ab Eusebio Scaligeriano, ne ab illius lectione in transversum agatur. Sed de Scaligero hactenus, quoniam & alias sæpe a nobis & ab aliis multis ante nos de insigni hac ejus impostura est actum. Ferunt (*) ipsum, ut primum prodiit in lucem *Thesaurus* ille *temporum*, utpote qui ejus votis non responderet, statim de secunda & accuratiore editione adornanda cogitasse: sane quod reliquum ei fuit vitæ tempus, impendit potissimum huic operi. hinc vero factum, ut postea curante Alexandro Moro secunda editio auctior tertia parte Notarum prodierit. Verum non in Notis tantum, sed in Textu potissi-

mum

(*) Vide Vallarf. Præf. Tom. VIII. pag. XIII., & quæ ex Peirescii Vita a Gassendo scripta refert Clarifs. Maffejus Tom. II. pag. 245. Operis cui titulus: *Osservazioni Letterarie*.

mum ulcus latet, quod ille ne dum rescindere, sed ne tangere quidem, quantum ex ejus emendationibus arguitur, sibi proposuerat. Non defuerunt sane, ut dixi, eruditi viri, qui subinde Scaligeri alucinationes, commenta, suppositiones detexerunt: sed res adhuc est integra, eritque quoad verus Eusebius prodeat, scilicet expurgatus ab omnibus ipsi affictis alienis pannis. quod aliquando præstare, ut diximus, nobis in animo est.

§. VII. *Nova enuntiatur Eusebiani Operis editio, qua sinceræ tantum prioris libri reliquiæ exhibebuntur, tum latinum Chronicum emendatius quam antea & commodiori ordine digestum. qua occasione Vallarsii editio haud levi brachio excutitur, præsertim quod græca fragmenta spectat eidem substrata.*

ACcipe interim, Lector, a nobis delineati Operis specimen & imaginem quamdam. duabus omnino

no constabit libris seu partibus, quæ tamen mediocri singulæ volumine in forma *Quarti*, ut ajunt, comprehendentur. In prima exhibebimus primi libri Chronicorum Canonum quotquot supersunt germana & contestata Fragmenta græca ad MSS. Regiorum, de quibus supra, fidem emendata, notulisque criticis illustrata: in secunda alterum Eusebii librum, seu Canonem Chronicum, ex Hieronymi interpretatione, (rejectis quæ hactenus Prologum inter & Chronicum inserta fuerunt, putidis illis adsumentis, *Exordium libri*, & *Regum series*) & ipsum emendatiorem quam antea prodierit, & in commodiorem formam redactum. Quem enim non offendit & a legendo deterret illa linearum silva, illa spatiorum inanitas, sententiarum implicatio illa, aut interruptio: adeo ut non raro per labyrinthum quemdam tibi videaris incedere, quo ducaris in errorem *variarum ambage viarum*. Esto, ut MSS. codd. pleri-

que,

que, nedum impressi, ad eum modum digesti sint: esto etiam, ut Eusebius ipse ita fere opus suum disposuerit. quamquam in tanta librorum varietate & inter se discordantia vix prima ejus libri facies nobis superest; & si supersit, aut nullo modo, aut ægre admodum propter colorum varietatem, de qua Hieronymus in epistola ad Vincentium & Gallienum, typis exprimi posset. Sed quid plura? si hinc integrum & intactum exhibeatur Chronici corpus & materia, inde distributio & ordo planior & magis perspicuus ineatur, quisnam id ægre ferre debeat, aut jure reprehendere possit? Sed multa alia sunt, quæ ad Chronicum illustrandum inservire possunt. Primum græca aliquot fragmenta opportunis in locis subtexenda fuerint, quoties vel constiterit ab Eusebio esse, vel saltem ea Hieronymi interpretationi lucem impertiri, aut eamdem emendare videbuntur. In eo tamen aliam omnino in-

ire

ire viam placet, ac Vallarsius noster fecit, qui unicuique fere latinæ sententiæ, ne dicam voculæ, græca substravit ex Syncello, Chronico Paschali, Cedreno & nonnumquam ex ipsis Scaligerianis, ut ipse quidem ea vocare solet, Collectaneis descripta, ac pro Eusebianis obtrusa. Sed primum omnium audire præstat, quid de hac sua opera ipse judicet, lectoribusque polliceatur in Præf. Tom. VIII. pag. XX. *Græcum Eusebii contextum*, inquit, *jamdiu olim deperditum, ex variis variorum Auctorum, qui ex eo quædam in sua transtulerunt, laciniis sarcire propemodum ex integro, conquisitis undecumque locis genuinis, qui ne verbo quidem tenus abluderent, sed omnino iisdem quæ Eusebius perscripsit, contineri viderentur, hoc opus, hic labor improbus fuit. Maximam quidem Fragmentorum partem Georgius ille Syncellus, tum Paschalis, sive Alexandrini Chronici Auctor suppeditarunt; sed alia tamen apud alios investigare diligentissime necesse fuit,*

Cedre-

Cedrenum puta & Nicephorum, Theophanem & Jo. Malala, quorum volumina ad exiguam quamdam periocham expiscandam percurrimus saepe integra: ut eos modo taceam, quorum ipse olim testimonia Eusebius descripserat (nam Scaligeri Collectaneis bis terque ad summum conquievimus, ut ne quis vacaret documento aliquo locus) cetera tam diligenter, tamque fideliter expressa sunt, ut & pagina cujusque Auctoris, ad faciendam rei fidem, singulis testimoniis adnotetur. Et vero si nihil praeterea aliud praestitum a nobis esset in hoc exornando Chronico, esset tamen cur satis bene de Eusebio ejusque imprimis interprete Hieronymo meruisse consideremus. Hæc de se Vallarsius, satis magnifice & liberaliter; multo tamen secus de his sentire & dicere nos adigit veritatis amor, qua nihil potius nobis esse debet. Itaque primum asserimus, ex omnibus illis græcis lacinils vix fortasse decimam partem esse quæ propria Eusebii sit, aut Hieronymi interpretationi illustrandæ ali-

ire viam placet, ac Vallarsius noster fecit, qui unicuique fere latinæ sententiæ, ne dicam voculæ, græca substravit ex Syncello, Chronico Paschali, Cedreno & nonnumquam ex ipsis Scaligerianis, ut ipse quidem ea vocare solet, Collectaneis descripta, ac pro Eusebianis obtrusa. Sed primum omnium audire præstat, quid de hac sua opera ipse judicet, lectoribusque polliceatur in Præf. Tom. VIII. pag. XX. *Græcum Eusebii contextum*, inquit, *jamdiu olim deperditum, ex variis variorum Auctorum, qui ex eo quædam in sua transtulerunt, laciniis farcire propemodum ex integro, conquisitis undecumque locis genuinis, qui ne verbo quidem tenus abluderent, sed omnino iisdem quæ Eusebius perscripsit, contineri viderentur, hoc opus, hic labor improbus fuit. Maximam quidem Fragmentorum partem Georgius ille Syncellus, tum Paschalis, sive Alexandrini Chronici Auctor suppeditarunt; sed alia tamen apud alios investigare diligentissime necesse fuit,*

Cedre-

Cedrenum puta & Nicephorum, Theophanem & Jo. Malala, quorum volumina ad exiguam quamdam periocham expiscandam percurrimus sæpe integra: ut eos modo taceam, quorum ipse olim testimonia Eusebius descripserat (nam Scaligeri Collectaneis bis terque ad summum conquievimus, ut ne quis vacaret documento aliquo locus) cetera tam diligenter, tamque fideliter expressa sunt, ut & pagina cujusque Auctoris, ad faciendam rei fidem, singulis testimoniis adnotetur. Et vero si nihil præterea aliud præstitum a nobis esset in hoc exornando Chronico, esset tamen cur satis bene de Eusebio ejusque imprimis interprete Hieronymo meruisse consideremus. Hæc de se Vallarsius, satis magnifice & liberaliter; multo tamen secus de his sentire & dicere nos adigit veritatis amor, qua nihil potius nobis esse debet. Itaque primum asserimus, ex omnibus illis græcis lacinils vix fortasse decimam partem esse quæ propria Eusebii sit, aut Hieronymi interpretationi illustrandæ aliqua

qua ratione inservire possit, utpote ad Eusebii efformata sententiam, aliis tamen verbis expressa; reliqua proinde omnia, utpote quæ ad rem nihil prorsus faciant, suis quæque auctoribus esse restituenda. Secundo, in ipsis quæ afferuntur Fragmentis, ad quemcumque demum pertineant, non leves nec raræ occurrunt interpolationes, quas licet a Vallarsio bona fide inductas fuisse ultro concedamus, lectoribus tamen fucum facere manifestum est. Aliquot exemplis, quod dicimus, est modo confirmandum: quamquam obiter nonnulla in Notis ad Sulpicii Severi Sacram Historiam, & hac ipsa Dissertatione jam indicaverimus. Verum, ne longius exempla petere videamur, quod primum occurrit, inconsulto arripiamus. *Regum Seriei*, ex. gr., opponuntur laterculi regum ex Syncello depromti: *Græcum laterculum*, scribit ipse in Nota E. col. 50., *e Syncello descripsimus, qui a pag. 77. Editionis Venetæ*

tæ sumto initio, hanc regum seriem .... pro sui operis instituto refert .... Porro nec dubium videtur, eadem hæc esse quæ Eusebius pridem digessit, cum latinæ interpretationi perpetuo bene consentiant, ac, sicubi tandem uno alterove loco vel in nominis scriptura, vel in annorum numero dissident, conciliari non incommode possint; & nunc latina lectio ex græco, nunc etiam ex latino græca restitui. Hæc ibi peculiariter de Assyriorum regum catalogo, quem quidem unice nobis excutiendum sumimus. Sed primum, si *Series ipsa Regum* non est Eusebii, ut hujus Differt. Part.I. potissimum §. XIV. & XVI. ostendimus, inutile fuerit eam cum græcis Syncelli comparare. At, inquies, hæ eædem *Regum series* habentur omnes in Chronico suo loco atque ordine dispositæ, singulisque ibidem regibus græca fragmenta fuerunt apposita. Conferamus itaque græca cum latinis, tum græca ipsa inter se, prout illa tum apud Syncellum, tum in *Regum serie*, tum in ipso Chronico Vallarsia-

 no

no habentur : videbimus quam multæ ubique offendantur variationes & discrepantiæ, Primum Syncellus pag. 96. Ed. Par., quæ ex parte convenit cum pag. 77. Ed. Ven., primum omnium regum Assyriorum nominat Belum. Ἀσσυρίων πρῶτος ἐβασίλευσε Βῆλος ἔτη νέ. τοῦ δὲ κόσμου ἦν ἔτος ,γσιϛ΄. *Assyriorum primus regnavit Belus annis LV., ab anno mundi IIIM.CCXVI.* Jam diximus §. I. hujus III. Part. pag. 284. seriem regum Assyriorum in Chronico esse imperfectam, quam in priori libro ab hoc Belo Eusebius ipse cœperat : itaque aliunde quam ex *Serie* illa quam latine habemus, aut ex Chronico, Syncellus Belum ejusque regni annos duxit. Sequitur ibidem : Ἀσσυρίων β΄ ἐβασίλευσε Νῖνος ἔτη νβ΄. τοῦ δὲ κόσμου ἦν ἔτος ,γσοα΄. *Assyriorum II. regnavit Ninus annis LII., ab anno Mundi IIIM. CCLXXI.* Hinc itaque Vallarsius sumserit quæ *Seriei regum* apposuit : Νῖνος ἔτη νβ΄: *Ninus annis LII.* sed qui probare poterit hæc esse ab Eusebio, & singil-

latini ex hac *Serie* fumta; quam latino habemus? Ninum regem Affyriorum Belique filium fere omnes prædicant hiftoriæ; annofque ipfius regno LII. plerique omnes tribuunt: nulla ergo cauffa erat cur Eufebio potius quam Africano aut cuilibet Scriptori chronologo ea adferiberentur. Sed ad Chronicum convertamur: ibi col. 87. hoc aliud producitur Fragmentum: Πρῶτος ἦρξε Νῖνος ἁπάσης τῆς Ἀσίας πλὴν Ἰνδῶν, ἔτεσι νβ'. Quæ quidem fatis bene refpondet Hieronymi interpretationi, fed cum ex Syncell. pag. 51. Ed. Ven. fumta dicantur, apparet laudato loco, qui quidem in ed. Parif. habetur pag. 64., non Eufebii, fed Africani prolixum textum productum a Syncello: Poft Ninum regnaffe *Semiramin annis XLII.* in comperto apud omnes eft. itaque & Syncellus in Affyriorum regum ferie pofuit: Ἀσσυρίων γ' ἐβασίλευσε Σεμίραμις ἔτη μβ'. τοῦ δὲ κόσμου ἦν ἔτος ͵γτκγ'. *Affyriorum III. regnavit Semiramis annis XLII., ab anno Mundi IIIM.*

 CCC.

CCC. *XXIII.* Vallarſius tamen col. 91. hæc deſcribens, Semiramin non *tertiam*, ſed ſecundam ponit in Aſſyriorum regum ſerie: Ἀσσυρίων β΄ ἐβασίλευσε Σεμίραμις ἔτη μβ΄. *Sync. p.* 77.; atque ita Ninyas III. pro IV., Arius IV. pro V., & ſic deinceps: quæ non ferenda ſane eſt Syncelliani textus interpolatio. Sed minora hæc condonemus. In *Regum ſerie* decimo loco habetur *Altadas* annis XXXII.: apponit his Vallarſius, Ἀλτάδας ἔτη λβ΄: in nota tamen F. monet; *Hoc primum* Ἀλτάδας *nomen, tum ipſum regni numerum* 32., *ex latino fecimus: in Græco enim Syncelli tam ex Goari, quam ex Sculigeri editione, eſt* Σίθως ἔτη ν΄, Sethus annis 50., *quem tamen ajunt perperam a librariis ſubſtitutum*. At quinam *ajunt*, Vallarſi, corruptum a librariis Syncelli locum? non certe tu, qui col. 148., in qua cum ex Syncello hæc cites, Ἀσσυρίων ι΄ (pro ιά) Ἀλτάδας ἔτη νβ΄: ſcilicet, *Aſſyriorum X. Altadas annis LII.* (niſi tamen per errorem impreſſum fuerit

νβ΄

νβ' pro λβ', ſcilicet XXXII.) hæc demum notas: *Pro Altada penes Syncellum, qui Africanum ſequutus eſt, Σεθως legitur, cui & anni quinquaginta regni adſcribuntur,* &c. Sed ſi Africanum ſequutus eſt Syncellus, quid mirum ſi in aliquibus ab Euſebio diſcordet? at perperam huic a te tribuuntur quæ ille ex Africano habuerit. Sed rurſus ſcire velim, unde noſti Syncellum hoc loco ſequutum eſſe Africanum? Dicam ego, quod res eſt. Scaligerum utraque tua de *Altada* rege Nota deſcripſiſti, ſed non ipſum ſatis intellexiſti. Hæc nimirum ille habet ad annum Abrahami CCCXVI. in Animadv. pag. 23. — Altadas) *Excerpta barbaro-latina* Altallus: *Africanus* Σεθως & *tamen cum hos reges Aſſyriorum ab Africano deſumſerit Euſebius, ut non ſolum Georgius teſtis eſt, ſed etiam res ipſa indicat, mirum unde illud nomen* (ſc. Altadas) *expiſcatus ſit. Putamus* Σεθως *perperam a librariis ſubſtitutum*. Verum poſtrema hæc verba

fecundis curis addita fuerunt (ut ex lineolis in margine expressis colligitur, juxta quidem Typographi monitum Animadv. pag. 2.) quæ sane præcedentibus directe opponuntur; neque enim quo tempore scripsit Scaliger *Sethum* ex Africano esse; & mirari se unde *Altadas* habuerit Eusebius, poterat statim addere Σέθως a librariis perperam substitutum. Itaque cum hoc postremum scripsis ille, irrita esse voluit quæ antea consueta confidentia pronuntiaverat; nimirum *Sethum* venire ab Africano: quod quidem unice ex falsa illa pendet hypothesi, qua statuit ex Africano in Eusebium, ex Eusebio in Syncellum derivata omnia quæ ad priscam historiam pertinent. ita nimirum de universo Assyriorum regum catalogo pronuntiaverat in Notis ad Græca Eusebii pag. 413. *Quod non solum Dynastias Africani, sed etiam Regum Assyriorum successionem quatruor regibus mutilaverit, in Notis ad Canonem Eusebianum ostendimus: quum*

tamen ita omnia ab Africano mutuetur, ut vix fere unquam a verbis ejus discedat. Sed quoniam his Vallarsius non advertit animum, pugnantia secum junxit, ex Scaligeri omnia penu depromta. Satius itaque fuerit *Sethum* Syncello, Eusebio autem *Altadam* relinquere: & id demum concludere, Syncellum ex Eusebio non descripsisse horum regum catalogum: quod ex iis quæ dicturi sumus, manifestius fiet. Quod autem ad annos Sethi spectat, λβ', seu *triginta duos*, itidem ut Altadæ Eusebius, ei tribuit Scaliger in Græcis Reliquiis (quidquid contra Vallarsius scribat) totidemque Goarus in margine & in latina interpretatione: qui quidem numerus aperte colligitur ex annis a mundi conditu apud Syncellum repetitis. nam cum ipse regnasse dicatur ab anno IIIM. DC. XXVIII., Mamythus vero ejus successor ab anno IIIM. DC. & LX.; medium intercedit spatium commodum annorum XXXII.: proinde

manifestum est mendum, quod in textu Syncelli apud Goarum quinquaginta ei anni tribuantur. Porro eadem ratione *Ascalio* sive *Bascaleoni* XIII. regi, anni XXII.; *Sphæro* XIV. regi, XXVIII. sunt cum eodem Goaro tribuendi, quamvis in græco textu apud Scaligerum & Goarum priori XXVIII., posteriori XXII. ordine inverso adfigantur. Neutra tamen lectio cum *Serie Regum* aut Chronico plane convenit, quum ibidem illi xxx. annos, huic xx. datos appareat. Videamus tamen quid de his notaverit Vallarsius, qui col. 50. Nota G. hæc habet: *Vitiose apud Syncellum tum* Ἀσχάλιος (*cum* Βασχάλεων *visum est legi. Latini melioris notæ libri* Mancaleum, *aut* Manchaleum *vocant, ad quorum propius est fidem, quod rescripsimus* Μασχαλεών: *nam M. & B. literas sæpissime Græculi librarii permutant.* ' *Huic porro tribuit Syncellus annos* κη', 28., *& subsequenti proxime Sphæro* κβ', 22.; *duos scilicet quos priori demit, alteri largitur: qua* demum

demum summa cum Eusebii rationibus consentit. Refigere autem numeros ad latinum exemplar non ausi sumus, sive hoc, sive aliis, qui infra occurrunt, locis, quod non usque adeo compertum sit, e cujus stet partibus verior lectio. Laudandum sane esset hoc Vallarsii propositum de non refigendis græcis ad latinum exemplar Eusebii, si quidem illud perpetuo servasset: quis tamen non miretur, quum statim inveniat col. 159. in Græcis Fragmentis relatum: Ἀσσυρίων ιβʹ (pro ιγʹ; quæ prima & perpetua in ceteris regibus Assyriis interpolatio pendet ex iis quæ supra diximus, ubi de Semirami) ἐβασίλευσεν Ἀσχάλιος (non heic Μασχαλεὼν, ut ad *Regum seriem*, refixit: optime factum) ἔτη λʹ. *Sync. pag.* 98.: tum col. 167. Ἀσσυρίων ιγʹ (lege ιδʹ) ἐβασίλευσεν Σφαῖρος ἔτη κʹ. *Ex Sync. pag.* 98.? Sin vero caussam utriusque mutationis requiras, habes eam expressam in Nota A. hoc ipso loco: *Notatum quoque superius*, inquit, *huic annos viginti duos a Syn-*

cello

cello juxta Africanum (sequitur nimirum & hoc loco Scaligerum scribentem Animadv. pag. 25. — Sphærus annos XX.; *Totidem annos excerpta Barbarolatina, sed Græca Africani* κβ') *tribui, cui numero β' notam, ut cum Eusebio consentirent Græca, nos demimus*. Quod hoc loco ingenue fassus est Vallarsius, de reliquis omnibus intelligendum esse voluit, in quibus numeros, quod sæpius ab eo factum, mutavit. *Græca cum Eusebio consentire* par erat, ut ex ipso sumtæ apparerent; itaque quoties discordabant, in promtu fuit remedium, quo in concordiam revocarentur. Post Sphærum sequitur Mamythus, post hunc in *Serie regum* & in Chronico Sparetus, sive, ut apud Syncellum, Σπάρθαιος, *Sparthæus*, cui in Chronico & *Serie* anni XL., apud Syncellum duo insuper adtribuuntur. Quid Vallarsius? Ad *Regum seriem* appofuit ex fide græci codicis Σπαρθαῖος μβ', nihil tamen de discrepantia notans; in Chronico vero col. 175. in

in Fragm. Gr. Ἀσσυρίων ιϛ´ ἐβασίλευσεν Σπάρεθος ἔτη μ´. *Scaliger ex Sync. pag.* 98., statimque in Not. A: *Syncello hic dicitur* Σπαρθαῖος, *apud quem & locum decimum sextum & annos obtinet quadraginta duos*. Quæro heic a te primum, cur itaque Syncellum fideliter non expressisti, aut quid opus erat Syncellum ex Scaligero repetere, quasi ipsum præ manibus non habeamus? sed fortasse Scaliger manuscripto codice usus secus legit, ac in Goari editione fuit expressum: ita nimirum est. In Scaligeri siquidem Græcis pag. 23. ita habetur: Ἀσσυρίων ιϛ´ Σπαρθέως ἔτη λ´ (non μ´, ut Vallarsius) tum in Animadv. pag. 26. col. 2. ⊖ Assyriorum Sparetus: — *Post* Sparethus; *Excerpta Africani Barbarolatina* Spareus; *Græca Africani* (Syncelli, intellige) Σπαρθέας. Non itaque apud Syncellum legerat Scaliger Σπάρεθος, neque huic ipse tribuit annos μ´, seu XL., sed λ´, sub quo tamen numero mendum latet; nam XLII. ipsi esse tribuendos, ex

mente

mente Syncelli, seu ex annis ab O. C. ductis colligitur; quum dicatur regnare cœpisse an. IIIM. DCC. LXX., & successorem habuisse *Ascatadem* an. IIIM. DCCC. XII. Hæc de Sparthæo. *Ascatadi*, quem ei proxime successisse diximus, in *Serie Regum* & Chronico *Ascades* nomen est; & XL. anni tribuuntur, at apud Syncellum duo minus: nihilominus Vallarsius in Fragm. græc. col. 187. expressit ἔτη μ', *anni XL*: sic *Lampridi* Syncellus XXX. omnino annos dat, quos tamen apud Vallars. col. 231. videas biennio auctos, ἔτη λβ': caussa manifesta est, ut vita cum Chronico Græca in concordiam, velint nolint, veniant. Tum *Sosarmo* Chronicum XIX. annos, Syncellus XXII.; at apud Vallarsium col. 263. nulla est discordia: nam pro κβ' legit ιθ'. In *Tautanis* annis nulla occurrit discrepantia: est tamen aliquid quod a nobis silentio minime prætereundum sit. Habetur nimirum de eo in Chronico: *sub ipso Tautane rege Assy-*

riorum Troja capta est : huic confirmandæ sententiæ inserviunt Græca Syncelli, qui de eodem habet : ἐπὶ τούτου Ἴλιον Εὐσέβιος φησὶν ἁλῶναι : *hoc regnante, Eusebius ait, captum fuisse Ilium*. Hoc nimirum ex iis Fragmentis est, quibus Chronicum latinum illustrari & confirmari possit, omissis ceteris quæ ad illud minime spectant. Sane quum hoc loco atque aliis sane multis Syncellus laudet Eusebium (laudat autem quod ab eo dissentiat) satis indicat se minime sibi proposuisse eum in omnibus exscribere & sequi. Post *Tautanem*, seu Tautamum, sequitur apud Syncellum, *XXVIII. rex Teutæus annis XLIV.*, sed a Vallarsio col. 295. ad Chronici normam ponuntur tantum ἔτη μ', *annis XL.* Sequuntur apud Syncellum, *XXIX. rex Arabelus annis XLII.* ; *XXX. rex Chalaus annis XLV.* ; *XXXI. rex Anebos annis XXXVIII.* ; *XXXII. rex Babius annis XXXVII.* : at hi quatuor reges apud Eusebium prorsus non habentur, quo nomine apud Syn-

Syncellum reprehenditur. Probe vidit & notavit hanc insignem, immo enormem inter Eusebium & Syncellum discordiam Vallarsius, qui tamen col. 29. Nota B. *Africanum inter & Eusebium* eam intercessisse supponit ex Scaligeriana hypothesi: neque tamen adhuc vidit Syncellum non sibi proposuisse Eusebium sequi & exscribere in Assyriorum regum serie. Sed, ut eos, qui reliqui adhuc sunt, carptim percurramus, *Ophrataeus*, XXXVIII. apud Syncellum, ab eodem *annis XXI.* regnasse dicitur, habetur tamen in Vallarsii Chronico col. 347. *Ex Syncello pag. 127*: Ἀσσυρίων λγ' ἐβασίλευσεν Ὀφραταῖος ἔτη κ', *Assyriorum XXXIII. Ophrataeus regnavit annis XX.*, nempe quia totidem ab Eusebio huic dantur. At Scaliger pag. 62. col. 2. Animad. — Orphratenes annis XX.) *Unum annum expunxit. Africanus enim* (sive Syncellus) ἔτη κα'. Qui huic proxime successit Ἐφεχερῆς *Ephecheres* apud Syncellum dicitur, eique annos LII. assignandos esse colli-

colligitur ex epocha ab O. C.: nam numerus annorum, quibus regnavit palam ibidem vitiatus apparet. Vallarsius tamen in Fragm. col. 351. legit: Ἀσσυρίων λδʹ, ἐβασίλευσεν Ὀφρακτένης ἔτη νʹ. *Ex Scaligeri Collectaneis*: scilicet, *Assyriorum XXXIV. Ophractenes regnavit annis L.* At Scaligeri Collectanea habent pag. 30.: Ἀσσυρίων ἐβασίλευσεν λεʹ Ἐφαχερῆς ἔτη νβʹ. *Assyriorum XXXV. Ephacheres regnavit annis LII.* Quidnam hoc rei est? inquies. Bis jam in hac una Assyriorum regum serie confugit Vallarsius ad Scaligeri Collectanea, quod ter ad summum in toto Chronico se fecisse ipse modo asserebat in Præfatione, tum neutro loco collectanea illa ejusdem lectioni consentanea sunt?

§. VIII.

§. VIII. *Cujusmodi sint quæ Vallarsius sæpius produxit græca fragmenta ex* Scaligeri Collectaneis. *Scaliger Chronicum latinum græce est interpretatus*:

Dicam ego, quod res est: atque eadem opera Vallarsii fidem liberabo, & curabo sedulo, ne Lector ab his quæ non infrequenter laudata ab eo reperiet in Chronici serie, *Scaligeri* Collectaneis se in errorem duci imposterum patiatur. Verba quæ paullo ante ex Vallarsio recitavimus, apud Scaligerum habentur pag. 141.; sed is locus minime erat ab eo in auctoritatem producendus, tum quia ex Syncello & ex ipso Scaligero pag. 30., veram græci textus lectionem discere poterat, tum vero maxime quia scire debuerat, Scaligerum a pag. 89., ubi incipit secundus Eusebii liber, seu Canon chronicus, & deinceps, non Græca collectanea dare, sed ipsum lati-

latinum Chronicum græce reddere, nulla fere habita græci apud Syncellum, aut alios, textus ratione: eamdem itaque ea Chronici græci lectio auctoritatem facit, ac ipsum Chronicum latinum, immo longe minorem. Quam hoc verum sit, ex ipsis Scaligeri verbis liquet; qui, Animadv. pag. 62. col. 2., se minime probare declarat eam lectionem, quam Vallarsius ex ipso expressit. sic autem habet — Assyriorum Orphratenes) *Excidit hoc nomen Eusebio adhuc prioris Orphratei nomen in animo habenti*. Ephacheres *enim vocabatur*, *non* Orphratenes. Idem in proxime sequenti Notula — Anni L.) *Et huic quoque regi biennium abstulit. Africano enim* (sæpius jam dictum, pro Africano Syncellum esse substituendum) νβ′. hæc ille. Conferamus nunc quæ Vallarsius habet Nota A.col.351. *Plane abit*, inquit, *in diversa Africanus, sive Syncellus, ab Eusebio in hujus & subsequentis, postremorum Assyriæ regum, nominibus regnique eorum annis recen-*

 sen-

sendis. *Hic illi dicitur* Ἐφεχέρης, Ephecheres, *cui & annos* 52. *tribuit*. *Noster* (sc. Eusebius) *quod credere par est*, *sua ex aliis*, *atque illi monimentis veterum hausit* (credam hoc facile & ego: sed si ita est, cur Syncelli verba ipse apponit Chronico Eusebii, quasi ejus Fragmenta essent, & uti revera esse in universum affirmat in Præfatione?) *Nemo sane*, pergit, *facile credat*, *quod obloquitur Scaliger*, *excidisse verum nomen Eusebio*, *adhuc prioris Ophratæi nomen in animo habenti*. (& hoc ultro concedam: sed vel hinc subodorari Vallarsius debuerat, Scaligerum aliter legisse in Syncello, ac ille laudata pag. 141. expressit ad imitationem Chronici latini. demum Notam ita concludit) *Variat & græce* Ἐφαχερῆς, & Ἐφεχερής. Sed facile Ἐφαχερῆς, *Ephacheres* ex mendoso Syncelli apographo quo usus est Scaliger, unice provenerit. Verum quoniam mentio incidit collectaneorum Scaligeri a Vallarsio perperam, uti dicebamus, productorum; velim,

Le-

Lector, recolas & quæ de *Sparthæo* supra notavimus. Produxit ille Fragmentum quoddam sub hoc titulo, *Scaliger ex Syncell. pag.* 98.: nos contra ex ipso Scaligero pag. 23. diversam plane lectionem ei opposuimus. nunc demum noveris fragmentum illud sumtum ex ipso græco Scaligeri Chronico pag. 108.: uter tamen textus ex Syncello excerptus fuerit, per se apparet. Hoc præhabito indicio expende deinde, si lubet, græca omnia fragmenta, quæ Vallarsius produxit sub hoc fere titulo, *Scaliger in Collectaneis*, vel *ex Scaligeri Collectaneis*; comperies omnia sumta ex græco illo Canone, seu Chronico: tum eadem compara cum ejusdem Scaligeri latino Chronico; deprehendes ex hoc expressa ab ipso Scaligero & ad verbum græce reddita. Unum ego tantum aut alterum in confirmationem exemplum afferam. Vallarsius col. 185. citans *Scaligerum ex Syncello & Cedreno* refert græca quædam de Jo Inachi filia, quæ quidem

 haben-

habentur pag. 109. græci Chronici : confer totum locum cum iis, quæ habentur pag. 75. Chronici latini, videbis græca latinis ad verbum respondere. Atqui ne latinum quidem Chronicum integrum sincerumque dedit Scaliger, quin immo illud aliquot locis, atque hoc ipso quem præ manibus habemus, interpolavit, quædam addens, quæ in latinis codicibus MSS. & editis minime eo loci habentur, ut monet ipse Vallarsius Nota E. col. 183. ; habentur autem infra col. 190. Quod autem hic græca a se producta, a Scaligero ex Syncello & Cedreno sumta scribit, rursus quæri possit, cur non ipse potius Syncellum & Cedrenum, ut alias, produxerit? Sed, quantum ad Cedrenum attinet, narrat hic quidem, pag. 21. ed. Par., fabulam illam, sed aliis omnino verbis & adjunctis, ac apud Scaligerum. Quæ vero habet de Jo Syncellus, pag. 64., 152. & 158. ed. Par., ea nimirum sunt, aut fere eadem, quæ in lati-

no Chronico, uti dicebamus, alio loco habentur. ceterum verba ipsa a Vallarsio ex Scaligero producta, ne apud Syncellum quidem habentur. Sic col. 213. quædam profert Vallarsius de Phœnice & Cadmo, laudans *Scaligerum ex Syncello pag.* 121., quæ in ed. Par. habentur pag. 152.: sed Syncellus hoc loco non ea omnia habet quæ in Chronico, quamvis Goarus quæ desunt, in versione sua suppleverit. contra illic Scaliger Chronicum latinum ad verbum græce expressit, nulla habita Syncelliani textus ratione: hocque ex eo colligo, quod Syncellus ἀπὸ Θηβῶν τῶν κατ' Αἰγυπτον scripserit, Scaliger ἀπὸ Θηβῶν τῶν Ἀγυπτίων. Col. 273. de Helena rapta a Theseo afferuntur nonnulla ex *Scaligeri Collectaneis pag.* 125., quæ in latino quoque Chronico habentur, nisi quod fratrum Helenæ nomen in græco addidit Scaliger. In his diutius immorari instituti nostri ratio non patitur: tanti tamen est momenti probe noscere, nullam esse

græco apud Scaligerum Chronico fidem adhibendam, ut alio id argumento confirmare placeat. Scribit Vallarsius Nota B. col. 307.: *Græca quæ Scaliger obtrudit*, Μετὰ τελευτὴν Ἡλεὶ τοῦ ἱερέως ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης εἰς οἶκον Ἀμιναδὰβ ποιεῖ ἔτη κ΄, *minime Eusebiana sunt*. atqui licet Scaliger hoc quoque loco Chronicum Eusebianum, nec satis idonea caussa (*) interpolave-

(*) Chronicum Hieronymi habet: *Mortuo Heli Sacerdote Arca testamenti ab alienigenis possidetur, ac deinde in domo Aminadab fuit annis XX.*, quæ Eusebiana esse evincunt græca apud Syncellum, pag. 176. ed. Par.: quod notavit & Vallarsius. At Scaliger opponit, Animadv. pag. 57.: *Immo Heli Sacerdos propter Arcam testamenti ab alienigenis possessam animi dolore moritur*, *I. Samuel III.* 18. Quid ergo? non dixit Eusebius post Heli mortem Arcam in potestatem alienigenarum venisse, sed possessam fuisse per aliquod tempus. Sequitur tamen Scaliger, culpam in S. Hieronymum referens: *Attentionem in interprete requirimus, qui per properantiam præpostere hæc vertit*: μετὰ, &c. *In græcis ergo nulla mentio possessæ Arcæ post mortem Heli.* At hæc græca ipse commentus est, ut diximus,

laverit, latinum tamen suum Chronicum expressit, omissis tantum verbis aliquo. quod arguo ex illa ῥῆσει, ποιεῖ ἔτη κ', cui respondet pag. 97. latini Chron., *facit annos XX.*: nam alii libri habent *fuit annis XX.* Postremo in confirmationem eorum quæ diximus, Goari quoque testimonium producamus ex ejus Præf. in Syncellum: *Habet vero*, inquit, *Scaliger Eusebii, quæ judicat, Excerpta a græci textus Thesauri temporum pag. 3. ad secundam supra septuagesimam* (priorem ille editionem laudat an. 1606.): *qui sequitur Eusebii Chronicus Canon græce redditus, Georgii imitatio* (in quo tamen minime cum eo mihi convenit, ex jam dictis), & *Eusebii tralatio, non Eusebii ex Georgio Excerpta sinceriora: Africani nonnulla*

 ibi-

mus, Scaliger: quæ tamen pro sincero Eusebii textu lectoribus venditat. Confer græca apud Syncellum, quæ sunt: Τελευτήσαντος Ἡλεὶ τοῦ ἱερέως ἡ κιβωτὸς ὑπὸ ἀλλοφύλων γίνεται, καὶ μετὰ ταῦτα ἄγεται εἰς οἶκον Ἀμιναδὰβ ἔτη κ'.

ibidem obvia, *cum inter Eusebiana passim*, *tum maxime textus græci pag.* 355. *& succedentibus repræsentantur*. Hæc ille.

§. IX. *Sequitur Fragmentorum a Vallarsio allatorum censura, tum de Notis aliqua.*

SEd ad Assyriorum regum catalogum redeamus: & quoniam paullo supra ex Vallarsio audivimus, discrepantiam aliquam occurrere in proximo post *Ephecherem*, vel *Ophratenem* rege, videamus tandem cujusmodi illa sit. Idem itaque col. 363., ad ea verba, *Assyriorum XXXV. Acrazapes annis XLII.*, hæc adnotat: *Quemadmodum in vetustioribus editis & duobus Palatinis MSS. libris, ita & in Parmensi* Ocrazapes *hic dicitur*, & *græce semel* Ὀκραζάπης *Scaligero. Ceterum &* Acratapes, *&* Octozapes, *& juxta Africanum* Acracarnes, *præter* Ἀκραγάνην *Syncelli, apud alios appellatur*. Sed Ὀκραζάπης Scaligeri, est ex ejus græco

græco Chronico pag. 144., idque ex latina lectione expressum, quam ipse pag. 108. Chron. latini exhibet. Quod *juxta Africanum* Acracarnes hic idem nominatus dicitur, petitum est ex Scalig. Animadv. pag. 63.; sed eo loco mendum subesse oportet: nam idem in prioris libri Collectaneis pag. 30. Ἀκραγάνην legit, ut est apud Syncellum, quem ipse sub Africani nomine ob caussam sæpius jam expressam laudare solet: itaque una hæc notabilis discrepantia reliqua est, ut qui Ἀκραγάνης dicitur Syncello, Eusebio sit *Ocrazapes*, sive *Acrazapes*. nam ceteras variantes latinorum codicum non est nostrum singillatim expendere, eo præcipue quod librariorum culpa ortas manifesto appareat. Pervenimus tandem ad ultimum Assyriorum regem Sardanapalum, cui cum XX. annos tribuat Eusebius, Syncellus autem XV. tantum; Vallarsius tamen col. 371. ipsa Syncelli verba referens, non dubitavit pro *ιε* substitue-

re κ. Ex his porro quæ de Assyriis regibus cursim notavimus (quæ sane minima pars est Chronici Eusebiani) quisque facile argumentari poterit, quid demum statuendum sit de universis græcis Fragmentis, quæ a Vallarsio eidem Chronico fuerunt apposita; consiliumque nostrum probabit, quo statuimus novæ quam molimur Chronici editioni ea tantum apponere, quæ genuina sint, aut saltem Eusebio-Hieronymiano Operi illustrando opportuna. In his locum habebunt nonnulla, quæ quamvis ex Eusebii Chronico nominatim a Syncello repetantur, a Vallarsio tamen fuerunt prætermissa. Ex gr. ad Abrahæ annum CCXI. Vallarsius col. 130. attulit quæ habet Syncellus pag. 100. ed. Ven., seu 126. Par., de Phoroneo & Niobe: at idem Syncellus ipsa Eusebii verba (licet codicis vitio aliquanto corrupta habeantur) protulerat jam pag. 67. ed. Par., hoc præmisso elogio: ἀλλὰ καὶ οὗτος αὐτὸς Εὐσέβιος ..... κατὰ τὸ ᾱ

 ἔτος

ἔτος τοῦ Ἰακώβ ταῦτα παρέθετο ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ: *Verum hic ipse Eusebius ... , ad annum Jacob quinquagesimum* (qui est annus CCX. Abrahami) *haec apposuit in suo Canone*. Similiter Syncellus pag. 227. ed. Par. duo Fragmenta Chronici Eusebiani κατὰ λέξιν producit, quorum primum spectat ad annum primum captivitatis, alterum ad annum primum Cyri; neutrum tamen a Vallarsio producitur, qui utroque in loco (vide col. 463. & 475.) quaedam ex Chronico Paschali laudat. Sed de graecis Chronici Fragmentis satis superque. Quaeret fortasse quispiam, num praeter pauca illa sincera Fragmenta & Notas criticas verae lectioni, ubi opus erit, adstruendae consentaneas, propositum etiam nobis sit, Notis fusioribus & philologicis historiam antiquam universam, quae quidem Chronico comprehenditur, ad examen revocare, & varias antiquorum recentiorumque de unaquaque re opiniones excutere & ventilare, ut a Scaligero,

ro, puta, & Vallarsio factum videmus: Respondemus itaque, Scaligeri & Vallarsii studio & eruditioni nihil nos detractum velle in hac parte. sint tot θαύματα, ut Casaubono & aliis multis visum est, Scaligeri Notæ, sint Vallarsii quoque: nos tamen primum tenuitatis nostræ conscii non tantum nobis arrogamus, ut priscæ Historiæ Sacro-profanæ campum vastissimum, innumerisque sentibus obsitum salebrisque asperum, complanare & expurgare posse speremus. Deinde, ut id vires nostras non longe superaret, persuasum habemus, hoc argumentum proprium sibi opus deposcere, quo singula quæque capita ordinatim pertractentur & funditus exhauriantur. In Notis enim nec ordo congruus servari semper potest, nec quæstiones incidenter occurrentes, plane absolvi: hinc fit, ut ab alio in alium locum lector magno suo incommodo sæpius sit ablegandus, & ut ipse magnas ubique ambages
ac

ac difficultates offendens, a legendis hujusmodi Notis penitus abstineat. His itaque aliisque justis de caussis in nostris ad Chronicum Animadversionibus hujus generis quæstiones parce admodum obiterque attingere decrevimus; plerumque satis habituri, si Scriptores dumtaxat laudaverimus qui de unaquaque controversia ex instituto egerunt, vel si aliorum, eorum præsertim qui Chronico illustrando navarunt operam, insigniores, si qui occurrent, lapsus indicaverimus, quo lectores ab iisdem sibi imposterum præcaveant. Illud vero nobis præcipue propositum erit (ut esse debet cuilibet antiquorum scripta procudenti) ut ipsum Chronici textum expurgatum ab alienis sordidisque adsumentis, emaculatum a librariorum typographorumque mendis, ad antiquorum librorum lectionem exactum, numerisque omnibus, quoad fieri poterit, absolutum exhibeamus; ad quem finem

nem

nem sicuti Pontaci aliorumque observationes multum profuturas nobis speramus, ita suis locis debitam singulis ultro referemus gratiam. Et quoniam a S. Hieronymo, ut ipse in epist. ad Vincentium & Gallienum scribit, *a capta Troja usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mutata sunt plurima, quæ de Tranquillo & ceteris illustribus historicis excerpserat*; illud etiam strenue præstare aggrediemur, ut Eusebiana secernamus ab iis, quæ sanctus Interpres *adjecit, in Romana maxime historia*. Qua in re multum juvabit græca apud Syncellum & alios attentius rimari & perpendere: quidquid enim in latino Chronico habetur ad hanc historiæ partem spectans, cujus nullum nobis vestigium Græci Eusebii compilatores exhibeant, aut secus quid habeant; illud a S. Hieronymo vel additum, vel mutatum oportuit. Hoc non satis advertens Vallarsius, in Romana
præ-

præsertim historia (*) a Græcis destitutus scriptoribus ; ad Scaligeriana Collectanea pæne dixerim altera quoque pagina confugere debuit, ut inde græca illa fragmenta decerperet, quæ tamen omnia, ut supra diximus, a Scaligero demum ex latino Chronico græce reddita fuerunt. Hæc itaque singula in Notis Hieronymo adserere, tum ea distinguere a ceteris diversa characterum forma, operæ pretium erit, ut uno intuitu lectori quid Eusebio, quidve Hieronymo proprium sit, manifestum fiat.

§. X. *Totius Dissertationis peroratio.*

HÆc fere sunt quæ ad utrumque Eusebii librum Chronicum restituendum, expurgandum illustrandumque inservitura credimus, & aliquando, Deo favente, præstaturos nos

(*) Vid. ejus Chron., col. 313., 337., 345., 353., 358., 367., & alibi.

nos pollicemur. Juvabit autem hanc quasi Prolusionem impræsentiarum præmisisse: primum, ut ita exploraremus eruditorum judicium de his quæ totius operis fundamenta veluti quædam erant præjacienda; deinde, ut, si aliquibus probabitur consilium nostrum, ab iis facilius impetremus ea subsidia, quibus ipsi judicaverint nos indigere. Pergratum etiam nobis futurum profitemur, si quis, quam aliis indicare unice studuimus Veritatem, eamdem nobis ipse monstraverit, quoties nos imprudentes ab ea declinasse comperiet: nam quemadmodum neminem a nobis læsum speramus & volumus, si aliquando aliorum, Vallarsii imprimis (quem licet sæpe a nobis impugnari argumenti ratio exegerit, multis tamen de caussis, ut debemus, plurimi facimus) sententias refutavimus; ita minime offendemur ab iis, qui nostras quoque solidis argumentis refutaverit. Postremo, ut gustum aliquem futuri Operis, Lector, in

ante-

antecessum capere possis, ex iis quæ ad primam Partem spectant (utpote quam eruditis viris salivam potissimum movere par est) visum est optimum factu huic Dissertationi adnectere specimen Fragmentorum vere Eusebianorum: Habebis itaque in eo corollario satis longum & inter se optime connexum Eusebii textum, cujus pars major hactenus Syncello ab omnibus adscripta sane fuit, sed quam nos demum Eusebio restituimus, & non levibus conjecturis, quas invenies suo loco, constanter asserimus. His igitur interim fruere, atque ut promissa quantocius præstare possimus, integram & constantem a D. O. M. nobis precare valetudinem, bonamque imprimis mentem, quo vigiliæ nostræ Veritatis investigationem & sacræ Antiquitatis illustrationem unice propositam habeant, atque adeo iisdem aliqua ratione inserviant, semota omni inanis gloriæ aut assentationis contentionisve specie, quæ pestes

ſunt ſtudiorum ſtudioſorumque perniciofiſſimæ. Eſt autem præclare dictum a Phædro (*), idque non poetæ aut philoſopho gentili tantum, ſed etiam christiano homini & religioſo cuique maxime decens & conſentaneum:

Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

(*) Phædrus, lib. III. Fab. XVII.



APPEN-

APPENDIX I.

Ad §. XV.

Partis I. hujus Dissertationis.

LEo Allatius, vir de sacris studiis optime meritus, & eruditis omnibus probe cognitus, vulgavit Lugduni, anno elapsi jam sæculi vigesimo nono, Commentarium quoddam *in Hexaemeron* sub nomine Eustathii Antiocheni episcopi celeberrimi & Eusebii Cæsariensis æqualis: sed de ejus Opusculi auctore & antiquitate non una fuit aut est doctorum sententia. Antiquissimum sane auctorem esse nonnulla produnt indicia; illud potissimum, quod ipsis Allatii verbis placet exponere. *Argumentum*, inquit, *evidentissimum illius ætatis in hoc ipso opere habemus pag. 83., ubi cum de fine & consummatione hujus mundi disputationem instituisset, quem tantum ad annorum sex*

 millia

millia duraturum contendebat, *& accuratam annorum enumerationem prosequeretur*, *ut qui præterierat* (ita lego in schedis meis, sed heic & infra locus mendosus videtur), *quid adhuc futurum possit expectari legenti significaret*, *suum computum ad trigesimum annum Constantini Imp. perductum finit*, *alios annos prætermittens*. *Signum ergo*, *dum hæc hic auctor scriberet*, *annos tantum numeratos*, *nec plures fuisse elapsos*, *quos utique non tacuisset*. *id enim erat illius institutum*. Adde eumdem ad Christi resurrectionem annos numerare V M. D. XXXI.: itaque ni suppar Eusebio & Constantino fuisset, omne ejus argumenti pondus in ipsum recidisset: nam sex mille anni ab O. C. jam excurrissent. Cum itaque satis constet de antiquitate ejus Commentarii; si quidem in eo aliqua offendantur quæ aliquanto recentiorem sapiunt ætatem, ea facile postea ab alio intrudi potuerunt. Porro, quod ad nos potissimum spectat, Auctor ille primam Eusebiani Chronici

nici partem statim initio compilavit, ipsis plerumque Eusebii verbis usus, ut utriusque græca simul conferenti manifestum fiet. Quoniam igitur dedimus ex Syncello eam Prologi Græci partem, visum est opportunum, hoc loco (quoniam Allatii liber non ubique est obvius) ipsum etiam compilatoris ejus textum producere, qui quidem tum Eusebianæ lectioni constabiliendæ, tum nonnullis quæstiunculis absolvendis inserviet. Latina interpretatio Allatii est, quam licet aliquot in locis minime probaremus, noluimus tamen vel minima ex parte mutare. In Notis quædam ex Allatii uberibus Commentariis excerpsimus, quædam proprio marte procudimus.

Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Εὐσταθίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας, καὶ μάρτυρος, εἰς τὴν Ἑξαημερὸν ὑπόμνημα.

Κλήμης μὲν οὖν (a) καὶ Ἀφρικανὸς καὶ πρὸς τούτοις Τατιανὸς, τῶν δὲ ἐκ περιτομῆς Ἰώσηπος καὶ Ἰοῦστος κατὰ Ἴναχον ἀκμάσαι τὸν θεσπέσιον Μωϋσέα ἱστόρησαν, ἰδίως ἕκαστος ἐκ παλαιᾶς ἱστορίας ὑποσχὼν τὴν ἀπόδειξιν. Ἴναχος δὲ ἑπτακοσίοις ἔτεσι (b) τὸν Ἰλιακὸν προτερεῖ πόλεμον. Τῶν δὲ ἁγίων τις

(a) Κλήμης μὲν οὖν) Notat Leo Allatius propter particulam οὖν putasse nonnullos libellum hunc initio mutilum esse, quibus ipse reponit: *Verum qui gratiarum Atticarum non ignarus lascivientes verborum modulos, novosque in oratione sales non abhorret, fatebitur id quidem sine ulla reprehensionis nota fieri posse, idque sermonis esse principium non incommodum. nec desunt exempla apud Hime-*

Sancti Patris nostri Eustathii Archiepiscopi Antiocheni & Martyris, in Hexaemeron Commentarium.

Clemens & Africanus & præter hos Tatianus, & ex Judæis Josephus & Justus, proprio quisque modo ab antiquis historiis ad id probandum præbitis argumentis, divinum Moysem temporibus Inachi, qui septingentis annis bellum Trojanum antecesserat, floruisse litteris prodidere. Quidam

Himerium, *Gregorium Nazianzenum & alios*. Ut hæc tamen vera sint, dubitari adhuc potest, utrum Auctor libelli hujusmodi exquisitiores elegantias captaverit. ex sequentibus secus ego judicaverim: rem tamen in medio relinquo.

(b) Ἑπτακοσίοις ἔτεσι) Hoc quoque testimonio confirmatur, quod a Scaligero & Vallarsio observatum est, in latino Chronico pro *quingentis annis*, legendum esse *septingentis*. ipsos videsis.

τις (a) ἀκριβεστάτην τῶν χρόνων ἱστο-
ρίαν ποιησάμενος, τοῖς χρόνοις
Ἰνάχου τὸν μὲν ἀγχιώτατον εὗρεν
Ἰακὼβ συνακμάσαντα· Μωσέα δὲ
Ἰώσηπος (b). Χρονικοῦ γὰρ κανόνος
σύνταξιν ἐπινοήσας, ἐκ παραλλή-
λου ἀντιπαρέθηκε τὸν παρ' ἑκάστῳ
ἔθνει

(a) Τῶν δὲ ἁγίων τις) *Eusebium esse nulli
dubium, quem tacito nomine præterit,
idque odio & simultate quadam offensus
consulto agit*: Hæc & alia Allatius,
persuasum habens Eustathium Antioche-
num auctorem hujus esse libelli: quod
alii plerique, Tillemontius, Caveus, Na-
talis Alexander, & Fabricius negant,
hoc præ ceteris argumento ducti: non
enim, inquiunt, Eusebium eo elogio ma-
ctasset, qui ipsi ob religionis negotium
infensissimus esset. Quid si primitus scri-
ptum fuerit, Εὐσέβιος δέ τις, quod dein-
de ab aliquo, qui Εὐσέβιος nomen esse
auctoris proprium ignoraverit, mutatum
fuerit in τῶν δὲ ἁγίων τις? Non desunt
sane interpolationum exempla hoc ipso
quem damus, Fragmento. tum vix cre-
dibile videtur, ut quicumque ex Eusebii
Pro-

etiam sanctitate illustris, exquisitissime temporum ratione contracta, sanctissimum Jacobum ætate Inachi comperit claruisse. Sed hoc de Moyse Josephus affirmat. Ipse enim cum annorum ordinem ratione & judicio, quasi regulam quam-

dam,

Prologo hæc excerpsit, Eusebium viventem ea verborum circuitione designare voluerit, postquam Clementem, Africanum & Tatianum celeberrimos inter Christianos viros sine ulla præfatione honoris nominasset.

(b) Μωσέα δὲ Ἰώσηπος) Aut hoc insigne glossema est, e margine in textum intrusum, aut potius pro Ἰώσηπος legendum Κέκροπος: cur enim Auctor hoc loco diceret, Josephum statuisse Moysem æqualem Inacho, cum id paullo ante tum de Josepho, tum de aliis dixisset? Glossema tamen esse persuadet geminus fere huic locus infra occurrens: ὁ δὲ Ἰώσηπος κατὰ Ἴναχον. Miror hæc Allatium non vidisse, cujus proinde interpretatio quoque esset utroque loco emendanda: nihil tamen aut in græco textu aut in ejusdem versione mutare placuit.

ἔθνει δυναστεύοντα· συνήγαγε δὲ χρόνους τῆς βασιλείας Χαλδαίων (a), Ἀσσυρίων, Μήδων, Περσῶν, Λυδῶν, Ἑβραίων, Αἰγυπτίων, Ἀθηναίων, Ἀργείων, Σικυωνίων, Λακεδαιμονίων, Κορινθίων, Θετταλῶν, Μακεδόνων, Λατίνων, τῶν ὕστερον κληθέντων Ῥωμαίων· καὶ τούτων τοὺς χρόνους (b) ἐπισυναγ......σας, ἑκάστου ἔθνους τῶν βασιλέων συνεκ..... χρόνους, ἀντιπαρατιθεὶς τὰ ἔτη τῆς βασιλείας Ἀσσυρίων βασιλίδος, τουτέστι τῆς Σεμιράμεως, Ἀβραὰμ τοῖς ἔτεσι. Κατὰ γὰρ τὴν Σεμίραμιν Ἀβραὰμ ὁ μακάριος ἐγνωρίζετο· ὁ δὲ Ἰώσηπος κατὰ Για-

(a) Χαλδαίων, &c.) Allatius; *Verba sunt Eusebii.......ex quibus regnis duo exciderunt in Canone, Chaldaicum & Thessalicum. Sed Chaldæorum regnum salvum adhuc superest in Reliquiis græcis prioris libri* (apud Scaligerum, ex Syncello); *Thessalorum neutrobi exstat*. Vide

dam, e regione disposuisset, omnium gentium dominos inter se collatos enumeravit. Collegit autem annos Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lydorum, Hebræorum, Ægyptiorum, Atheniensium, Argivorum, Sicyoniorum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Thessalorum, Macedonum, Latinorum, qui postea Romani nuncupati sunt. Horum temporibus in eadem serie notatis, cujusque nationis principum annos congessit. In his annos dominii Assyriorum, Reginæ Semiramidis nempe, annis Abraami opponit. Semiramidis namque temporibus beatus Abrahamus clarus habe-

---

de quæ & a nobis notata sunt pag. 111. & seq.

(b) Καὶ τούτων τοὺς χρόνους ...) Allatius: *Ita puto supplendum; καὶ τούτων τοὺς χρόνους ἐπὶ τὸ αὐτοῦ (lege αὐτὸ) συναθροίσας, ἑκάστου ἔθνους τῶν βασιλέων συνεξελέξατο χρόνους, aut quid simile.*

Ἴναχον (a). Μωσῆς δὲ κατὰ Κέκροπα, ὃν πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι τριακοσίοις (b) . . . . . . πρῶτον τῆς Ἀττι-

(a) Ὁ δὲ Ἰώσηπος κατὰ Ἴναχον) Diximus jam, hoc esse glossema, appositum verbis præcedentibus, quibus juxta Eusebium Abraham Semiramis ætate vixisse perhibetur. Allatius tamen ita hæc interpretatus est; ut non de Josepho Historico, sed de antiquo illo Patriarcha Jacobi filio intellexerit, quasi is Inachi ætate floruisse dicatur: quod tamen cum ab Eusebio minime dicatur in Prologo, quinimmo cum in Chronico aperte refellatur (ex eo enim Inacho regnante ne natus quidem erat Joseph), omnino castigandum fuit.

(b) Ἔτεσι τριακοσίοις . . . . .) Allatius, post quam retulit Eusebii græcum textum ex Prologo, & verba illa præsertim, πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἀμφὶ τὰ τν' ἔτη, hæc addit: *Ex quibus supplenda lacuna in nostro Eustathio*, ὃν πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι τριακοσίοις πεντήκοντα παραδεδώκασι βασιλεῦσαι πρῶτον τῆς Ἀττικῆς Ἑλλήνων παῖδες. *Immo utrumque corrigamus, misere enim in Eusebio, a quo noster, non tan-*

habebatur, Josephus tempore Inachi, Moyses Cecropis, quem ante Trojana tempora annis cccxxx.

pri-

---

tantum in editis, sed in omnibus fere manuscriptis positum est τν', *CCCL, pro CCCLXXV.; sed castigatio hæc inita supputatione firmatur. nam si anno CCCCLX. ab Abraham, in quem incidit annus XXXV. Moysis & primus Cecropis, aggregaveris CCCLXXV., reperies annos DCCCXXXV. quo Trojanum contigit excidium*, &c. Hæc cum Allatius in Notis tradat, nescio cur in ipsius interpretatione habeatur *annis CCCXXX.*: nisi forte in Biblioth.PP.t.27. error irrepsit: neque enim amplius Allatii ipsius librum consulere angustia temporis patitur. Mirari etiam nequeo satis, quomodo Vallarsius scribere potuerit: *Chronicus Eustathii liber primum ab Allatio editus, ex ejusdem Eusebii testimonio ac verbis dissferens, plane idem* ἐτῶν τν' *supputat intervallum*, nisi forte Goarum ipse in Notis ad Syncellum eadem fere scribentem exscripserit. Vide ipsum Vallarsium Not. C. col. 17., & col. 29. Not. itidem C. Sed nihil omnino in græco apud

Ἀττικῆς Ἑλλήνων παῖδες· ὡς εἶναι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἀρχαίων σοφῶν τὸν Μωσέα πρεσβύτατον, Ὁμήρου λέγων (a) καὶ Ἡσιόδου καὶ τῶν Τρωϊκῶν, Ἡρακλέους τε (b), καὶ

apud Syncellum textu mutandum est: contra in latino Prologo antiqua & omnium fere codicum auctoritate confirmata lectio restituenda fuerit, quam Pontacus primus explosit, rescribens *annis CCCLXXV.*, pro CCCL. Nam Eusebius, scribens ἀμφὶ τὰ τν' ἔτη, non præcise definivit eum annorum numerum, sed expressit *annos circiter CCCL.*, numero rotundo, ut ajunt, usus. Tantum autem aberat ut annos heic probaret CCCLXXV., quos postea in græco Chronico ad annum Abrahæ DCCCXXXV. præcise numeravit, a primo Cecropis anno exorsus; ut hoc ipso Prologo, quum statim subjungat, *Quod ne cui dubium videatur, sequens ratio sic probabit*, paullo post a XLV. Cecropis anno incipiens, ad Trojam captam annos CCCXXIX. omnino numeret, qui numerus rursus repetitur circa finem: *A Cecrope usque ad captivitatem Trojæ anni CCCXXIX.*; qui tamen

primum Atticæ regnum occupasse, historiis Græcorum traditum est; ita ut sapientibus antiquis, qui id nominis apud Græcos consecuti sunt, Moyses sit antiquior, Homero, Hesiodo, Trojanis temporibus

tamen quoque locus a Pontaco vitiatus fuit, substituente iterum CCCLXXV.; qui sane numerus Eusebii computo in eodem Prologo stabilito repugnat: nam cum ibi *a Nino & Semiramide usque ad Mosem & Cecropem anni DC.* numerentur, consequens est ut *a Cecrope usque ad captivitatem Trojæ anni CCCXXIX.* ponantur; est enim utriusque numeri summa annorum, ab Abrahamo nato, DCCCXXXIV., post quem demum annum Troja capta in Chronico traditur.

(a) Ὁμήρου λέγων) Manifestum est legendum esse λέγω, ut in græco Eusebii textu.

(b) Ἡρακλέους τε, &c.) Vallarsius in illa Hieronymianæ versionis verba, *Ac multo superior Hercule*, &c., col. 16. Nota E, hæc habet: *Hic Eusebium ad verbum Cedrenus quoque describit pag. 42., nec tamen Herculem, Musæum, Linum, Chironem, Orpheum memorat, quemadmodum*

καὶ Μουσαίου, καὶ Λίνου, ἔτι τε Χειρῶνος, Ὀρφέως, Διοσκούρων, Ἀσκληπιοῦ, Διονύσου, Ἑρμοῦ, Ἀπόλλωνος, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν μυστηρίων. καὶ τελετῶν, καὶ αὐτῶν τῶν Διὸς πράξεων· ἔτι δὲ τοῦ κατὰ Δευκαλίωνα κατακλυσμοῦ, καὶ τῆς ἐπὶ Φαέθοντος ἐκπυρώσεως, Ἐριχθονίου τε γενέσεως ἐξ Ἡφαί-

σου

---

modum nec Syncellus facit. Si velis adeo Hieronymum ea nomina de suo addidisse ad exaggerandam sententiam, non repugno. At non addidisse hæc Hieronymum satis liquet ex hoc græco Fragmento, quod antiquum esse oportet: neque enim ut apud Syncellum & ex Syncello apud Cedrenum, locum mutilatum auctor invenit. Porro Allatius hac occasione his in Scaligerum invehitur, quæ prætereunda non judico. *Josephus Scaliger Animad. in Eusebii Chronicum, acriter in Hieronymum invehitur, multisque eum exagitat, quod multa in illa interpretatione necessaria omiserit, plura de suo addiderit, in multis etiam non sit Eusebii mentem assequutus; sic etiam hoc in*

loco

poribus, Hercule, Musæo, Lino, nec non Chirone, Orpheo, Dioscuris, Æsculapio, Libero patre, Mercurio, Apolline, Mysteriis Initiisque Græcorum, & ipsis rebus a Jove gestis; præterea Deucalioneo diluvio, terrarum tempore Phaetontis deflagratione, Erichthonii ortu ex Vulcano & Terra,


---

loco de Chirone *ait*, *nomen hoc* de suo addidisse Hieronymum, neque per omnia auctoris sui vestigiis institisse. *Aliud est infensum esse nomini alicujus*, *aliud veritatem quæ in scriptis est*, *indagare*: *multa namque forte in codice quem Hieronymus interpretabatur*, *aliter legi poterant*, *quæ ipse latinis dedit*, *etsi modo in textu quem præ manibus habemus*, *vel superare vel deficere cernuntur*. *idque ex hoc nomine Chironis patet*, *quod si in textu Eusebiano non fuisset*, *numquam Eustathius in suis scriptis retulisset*. *Sic dicimus & in aliis*, &c. Ceterum Scaliger non de Chirone tantum est loquutus, sed de *Hercule*, *Musæo*, *Lino*, *Chirone*, ut liquet ex Animadv. pag. 13. col. 1.

σοῦ καὶ Γῆς, καὶ Κόρης ἁρπαγῆς. οὗτοι γὰρ πάντες ὑπῆρξαν μετὰ Κέκροπα, ὃν πολλὰ Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος τοῖς χρόνοις ὑποβεβήκασιν· εἰ δὲ τούτων ἐλαττοῦνται τοῖς ἔτεσι, πολὺ δήπου τῆς Μωσέως ὑπάρχουσιν ἡλικίας κατώτεροι, κ. τ. λ.



atque raptu Proserpinæ. Hi enim omnes post Cecropem fuere, quo Homerus & Hesiodus longe ætate posteriores. qui si annis horum sunt inferiores, næ ab ætate Moysis longe dissitos esse comperimus: *&c.*



APPENDIX ALTERA

Ad §. V. Partis III.

In qua de Fragmentis Pseudo-Eusebianis ex Quæst. Anastasii Hervetianis agitur.

DE quibusdam fragmentis Eusebio falso adscriptis in Quæst. Anastasii Sinaitæ ex editione Herveti, actum est a nobis pag. 329. & seqq. ex Pontaci assertione tantum, quod non haberemus præ manibus antiquam ullam editionem Biblioth. Patrum, quam consuleremus, uti declaravimus pag. 331. : in Lugdunensi enim omnium postrema, omissa fuit Herveti interpretatio, quod plenior Gretseri versio inserta primum ibidem fuerit. Vix tamen impresso illo folio pervenit in manus meas Bibliotheca PP. Parisiensis anni 1589., in cujus Tomo I. reperi Quæstiones illas, quarum ultima, quæ in editione Gretse-

riana desideratur, est *de Domini Epiphania*, *seu apparitione*, in eaque productum inveni, *Ex Eusebio in Chronicis*, illud ipsum fragmentum quod in calce Chronici Paschalis a Du-Cangio G. L. postea fuit editum, itidemque statim post, *Ex eodem ex iisdem*, fragmentum alterum, iisdem omnino constans utrumque sententiis, ac apud laudatum Du-Cangium. Id volebam, Lector, nescius ne esses, uti probe scires, unam eamdemque rem esse fragmenta Hervetiana cum Du-Cangianis. Eadem occasione observavi, quæ ad Eusebium apud Gretserum referuntur quæst. XLI., eadem apud Hervetum haberi num. XXXIX. sub hoc titulo, *Ex Eusebio Pamphili de prisca historia*, eumdemque ad modum sub num. LXXIX. *Ex Eusebio de prisca Historia*, quæ illic quæst. LXV.: vide quæ de eo titulo iisdemque fragmentis supra disputatum est a pag. 323. & deinceps. Ibidem in supplendis, ex *exemplari Reginæ matris* producitur locus

 qui-

quidam *Ex Eusebio Pamphili ad Guarinum*, qui quidem apud Gretserum habetur quæst. IX., nisi quod pro *Guarinum* legitur *Marinum*. *Ex Eusebio* tamen *ad Marinum* ibidem quoque num. LXIX. producitur textus quidam, in quo quidem declaratur potestatem remittendi peccata datam fuisse Apostolis per insufflationem. Hæc ibi ex Eusebio.



GRÆ-

GRÆCA
QUÆDAM FRAGMENTA
EUSEBII CÆSARIENSIS
EX EJUS DE TEMPORIBUS
LIBRO PRIMO

Nova interpretatione, Notis & Observationibus illustrata, & ex parte nunc primum Auctori suo vindicata.

GEORGII SYNCELLI

De ſequentibus Euſebii Fragmentis Teſtimonia aliquot.

Syncellus pag. 169. ed. Pariſ.

ΕΥσέβιος . . . . . ὁ πᾶσαν ἀκρίβειαν ἐπαγγειλάμενος κατὰ ἀληθοῦς εὕρεσιν (a), ὡς φησὶν, ἐκ τῆς παρ' Ἑβραίοις καὶ Σαμαρείταις καὶ τοῖς Ο' φερομένης διαπεφωνημένης (b) γραφῆς, διὰ τὸ τῶν ἀντιγρά-

---

(a) Scaliger (referente Goaro, quo loco recenſet Syncelli textus ab eo *vitiatos*, *truncatos*, &c.) ediderat κατὰ ἀληθῆ εὕρεσιν: qui tamen textus in editione an. 1558. non comparet, uti nec alia quamplurima a Goaro in ſuis Notis paſſim indicata. Ego utramque lectionem ſuſpectam habeo: juxta tamen Goari lectionem & mentem, *ad veritatis indagationem* interpretatus ſum.

(b) Goarus edidit διὰ τῆς φωνημένης, in margine vero φερομένης καὶ φωνουμένης ex conje-

τιγράφων ἀσύμφωνον καὶ τριχῶς παραθέμενος τοὺς χρόνους, ἐν οὐδεμίᾳ τῶν τριχῶς παραθέσει τοῦ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν Καϊνᾶν υἱοῦ Ἀρφαξὰδ ἐμνήσθη.

Eusebius ..... omnem diligentiam pollicitus ad veritatis indagationem, ut ipse ait, *tum ex Hebræorum, tum ex Samaritarum, tum ex Septuaginta discordante inter se Scriptura*, propter exemplariorum dissonantiam trifariam etiam annos digerens, in nulla ex tribus hisce descriptionibus memoravit eum qui post diluvium fuit Cainan, Arfaxadi filium.

Idem,

conjectura, quam & in versione sua expressit, reddens *ex vulgatis receptisque .... textibus*. Idem tamen quo loco recenset *Georgii vitiosas lectiones a Scaligero emendatas*, monet Scaligerum Animadv. pag. 254. (primæ edit.) διαπεφωνημένως habere: quæ sane vera lectio est.

Idem pag. 67., quem tamen locum vide ſupra pag. 179.

Rurſus pag. 80.

Οὕτως ἀποδεδειγμένου τοῦ χρόνου καθ' ὃν ὁ Ἕβερ τὸν Φαλὲκ ἐγέννησε, δεκατὸν καὶ πέμπτον ὄντα ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ, ἄξιον οἶμαι ἐκ παραλλήλου τῶν ἡμῖν ἐπιλογισθέντων, ἐν δευτέρῳ κανονίῳ παραθέσθαι τὰ παρὰ τῷ Ἀφρικανῷ ἔτη ἕως τοῦδε τοῦ χρόνου, καὶ ἀπὸ τοῦδε μέχρις Ἀβραάμ· καὶ γὰρ προγενέστερος ὁ ἀνὴρ ὑπάρχει τοῦ Εὐσεβίου ἔτεσί που ἑκατόν· εἶθ' οὕτω καὶ τὰ παρὰ Εὐσεβίου τριχῶς ἐκτεθέντα, ὡς ἐκεῖνος φησὶ, κατά τε τοὺς ἑβδομήκοντα σοφοὺς ἑρμηνέας, καὶ κατὰ τὸ παρ' Ἑβραίοις, καὶ ἔτι κατὰ τὸ παρὰ Σαμαρείταις ἀντίγραφον. οὕτω γὰρ ἐν πέντε κανονίοις κειμένων τῶν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἕως τοῦ Φαλὲκ, καὶ ἀπὸ τοῦ Φαλὲκ ἕως Ἀβραὰμ ἐτῶν,

ἐυμα-

εὐμαρῶς δειχθήσεται ἡ σύμφωνος τῇ τε Μωσαϊκῇ καὶ Ἐυαγγελικῇ γραφῇ γενεαρχία τε καὶ χρονογραφία.

Ita poſtquam demonſtravi tempus quo Heber generavit Phaleg, qui fuit ab Adam decimus quintus (a), operæ pretium me facturum puto, ſi e regione rationum a me ſubductarum & in altero laterculo appoſuero Africani computum ad idem uſque tempus & deinceps uſque ad Abraham (fuit autem Africanus annis circiter centum Euſebio antiquior); tum ad eumdem modum & annos juxta Euſebium *in tres ſeries digeſtos*, ut ipſe ait, *tum ſecundum Judæorum exemplar*, *tum ſecundum ſeptuaginta ſapientes Interpretes*, *tum deni-*

(a) *Decimum quintum* ab Adamo Phaleg numerat Syncellus, Cainan nimirum ſecundo computato.

denique secundum exemplar Samaritarum. Ita enim fiet, ut in quinque tabulis annis ab Adam usque ad Phaleg (a) & a Phaleg usque ad Abraham descriptis, facili negotio appareat, quæ consona sit (b) Mosaicæ, & Evangelicæ Scripturæ Patriarcharum Genealogia & Chronologia.

(a) At Eusebius, ut infra apparebit, aliam secutus est partitionem: scilicet ab Adamo ad diluvium & a diluvio ad Abrahamum.

(b) Scopus Syncelli in hac comparatione fuit, ut Gainan secundum ab Africano & Eusebio perperam omissum ostenderet.



Ευσ-

Εὐσεβίου πρὸς λέξιν, παρὰ τῶν Ἑβδομήκοντα (*).

I.



ΕΙ Δωμεν (a) οὖν πρῶτον ὅπως (b) ἡ τῶν Ο' ἑρμηνεία τὴν ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι τῆς τοῦ Ἀβραὰμ γενέσεως χρονογραφίαν παρείληφεν (c).

Πρῶτος ἀνθρώπων Ἀδὰμ γενόμενος ἐτῶν σλ' γεννᾷ τὸν Σὴθ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ψ', μέχρι ῥλέ ἔτους Μαλαλεὴλ (d).

Σὴθ γενόμενος ἐτῶν σέ γεννᾷ τὸν Ἐνὼς, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ψζ', μέχρις εἰκοστοῦ ἔτους Ἐνώχ.

Ἐνὼς

(*) Syncelli verba, pag. 81. ed. Parif.: fed pro παρὰ leg. forte περὶ. Vide infra.

(a) Εἴδωμεν, ex MS. Regio B, seu 2., de quo dixi ad græcum Prologi Fragmentum: antea erat Ἴδωμεν, etiam apud Scalig.

(b) Ὅπως, MSS. A & B: πῶς Ed. Goari. Scaliger pro ὅπως ἡ habet tantum ṽ.

Eusebii ad verbum, de septuaginta Interpretibus.

I.



Videamus itaque primum quo pacto Interpretes septuaginta ab Adam usque ad Abrahæ nativitatem temporum rationem digesserint.

Primus hominum Adam cum esset annorum CCXXX. generavit Seth, vixitque postea annis DCC., usque ad annum CXXXV. Malaleel.

Seth annos natus CCV. genuit Enos, & superstes fuit DCCVII annis, usque ad annum XX. Enoch.

Enos

(c) Παρείληφεν, MSS. A & B. παρείληφεν Ed. Goari; Scal. παρείληφα.

(d) Μαλαλεὴλ deest heic in A & B. Ita notavit P. Pouget, qui paullo infra monet Μαλελεὴλ habere constanter utrumque MS. Sed hoc loco supplendum etiam fuerat verbum ἔτους, ut nos fecimus.

Ἐνὼς γενόμενος ἐτῶν ρϟ' (a) γεννᾷ τὸν Καϊνᾶν, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ψιέ, μέχρι νγ' ἔτους Μαθουσάλα.

Καϊνᾶν γενόμενος ἐτῶν ρό γεννᾷ τὸν Μαλαλεὴλ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ψμ', μέχρι πά ἔτους Λάμεχ.

Μαλαλεὴλ γενόμενος ἐτῶν ρξέ γεννᾷ τὸν Ἰάρεδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ψλ', μέχρις μή ἔτους Νῶε.

Ἰάρεδ γενόμενος ἐτῶν ρξβ' γεννᾷ τὸν Ἐνὼχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ω', μέχρι σπ' ἔτους Νῶε.

Ἐνὼχ γενόμενος ἐτῶν (b) ρξέ γεννᾷ τὸν Μαθουσάλα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σ', καὶ μετετέθη ἐν ἔτει λγ' τοῦ Λάμεχ.

Μαθουσάλα γενόμενος ἐπῶν ρξζ' γεννᾷ τὸν Λάμεχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωβ'.

Λα-

(a) ρϟ') Ita A & B: Ed. Goari ρλ', at in margine emendatur ρϟ', uti legit & Scalig.

(b) Ἐτῶν ſuppletur ex MS. B. & ex Scalig.

Enos annorum CXC. genuit Cainan, & postea vixit annis DCCXV., usque ad annum LIII. Mathusalæ.

Cainan annos CLXX. natus genuit Malaleel, & vixit adhuc annis DCCXL., usque ad LXXXI. annum Lamech.

Malaleel anno CLXV. genuit Jared, tum vixit aliis annis DCCXXX., usque ad XLVIII. annum Noe.

Jared annos natus CLXII. generavit Enoch, posteaque vixit annos DCCC., usque ad CCLXXX. annum Noe.

Enoch annorum CLXV. generavit Mathusala, & superstes fuit annis CC., post quos translatus fuit, anno XXXIII. Lamech.

Mathusala natus annos CLXVII. generavit Lamech, & vixit adhuc annis DCCCII.

Λάμεχ γενόμενος ἐτῶν ρπή γεννᾷ τὸν Νῶε, καὶ ἐπέζησεν ἔτη φλέ.

Πρῶτος Λάμεχ πρὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς τελευτᾷ, τοῦ Μαθουσάλα· ἐπέζησε δὲ μέχρι φλέ ἔτους Νῶε (a).

Νῶε γενόμενος ἐτῶν φ' γεννᾷ τὸν Σὴμ, τὸν Χὰμ, τὸν Ἰάφεθ, καὶ ἐπέζησε μέχρι τοῦ κατακλυσμοῦ ἔτη ρ.

Ἔτους χ' Νῶε ὁ κατακλυσμὸς ἐγένετο, καὶ ἐπέζησεν Νῶε μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη τν', μέχρι πγ' ἔτους (b) Ἔβερ.

Ὁμοῦ τὰ πάντα ἔτη (c) ,βσμβ'.

Ταῦτα μὲν κατὰ τὴν τῶν Ο' ἑρμηνείαν.

Εὐσε-

(a) Heic feries interrumpitur apud Syncellum, quæ poftea continuatur hac appofita epigraphe : Εὐσεβίου κατὰ τοὺς Εβδομήκοντα, *Eufebii juxta LXX.*

Lamech annorum CLXXXV-III. genuit Noe, & superstes fuit annis DXXXV.

Lamech primus ante patrem suum, Mathusala, moritur; vixit autem usque ad annum Noe DXXXV.

Noe cum esset annorum D., genuit Sem, Cham, Japheth, & ad diluvium usque vixit adhuc annis C.

Anno Noe DC. factum est diluvium, post quod superstes fuit Noe annis CCCL. usque ad LXXXIII. annum Heber.

Summa omnium annorum IIM. CCXLII.

Hæc quidem secundum LXX. Interpretes.

Ee 2 Euse-

(b) Ἔτους suppletur ex MS. B.
(ς) Ἔτη suppl. ex MS. B.

Ἐυσεβίου (a) πρὸς λέξιν, περὶ τοῦ Ἑβραϊκοῦ.

II.

Κατὰ δὲ τὸ παρὰ Ἰουδαίοις Ἑβραϊκὸν,

Ἀδὰμ γενόμενος ἐτῶν ρλ′ γεννᾷ τὸν Σὴθ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ω′, ἕως νϛ′ ἔτους Λάμεχ.

Σὴθ γενόμενος ἐτῶν ρε′ γεννᾷ τὸν Ἐνὼς, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωζ′, μέχρι ρξη′. ἔτους Λάμεχ.

Ἐνὼς γενόμενος ἐτῶν ϟ′ (b) γεννᾷ τὸν Καϊνᾶν, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωιε′, μέχρι πδ′ ἔτους Νῶε.

Καϊνᾶν γενόμενος ἐτῶν ο′ γεννᾷ τὸν Μαλαλεὴλ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωμ′, μέχρι ροθ′ (c) ἔτους Νῶε.

Μα-

(a) Syncellus pag. 82. Περὶ eſt ex utroque MS., Edd. παρά. ſic infra, περὶ τοῦ παρὰ Σαμαρείταις.

(b) Antea erat ρϟ′ mendoſe, in margine vero ϟ′, ut legit & Scalig.

(c) Supplenda fuit nota θ′, quæ nec

in

(*Eusebii ad verbum de Hebraico* exemplari.

II.

Juxta vero exemplar Hebraicum, quod penes Judæos,

Adam cum esset annorum CXXX. generavit Seth, & vixit alios DCCC. annos, usque ad LVI. annum Lamech.

Seth annos natus CV. genuit Enos, & vixit adhuc annos DCCCVII., usque ad CLXVIII. annum Lamech.

Enos annorum XC. genuit Cainan, tum vixit annos DCCCXV., usque ad annum LXXXIV. Noe.

Cainan cum esset annorum LXX., genuit Malaleel, & superstes fuit annos DCCCXL. usque ad annum Noe CLXXIX.

in MSS., nec in Edd. habetur: adeo ut Cainan vixerit usque ad CLXXIX. annum Noe. Vide infra Tabul. Chronol.

Μαλαλεὴλ γενόμενος ἐτῶν ξέ (a) γεννᾷ τὸν Ἰάρεδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωλ', μέχρι σλδ' ἔτους Νῶε.

Ἰάρεδ γενόμενος ἐτῶν ρξβ' γεννᾷ τὸν Ἐνὼχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ω', μέχρι τξς' (b) ἔτους Νῶε.

Ἐνὼχ γενόμενος ἐτῶν ξέ γεννᾷ τὸν Μαθουσάλα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη τ', καὶ μετετέθη ἐν ἔτει ριγ' Λάμεχ.

Μαθουσάλα γενόμενος ἐτῶν ρπζ' γεννᾷ τὸν Λάμεχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη (c) ͵ϡπβ', ἕως αὐτοῦ τοῦ κατακλυσμοῦ (d).

. . . .

. . . .

Νῶε

(a) ξέ, ex Scalig. editione & ex Syncelli apud Goarum margine in textum traduximus, repudiantes ρξ', utpote manifestum mendum.

(b) τξς', ex MS. B, repudiata lectione apud Scalig. & Goar. vulgata τξή, utpote mendosa.

Malaleel annos natus LXV. generavit Jared, & vixit adhuc annos DCCCXXX., usque ad annum CCXXXIV. Noe.

Jared, cum annos expleret CLXII., genuit Enoch, & superstes fuit annis DCCC., usque ad annum CCCLXVI. Noe.

Enoch annorum LXV. generavit Mathusala, & annis CCC. superstes fuit, atque translatus anno Lamech CXIII.

Mathusala cum esset annorum CLXXXVII. genuit Lamech, & postea vixit annis DCCLXXXII., usque ad Diluvium.

Lamech annos natus CLXXXII. suscepit Noe, vixitque adhuc annos DXCV. usque ad annum DXCV. Noe.

Ee 4 Noe

(c) Ἔτη suppl. ex MSS. A & B & ex Scalig.
(d) Hoc loco apud Syncellum series abrumpitur, ut supra: quare factum est, ut exciderint Lamech anni, quos nos supplevimus in latino textu.

Νῶε γενόμενος ἐτῶν φ' γεννᾷ τὸν Σὴμ, τὸν Χὰμ, τὸν Ἰάφεθ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρ' μέχρι τοῦ κατακλυσμοῦ.

Ἐν (a) ἔτει χ' τοῦ Νῶε ὁ κατακλυσμὸς ἐγένετο· καὶ ἐπέζησεν Νῶε μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη τν', μέχρι νή ἔτους Ἀβραάμ.

Ὁμοῦ τὰ πάντα ἔτη ͵αχνϛ' (b).

Διαφωνεῖ πρὸς τὴν τῶν Ο' ἑρμηνείαν ἐν (c) ἔτεσι φπϛ'.

III.

Ἐν τούτοις οἱ μὲν τῶν ἄλλων τῶν ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ ἐπὶ Νῶε χρόνοι πρὸ τῆς ἑκάστου παιδοποιΐας διεστήκασι πρὸς τὴν τῶν Ο' ἑρμηνείαν, συμφωνοῦσι δὲ αὐτῇ οἱ τοῦ Ἰάρεδ καὶ τοῦ Μαθουσάλα καὶ τοῦ Λάμεχ· ἐκ δὲ τῆς τούτων συμφωνίας πάρεστι λογισμῷ λαβεῖν, ὅτι καὶ τὰ πρὸ τούτων βελ-

(a) Ἐν deest in MS. B.

(b) ͵αχνϛ' vera lectio est, quam exhibent Scaliger & Goarus in margine: nam quod

Noe annos natus D. genuit Sem, Cham, Japheth, & vixit annos C. usque ad diluvium.

In anno DC. Noe fuit diluvium, post quod Noe vixit alios CCCL. annos, usque ad LVIII. annum Abraham.

Simul omnes anni MDCLVI. Discordat ab Interpretibus LXX. annis DLXXXVI.

III.

Hoc annorum DLXXXVI. intervallo ceterorum quidem ab Adam ad Noe tempora ante susceptam ab unoquoque prolem discordant a LXX. Interpretum calculis; conveniunt autem cum iisdem LXX. anni Jared, Mathusalæ & Lamech. Ex conso-

nan-

quod hic in textu habet, βφις', librariorum mendum est.

(c) ἐν abest a MS. 2., seu B.

βελτίονα ἡ παρ' ἡμῖν (a) ἀνάγνωσις ἔχει· ἀπὸ γὰρ τοῦ πλείονος χρόνου (b) περὶ τὸν Ἰάρεδ δῆλος ἂν γένοιτο καὶ ὁ τῶν προαγόντων συντρέχειν ὀφείλων τῇ τῶν Ο' ἐκδόσει. Εἰ γὰρ οἱ νεώτεροι καὶ μεταγενέστεροι τοῖς χρόνοις ταῖς τῶν ἑκατοντάδων προσθήκαις εὕρηνται κατὰ τὴν τοῦ Ἑβραϊκοῦ γραφὴν σύμφωνοι τῇ τῶν Ο' ἑρμηνείᾳ, πόσῳ πλέον (c) εἰκὸς ἦν τοὺς ἀρχαιοτέρους, καὶ αὐτῶν ἐκείνων προπάτορας, μᾶλλον τῶν μετ' ἔπειτα πολυχρονιώτερους γενέσθαι; Ὁρῶν δὲ ἐν τῇ συγκεφαλαιώσει τῆς ἑκάστου ἀνδρὸς ζωῆς (d) τὸν πρὸ τῆς παιδοποιΐας χρόνον καὶ τὸν μετὰ τὴν παι-

(a) ἡ παρ' ἡμῖν) Ita MS. A & B; antea erat ὡς παρ' ἡμῖν, non satis concinne.

(b) Deesse heic aliquid, puta τοῖν, vel τριῶν, vel denique utrumque, persuasum habeo: nam de tribus Jared, Mahusala & Lamech sermo est. Infra numero IX. de eadem re scribens Eusebius, diserte habet, ἐκτὸς τριῶν περὶ τὸν Ἰάρεδ. In inter-

nantia vero quæ in his occurrit, datur conjiciendi locus, etiam eorum qui præcedunt, annos melius juxta nostram lectionem se habere: nam a diuturniori tempore, post quod qui proximi Jared sunt, filios susceperunt, manifesto colligitur tempus etiam quo majores eorum genera-runt; concordare debere cum septuagintavirali editione. Etenim si qui recentiores ætate sunt, secundũ Hebraicam Scripturam in annorum centuriis deprehenduntur conformes Interpretationi LXX.; quanto magis congruit, ut antiquiores & horum ipsorum majores, posteris suis

---

terpretatione latina quod excidisse asserimus, supplevimus.

(c) πόσῳ πλέον, ex MS. B & ex margine ed. Syncelli: antea erat πῶς ὁ πλέων.

(d) Scalig. in Notis ad Græca Eusebii pag. 410. hæc referens, & Georgio ipsi Syncello adscribens, legit τῆς ἑκάστων ζωῆς.

παιδοποιΐαν ἅμα συναγόμενον τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν σώζοντα κατά τε τὴν τῶν (a) Ἑβραίων ἀνάγνωσιν, καὶ κατὰ τὴν τῶν Ο΄. ἑρμηνείαν, μόνα δὲ τὰ πρὸ τῆς τεκνογονίας ἔτη παρὰ τῶν Ἰουδαίων ἀντιγράφων συνεσταλμένα· κινοῦμαι μήποτε Ἰουδαίων ἔργον ἦν τοῦτο, τολμησάντων συστεῖλαι καὶ ἐπιταχῦναι τοὺς πρὸ τῆς παιδοποιΐας χρόνους ἐπιτροπῇ ταχυγαμίας. Τῶν γὰρ παλαιοτάτων ἀνδρῶν μακροβίων ὄντων καὶ πολυχρονίων, οὕτω δὲ κατὰ τούτους θᾶττον ἐπὶ τοὺς (b) γάμους καὶ παιδοποιΐας ἐλθόντων, ὡς ἡ παρ' αὐτοῖς ἀνάγνωσις δηλοῖ, τίς οὐκ ἂν αὐτῶν τῆς ταχυγαμίας τὸν ὅμοιον (c) τρόπον ἐζήλωσεν; —

Εὐσε-

(a) τῶν deeſt in MSS. & apud Scalig. loco ſupra laudato.

(b) τοὺς abeſt a MSS., nec male.

(c) τὸν ὅμοιον τῆς ταχυγαμίας in MS. B.

ſuis fuerint magis longævi? Verum enimvero cum videam in annorum uniuſcujuſque viri ſumma tempus quod generationem præceſſit, & quod ſubſequutum eſt, ſimul connexum eumdem numerum reddere tum ſecundum Hebræorum lectionem, tum ſecundum LXX.; ſolos autem annos, qui generationem præceſſerunt, ab Hebraicis exemplaribus contrahi; ſuſpicari ſubit, ne forte Judæorum hoc fuerit facinus, qui auſi ſint breviare atque anticipare tempus generationi aſſignatum, ut præcocium nuptiarum licentiam inveherent. Si enim antiquiſſimi illi homines, qui longiſſimum vitæ ſpatium habuerunt, ita cito ad nuptias & filiorum procreationem convolarint, ut ipſorum Scriptura prodit; quis eorum non eamdem ſibi maturandi nuptias facultatem æmulandam proponat?

Euſe-

Εὐσεβίου πρὸς λέξιν, περὶ τοῦ παρὰ Σαμαρείταις.

IV.

Κατὰ (a) τὸ παρὰ Σαμαρείταις Ἑβραϊκὸν,

Ἀδὰμ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Σὴθ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ω', μέχρι σκγ' ἔτους Νῶε.

Σὴθ γενόμενος ἐτῶν ρε' γεννᾷ τὸν Ἐνὼς, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωζ', ἕως τλε' ἔτους Νῶε.

Ἐνὼς γενόμενος ἐτῶν Ϟ' γεννᾷ τὸν Καϊνᾶν, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωιε', μέχρι υλγ' ἔτους Νῶε.

Καϊνᾶν γενόμενος ἐτῶν ο' γεννᾷ τὸν Μαλαλεὴλ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη (b) ωμ', μέχρις φκη' ἔτους Νῶε.

Μα-

(a) Κατὰ, &c. Hæc verba Eufebio cum Scalig. afferimus, quæ in ed. Goari perperam Syncello adfcribuntur: nam hujus funt tantum quæ præcedunt, Εὐσεβίου πρὸς λέξιν, &c. Goarus qui utrumque titulum Syncello adfcripfit, in margine notavit, *Pleonafmus*.

Eusebii ad verbum, de codice Samaritano.

IV.

Juxta exemplar Hebraicum, quod apud Samaritas servatur,

Adam cum esset annorum CXXX. generat Seth, vixitque postea annos DCCC., usque ad annum Noe CCXXIII.

Seth annos natus CV. generat Enos, & superstes fuit annis DCCCVII., usque ad annum CCCXXXV. Noe.

Enos annorum XC. generat Cainan, & vixit adhuc annis DCCCXV. usque ad annum Noe CCCCXXXIII.

Cainan anno LXX. generat Malaleel, tum vixit adhuc annis DCCCXL., usque ad annum Noe DXXVIII. Ma-

(b) ἔτη supplevimus ex congruentia, & juxta Scalig., apud quem tamen mendose paullo infra habetur φκά pro φκὔ.

Μαλαλεὴλ γενόμενος ἐτῶν ξε' (a) γεννᾷ τὸν Ἰάρεδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωλ', μέχρι φπγ' (b) ἔτους Νῶε.

Ἰάρεδ γενόμενος ἐτῶν ξβ' γεννᾷ τὸν Ἐνὼχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ϡπέ, μέχρις αὐτοῦ τοῦ κατακλυσμοῦ.

Ἐνὼχ γενόμενος ἐτῶν ξέ (c) γεννᾷ τὸν Μαθουσάλα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη τ'· μετετέθη ἐν ἔτει (d) ρπ' Νῶε.

Μαθυσάλα γενόμενος ἐτῶν ξζ' (e) γεν-

(a) ἐτῶν ξε') Ita legit & Scaliger, qui tamen contendit ex *autographo Samaritarum reponendum* οε'. Vide tamen quæ ipsi opponit Capellus in Chronol. Sac., quæ habetur in Prolegom. Walton. Sane Samaritarum hodierni codices per omnia cum Eusebianis rationibus conveniunt, quidquid contra Scalig. dicat.

(b) Goarus edidit φλγ', & vertit *usque ad* 533. *Noe*; Scaliger φπε', qui tamen numerus excedit biennii spatio verum Malaleel mortis annum, qui incidit juxta Samaritarum computum in annum Noe DLXXXIII., qui est ab O. C. juxta eosdem MCCXC. Itaque legendum omnino φπγ'.

Malaleel anno LXV. generat Jared, & vixit postea annis DCCCXXX., usque ad annum Noe DLXXXIII.

Jared annum agens LXII. generat Enoch: vixit autem postea annis DCCLXXXV., usque ad diluvium.

Enoch cum ageret annum LXV., generavit Mathusala, fuitque superstes annis CCC., translatus anno CLXXX. Noe.

Mathusala annos natus LXVII.

Ff gene-

(c) ἐτῶν ξε') Ita legendum: nam anni LXV. Enoch ante generationem, & CCC. quos postea vixit, finem habuerunt anno Noe CLXXX. juxta hunc computum. Favent hodierni codices Samaritani, ipso fatente Scaligero, qui tamen non secus ac Goarus mendose edidit ἐτῶν ξ', *annorum LX.*

(d) Supplevimus ἐν ἔτει ex Scalig., & congruentia.

(e) ἐτῶν ξζ') Rursus Scaliger: *In Samaritano autographo οζ', & ita corrigendum.* Vide tamen quid contra Capellus.

γεννᾷ τὸν Λάμεχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη χνγ΄, ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ.

Λάμεχ γενόμενος ἐτῶν νγ΄ γεννᾷ τὸν Νῶε, καὶ ἐπέζησεν ἔτη χ΄, μέχρι αὐτοῦ τοῦ κατακλυσμοῦ.

Νῶε γενόμενος ἐτῶν φ΄ γεννᾷ τὸν Σὴμ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρ΄ μέχρι τοῦ κατακλυσμοῦ.

Ἐν ἔτει τοῦ Νῶε χ΄ ὁ κατακλυσμὸς ἐγενήθη· καὶ ἐπέζησε Νῶε μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη τν΄, μέχρι πγ΄ ἔτους (a) Ἔβερ.

Ὁμοῦ τὰ πάντα ἔτη ατζ΄.

Διαφωνεῖ πρὸς μὲν τὸ Ἰουδαϊκὸν ἔτεσι τμθ΄, πρὸς δὲ τὴν τῶν Ο΄ ἑρμηνείαν ἔτεσι ϡλϛ΄ (b).

V.

(a) ἔτους ex utroque MS., & Scaligero: nam Goarus edidit ἔτος mendose, ut & paullo ante ἐγεννήθη pro ἐγενήθη.

(b) ϡλϛ΄) Ita legendum esse non ϡλ΄ tantum, suadet ratio, & Goarus ipse in mar-

generat Lamech, vixitque adhuc annis DCLIII., usque ad diluvium.

Lamech annorum LIII. generat Noe, vixitque aliis annis DC., usque ad ipsum diluvium.

Noe annos natus D. generat Sem, cum vivit annos C. usque ad diluvium.

Anno vitæ Noe DC. fuit diluvium: vixit autem Noe post diluvium annis CCCL., usque ad LXXXIII. annum Heber.

Simul omnes anni MCCCVII.

Discordat ab Hebraico quidem annis CCCXLIX.; ab interpretibus vero LXX. annis DCCCCXXXV.

margine notavit. Idem etiam numerus habetur in Syncelli verbis pag. 83. D., quæ tamen referens Scalig. pag. 403. col. 1., legit tantum ϡλʹ, uti quidem in MSS. mendose utroque in loco habetur.

V.

Καὶ ταῦτα μὲν τὰ πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ. Ἐπίωμεν δὲ καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα χρόνους, πρῶτον ἐκεῖνο σημειοσάμενοι, τὸ συμφώνως τοῦ παρ' Ἑβραίοις ἱστορουμένου κατακλυσμοῦ καὶ τὴν Χαλδαίων μνημονεῦσαι γραφὴν, τῆς τε κατασκευασθείσης ὑπὸ τοῦ Νῶε κιβωτοῦ. Τοῦ δὲ (a) τὸν κατακλυσμὸν ἀρθῆναι ὑπὲρ τὰ (b) ὑψηλότατα τῶν ὀρέων, καὶ ἡμῖν τοῖς μετὰ ταῦτα γράφουσιν ἀλήθειαν ἐπιστώσατο αὐτοψία τινῶν ἰχθύων καθ' ἡμᾶς εὑρημένων ἄνω πρὸς αὐταῖς τοῦ Λιβάνου ταῖς ὑψηλοτάταις ἀκρωρείαις· λίθους γὰρ ἐνθένδε (c) εἰς οἰκοδομάς τινες ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἐκτέμνοντες, θαλαττίων ἰχθύων εὗρον διάφορα γένη, ἃ δὴ

ἐπὶ

(a) τοῦ δὲ) Ita habent MSS. A & B: τὸ δὲ Ed. Goari, mendose.

(b) ὑπὲρ τὰ ex utroque MS.; Edit.

ἐπὶ

V.

Hactenus de iis quæ præcesserunt diluvium: percurramus nunc & quæ sequuta sunt tempora, primum illud observantes, diluvium in Hebræorum libris relatum, Arcamque a Noe ædificatam, concorditer in Chaldæorum etiam monumentis memorari. Quod autem diluvium supra montes altissimos elevatum fuerit, nobis quoque qui post tot sæcula hæc scribimus, fidem fecit inspectio quorumdam piscium nostra ætate repertorum in summis montis Libani cacuminibus. Cum enim ex illo monte quidam cæderent lapides in ædificia, marinorum piscium multas species invenerunt, quos sane in montium

 cavi-

ἐπὶ τά.

(c) ἐνθένδε) Ita A & B ; Ed. ἔνθεν δὲ separatim.

ἐπὶ τῶν κατὰ τὰ ὄρη (a) κοιλωμάτων συναποπαγῆναι τῇ ἰλύϊ, καὶ τεταριχευμένων δίκην εἰς δεῦρο διαμεῖναι συνέβη, ὥστε ἡμῖν καὶ (b) δι᾽ αὐτῆς τῆς ὄψεως τὴν τοῦ παλαιοῦ λόγου πιστωθῆναι (c) μαρτυρίαν.

VI.

Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, κατὰ τὴν τῶν Ο΄ ἑρμηνείαν,

Ἔτους δευτέρου Σὲμ υἱὸς Νῶε γεννᾷ τὸν Ἀρφαξὰδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη φ΄, μέχρι ρα΄ ἔτους Φαλέγ (d).

Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν ρλε΄ γεννᾷ τὸν Σαλὰ (e), καὶ ἐπέζησεν ἔτη υγ΄, μέχρι θ΄ ἔτους Ραγαῦ (f).

Σαλὰ

(a) τὰ ὄρη) τὰ deest in Ed., habetur in utroque MS.

(b) καὶ suppletum ex duobus MSS.

(c) πιστωθῆναι) Antea erat σωθῆναι, sed in nostris codicibus πιστωθῆναι: quæ lectio potior est visa.

cavitatibus limo conglutinatos fuisse, & ad instar corporum sale conditorum ad hanc usque ætatem perdurasse oportuit: adeo ut nobis ipso adspectu antiquæ traditionis testimonium confirment.

VI.

Post diluvium, secundum LXX. Interpretes,

Anno secundo Sem Noe filius generat Arfaxad, vivitque adhuc annis D., usque ad annum Phaleg CI.

Arfaxad annos natus CXXXV. generat Sala, vivitque aliis CCCCIII. annis, usque ad annum Ragau IX.

 Sala

(d) Φαλέγ MS. B heic & infra sæpius, quem sequimur. Antea erat ubique Φαλέκ.

(e) *Cainan* Arfaxadi filium omissum ab Eusebio sæpius queritur Syncellus.

(f) Ραγαῦ) In MS. A & apud Scalig. legitur Ραγαὺμ. In MS. B vero perpetuo habetur Ραγαῦ.

Σαλὰ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Ἕβερ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη υϛ', μέχρις ζ' ἔτους (a) Σερούχ.

Ἕβερ γενόμενος ἐτῶν ρλδ' γεννᾷ τὸν Φαλὲγ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη υλ' (b), μέχρις λή ἔτους Ναχώρ.

Φαλὲγ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Ραγαῦ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σθ', ,βϡπ' (c), μέχρις οε' ἔτους Σερούχ.

Ἐν ταῖς ἡμέραις Φαλέγ διεμερίσθη

(a) μέχρις ζ' ἔτους) Consentiunt Scalig. & Goar. edd., nec repugnant MSS.: sed mendum subest vel hoc vel præcedenti numero, ubi anni Salæ post generatum Heber υϛ', CCCCVI. ponuntur. Sane si numerus hic recte se habet, mortuus fuerit Sala anno X. Serug; sin anno VII. ejusdem Serug obiit ille, vixit annis tantum CCCCIII., quot nimirum & patri ejus ab Eusebio tribuuntur. Ceterum Syncellus pag. 115., & plerique codices τῶν LXX. Salæ post generationem annos tantum CCCXXX. tribuunt, alii multo pauciores.

Sala annos natus CXXX. generat Heber; vixitque postea annos CCCCVI. (*vel potius* CCCCIII.), usque ad annum VII. Seruch. —

Heber anno CXXXIV. generat Phaleg: postea autem vixit annos CCCCXXX., usque ad annum XXXVIII. Nachor.

Phaleg anno CXXX. generat Ragau, & superstes fuit aliis CCIX., usque ad LXXVII. annum Seruch.

In diebus Phaleg divisa est terra,

(b) ἔτη υλ´) Ita in margine & in Not. vidit Goarus legendum esse, loco υλγ´, quod erat in textu. Apud Scaligerum omnino mendose ἔτη ρλε´ habetur.

(c) ,β͵Ϡπ´ præfert Syncellus hoc loco, sed nonnulla supplenda monuit Goarus, nempe, ἕως τοῦ ,β͵Ϡπα´ τοῦ κόσμου. Idem in Observat. in partes omnes se se versat, ut tres illas notas explicet, fassus *difficultates eas parere, a quibus si superesset inter vivos, nec Eusebius ipsum se eximere posset.* Sane si hæc Eusebii esse pona-

ῥίσθη ἡ γῆ (a), διὸ καὶ σημαίνει τὸ φαλὲγ τῇ Ἑβραίων φωνῇ μερισμόν.

---

ponamus, pro α ego mallem addere β' : nam mors Phaleg juxta hunc Eusebii computum incidit in annum ab O. C. IIMDCCCCLXXXII. : vide infra nostras Tabellas Chronologicas. Corrigendus etiam fuerit numerus qui sequitur, μέχρις οσ' ἔτους Σερούχ : nam si Phaleg vixit post natum Heber annis CCIX. (uti Eusebii fert textus, & τῶν LXX. Gen. XI. 19.) mortuus est non anno LXXV. Serug, sed biennio post : itaque pro οε legendum οζ'. Opponitur tamen utrique correctioni quod rursus legitur apud Syncellum in Canone Africani ; ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τελευτὴν Φαλὲκ ἔτη ,γ' ; κατὰ δὲ Εὐσέβιον ,βϡπ'. *Ab Adamo usque ad mortem Phalec anni IIIM., juxta vero Eusebium IIMDCCCCLXXX.* : Sed emendatio illa annorum Serug stare omnino debet ob rationes paullo ante allatas, quam & ipse Goarus ratam habuit. Quod autem ad notas illas ,βϡπ', nihil supplendum fuerit. difficultatis autem quam pariunt, nodus facile solvitur, si statuamus eas non ab Eusebio

pri-

ra, itaque Hebraica lingua phaleg *divisionem* significat. Hic quoque secun-

primum positas (neque enim alias id fecit) sed a Syncello insertas tum hoc loco, tum in Canone ex Africano sumto: idque facile persuadet methodus ejusdem in suo peculiari Canone, tum scopus de quo ipse in verbis pag. 327. a nobis allatis; nimirum ut annos ab Adamo ad Phaleg usque numeraret. Notandum etiam est, eumdem Syncellum non computasse biennium illud quod post diluvium ad natum usque Arfaxad intercessit: itaque, ex. gr., Cainan Arfaxado natum ponit anno IIMCCCLXXVII., ex quibus si subducas annos CXXXV. ejusdem Arfaxad, reliquus erit numerus an. IIMCCXLII., quo idem cum Eusebio diluvium collocat: sic ille deinceps & constanter, adeo ut Abraham natum statuat anno MLXX. post diluvium, non, ut debuisset, biennio post. hinc autem factum ut & heic biennium omiserit. Porro ἔτους habetur in utroque MS. Regio, & apud Scalig., non ἔτος, quod Ed. Goari præfert.

(a) διεμερίσθη ἡ γῆ) Hæc & quæ sequuntur usque ad τῷ Ἐβρ., suppleta sunt ex MS. B: Scaliger lacunam in textu reliquerat: Goarus ex conjectura alia suppleverat.

μόν (a). Καὶ οὗτος πρὸ τοῦ πατρὸς τελευτᾷ δεύτερος. Κατὰ τοῦτον ἡ πυργοποιΐα συνέστη, καὶ ἀπὸ μιᾶς τῆς πάλαι διαλέκτου πολυφωνία γέγονε, καὶ ἡ καθ' ἕκαστον ἔθνος τῶν γλωσσῶν διαφορά.

Μετὰ δὲ τὸν Φαλὲγ Ῥαγαῦ γενόμενος ἐτῶν ρλβ' (b) γεννᾷ τὸν Σεροὺχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σζ', μέχρις οζ' ἔτους (c) Ναχώρ.

Σεροὺχ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Ναχὼρ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σ', μέχρις να' ἔτους Ἀβραάμ.

Ναχὼρ γενόμενος ἐτῶν οθ' (d) γεννᾷ τὸν Θάρρα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ριθ', μέχρις οζ' (e) ἔτους Ἀβραάμ.

Θάρρα

(a) *μερισμόν* juxta A & B. Apud Scaligerum & Goarum *μερισμός*.

(b) *ἐτῶν ρλβ'.*) Ἐτῶν ſupplevimus ex MS. B & ex Scalig. : numerum vero ρλβ' ex emendatione Scaligeri & Goari ſubſtituimus pro ρλέ; quem mendoſi præferunt MSS. codices.

(c) *ἔτους* ſuppl. ex MSS. A & B., atque ipſo Scalig.

ſecundus, *poſt Lamech*, ante patrem ſuum moritur. Hujus ætate Turris ædificata fuit, & ab una primæva lingua multæ evaſerunt, eaque quæ inter unamquamque gentem intercedit vocum differentia.

Poſt Phaleg autem Ragau annum agens CXXXII. generat Seruch, & vixit adhuc annos CCVII., uſque ad LXXVII. annum Nachor.

Seruch annorum CXXX. generat Nachor: vixit autem poſtea annis CC., uſque ad annum Abrahæ LI.

Nachor annos natus LXXIX. generat Tharra, & vixit poſtea annis CXIX., uſque ad XLIX. annum Abrahæ.

Tharra

(d) ἐτῶν οθ´) Ita MS. B & Scalig., nec non Goar. in margine: nam in ejus textu eſt σθ´. Infra ante Θάῤῥα addidimus τὸν.

(e) οζ´ in μθ´ mutandum, ut monuit etiam Goarus in Notis. οζ´ tamen heic habet & Scalig.

Θάῤῥα γενόμενος ἐτῶν ο΄ γεννᾷ τὸν Ἀβραάμ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρλέ, μέχις λέ ἔτους Ἰσαάκ.

Ἀβραὰμ ἔτος πρῶτον. Οὗτος ἦν ὁ τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους προπάτωρ. Κατὰ τοῦτον Ἀσσυρίας καὶ τῆς Ἀσίας πάσης ἐβασίλευσε Νῖνος καὶ Σεμίραμις.

Ὁμοῦ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη ϡμβ΄. Ἦν δὲ τὰ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ,βσμβ΄. Τὰ πάντα συνάγεται ἔτη ,γρπδ΄.

VII.

Κατὰ δὲ (a) τὸ παρὰ Ἰουδαίοις Ἑβραϊκόν,

1 Ἔτους δευτέρου μετὰ τὸν κατακλυσμὸν Σὴμ υἱὸς Νῶε γεννᾷ τὸν Ἀρφα-

(a) δὲ suppl. ex utroque MS., unde apparet hæc esse Eusebii verba, quæ respon-

Tharra anno LXX. genuit Abraham, tum vixit annis CXXXV. usque ad annum Isaac XXXV.

Abrahæ annus primus. Fuit hic Judææ gentis progenitor. Hujus ætate Assyriæ omnique Asiæ imperabant Ninus & Semiramis.

Summa annorum a Diluvio ad annum primum Abrahæ, DCCCCXLII. anni. Ab Adam vero ad diluvium anni MMCCXLII. Simul omnes anni MMMCLXXXIV.

VII.

Juxta vero exemplar, quod apud Judæos est,

Anno secundo post diluvium Sem Noe filius genuit Arfaxad; vixit-

spondent superioribus, Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, κατὰ τὴν τῶν Ο' ἑρμηνείαν.

Ἀρφαξὰδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη φ', μέχρις τοῦ ν' (a) ἔτους Ἰακώβ.

Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν λέ γεννᾷ τὸν Σαλὰ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη υγ', μέχρι μή ἔτους Ἰσαάκ.

Σαλὰ γενόμενος ἐτῶν λ' γεννᾷ τὸν Ἔβερ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη υγ', μέχρις ιή (b) ἔτους Ἰακώβ.

Ἔβερ γενόμενος ἐτῶν λδ' γεννᾷ τὸν Φαλὲγ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη υλ', μέχρι οθ' (c) ἔτους Ἰακώβ.

Φαλὲγ γενόμενος ἐτῶν λ' γεννᾷ τὸν Ραγαῦ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σθ', μέχρι μή ἔτους Ἀβραάμ.

Ρα-

(a) μέχρις τοῦ ex MS. B.: Edd. habent tantum μέχρι. Ceterum numerus νέ, quem præferunt Scaliger & Goarus, sub mendo cubat; legendum enim eſt, μέχρις ν' ἔτους Ἰακώβ. Nam reipſa juxta hunc computum mors Sem incidit in annum Jacob L., non LV.: quod demum & Goar. in Not. agnovit.

(b) μέχρις ιή) Ita uterque MS.: Goarus in

vixitque adhuc annis D., usque ad annum L. Jacob.

Arfaxad annorum XXXV. generat Sala, vivitque adhuc annis CCCCIII., usque ad annum XLVIII. Isaac.

Sala natus annos XXX. generat Heber, & vivit aliis CCCCIII. annis, usque ad annum XVIII. Jacob.

Heber natus annos XXXIV. genuit Phaleg, vixitque annis praeterea CCCCXXX., usque ad annum Jacob LXXIX.

Phaleg annos natus XXX. generat Ragau, quo nato vixit annis CCIX., usque ad annum XLVIII. Abraham.

in margine supplevit μέχρι, at Scaliger ediderat μέχρι μή, mendose.

(c) σθ΄) Ita Goarus, & recta computandi ratio. At apud Scaligerum θ΄ tantum habetur.

Ῥαγαῦ γενόμενος ἐτῶν λβ΄ γεννᾷ τὸν Σεροὺχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σζ΄, μέχρις οή ἔτους (a) Ἀβραάμ.

Σεροὺχ γενόμενος ἐτῶν λ΄ γεννᾷ τὸν Ναχὼρ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σ΄, μέχρι πρώτου ἔτους (b) Ἰσαάκ.

Ναχὼρ γενόμενος ἐτῶν κθ΄ γεννᾷ τὸν Θάῤῥα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ριθ΄, μέχρι μθ΄ ἔτους Ἀβραάμ.

Θάῤῥα γενόμενος ἐτῶν ο΄ γεννᾷ τὸν Ἀβραὰμ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρλέ, μέχρι λέ (c) ἔτους Ἰσαάκ.

Ἀβραὰμ ἔτος πρῶτον.

Ὁμοῦ τὰ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος (d) Ἀβραὰμ ἔτη σϞβ΄. Τὰ δὲ πάντα ἀπὸ Ἀδὰμ ἔτη, ͵α μή. Διαφωνεῖ

πρὸς

(a) ἔτους suppl. ex congruentia.

(b) πρώτου ἔτους) Δευτέρου dicendum fuit, non πρότῳυ. Vide noſtram interpret. & Tabul.

(c) μέχρι λέ) At Scaliger mendoſe μέχρι σλέ, forte pro μέχρις λέ.

Ragau natus annos XXXII. genuit Seruch, vivitque postea annis CCVII., usque ad annum LXXVIII. Abraham.

Serug anno XXX. generat Nachor, vivitque alios CC. annos, usque ad secundum Isaac annum.

Nachor anno XXIX. generat Tharra, & vivit afiis adhuc CXIX., usque ad XLIX. Abrahæ annum.

Tharra natus annos LXX. genuit Abraham, & superstes fuit annis CXXXV., usque ad annum Isaac XXXV.

Abrahæ annus primus.

Summa annorum a diluvio ad primum annum Abrahæ anni CC. XCII. Omnes autem ab Adam anni MDCCCC. XLVIII. Dif-

 cor-

(d) ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος, ex utroque MS. & Scalig.: Goarus habet, ἕως τοῦ α' ἔτους.

πρὸς τὴν τῶν Ο' ἑρμηνείαν ἔτεσι ‚ασλέ (a).

VIII.

Κατὰ τὸ Σαμαρειτῶν (b) Ἑβραϊκὸν,

Ἔτους β' μετὰ τὸν κατακλυσμὸν Σὴμ υἱὸς Νῶε γεννᾷ τὸν Ἀρφαξὰδ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη φ', μέχρι ρα' ἔτους Φαλέγ.

Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν ρλέ (c) γεννᾷ τὸν Σαλὰ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη τγ', μέχρι λθ' ἔτους Φαλέγ.

Σαλὰ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Ἔβερ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη τγ', μέχρι λθ' ἔτους (d) Ραγαῦ.

Ἔβερ

(a) ‚ασλέ) Ratio poſtulat ut legamus ‚ασλς', ut in interpretatione noſtra fecimus.

(b) Σαμαρειτῶν ex MS. B, nam Edd. Σαμαρικὸν præferunt.

(c) ἐτῶν ρλέ) Ita legendum eſſe ratio poſtulat, quamvis apud Scalig. & Goar. habea-

cordat a LXX. Interpretibus annis MCCXXXVI.

VIII.

Juxta Hebraicum Samaritarum codicem,

Anno ſecundo poſt diluvium Sem Noe filius generat Arfaxad, vixitque poſtea annos D., uſque ad annum CI. Phaleg.

Arfaxad natus annos CXXXV. genuit Sala, & vixit poſtea annis CCCIII., uſque ad annum Phaleg XXXIX.

Sala anno CXXX. generat Heber, quo nato vixit annos CCCIII., uſque ad annum Ragau XXXIX.

 Heber

habeatur tantum, ἐτῶν ρλ'. Sed ipſe Scaliger *mendam librariam* agnovit, conſentiente eidem Goaro.

(d) μέχρι λθ' ἔτους) Ita MSS. libri, & Ed. Scalig.: apud Goar. μέχρι ἔτους λθ'.

Ἔβερ γενόμενος ἐτῶν (a) ρλδ' γεννᾷ τὸν Φαλὲγ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σό, μέχρι ρμ' ἔτους Ραγαῦ.

Φαλὲγ γενόμενος ἐτῶν (b) ρλ' γεννᾷ τὸν Ραγαῦ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρθ' (c), μέχρι ρθ' ἔτους Ραγαῦ.

Ραγαῦ γενόμενος ἐτῶν ρλβ' γεννᾷ τὸν Σεροὺχ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη σζ' (d), μέχρις οζ' ἔτους Ναχώρ.

Σεροὺχ γενόμενος ἐτῶν ρλ' γεννᾷ τὸν Ναχὼρ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ρ', μέχρι κα' ἔτους Θάῤῥα (e).

Ναχὼρ γενόμενος ἐτῶν οθ' γεννᾷ τὸν

(a) ἐτῶν supplet. ex MS. B & Edit. Scalig.

(b) ἐτῶν hoc quoque loco supplet. ex MS. B & Scalig.

(c) Apud Scaligerum desunt hæc, ἔτη ρθ', quæ nec necessaria sunt.

(d) ἔτη σζ') Ita Scalig. & Goar. non repugnantibus MSS. Sed legendum omnino est ἔτη ρζ': nam ita mors Ragau incidet in annum LXXVII. Nachor. Præterea

Heber anno CXXXIV. genuit Phaleg, & vixit alios annos CC-LXX., usque ad annum CXL. Ragau.

Phaleg natus annos CXXX. generat Ragau, & vivit adhuc annos CIX., usque ad annum CIX. Ragau.

Ragau annos natus CXXXII. genuit Serugh, vixitque adhuc annos CVII. usque ad annum Nachor LXXVII.

Seruch natus annos CXXX. generat Nachor, vivitque postea annis C., usque ad annum Tharræ XXI.

Nachor annorum LXXIX. genuit

terea CVII. annos post quam genuerat, diserte tribuit Ragau textus hodiernus Samaritanus.

(e) Θαῤῥα legendum, pro Ἀβραάμ, quem mendose præferunt juxta MSS. codices Edd. Scalig. & Goar.: hic in margine Θαῤῥα apposuit.

τὸν Θάῤῥα, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ξθ', μέχρι ξθ' ἔτους Θάῤῥα.

Θάῤῥα γενόμενος ἐτῶν ό γεννᾷ τὸν Ἀβραάμ, καὶ ἐπέζησεν ἔτη οέ, μέχρι οέ ἔτους Ἀβραάμ.

Ἀβραὰμ ἔτος πρῶτον.

Ὁμοῦ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη ͵Ϡμβ', ὁπόσα ἦν καὶ κατὰ τῶν Ο' ἑρμηνείαν.

IX.

Συνάδει τοίνυν τῇ παρ' ἡμῖν (a) ἀναγνώσει ἡ παρὰ Σαμαρείταις φερομένη Ἑβραϊκὴ γραφὴ κατὰ τὰς πρώτας τῶν ἐπῶν ἀποδόσεις, τὰς πρὸ τῆς παιδοποιΐας· διαφωνεῖ δὲ πρὸς τὸ Ἰουδαίων Ἑβραϊκὸν ἔτεσι

(a) τῇ παρ' ἡμῖν) Ita legendum censeo, non τῇ παρ' ἡμῶν, ut apud Goarum.

nuit Tharra, & vixit aliis LXIX. annis, usque ad annum LXIX. Tharræ.

Tharra annorum LXX. generat Abraham, & superstes fuit aliis LXXV. annis, usque ad LXXV. annum Abrahæ.

Abrahæ annus primus.

Summa annorum a diluvio ad I. annum Abrahæ, anni DCCCCXLII., quot nimirum sunt etiam secundum LXX. Interpretes.

IX.

Concordat itaque lectioni apud nos vulgatæ ea quæ apud Samaritas habetur Hebraica scriptura in prioribus annorum collectionibus, iis nimirum quæ generationem præcedunt; discordat autem cum

---

rum. Sane supra sub num. III. habetur, ἡ παρ' ἡμῖν ἀνάγνωσις, & ἡ παρ' αὐτοῖς ἀνάγνωσις.

ἔτεσι χν᾽· ἦν γὰρ τὰ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος Ἀβραὰμ κατὰ τὴν τῶν Ἰουδαίων γραφὴν ἔτη σϟβ᾽. Ἐπεὶ τοίνυν φαίνονται κατὰ τὸ παλαιότατον Ἑβραϊκὸν, ὃ δὴ παρὰ Σαμαρείταις ἔτι ϗ νῦν σώζεται, τῇ τῶν Ο᾽ ἑρμηνείᾳ συμφώνως, οἱ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ϗ ἐπὶ Ἀβραὰμ μετὰ τὰς προκειμένας τῶν ἐτῶν ἑκατοντάδας ϗ τὸν ἐπὶ τούτοις ἀριθμὸν παῖδας ποιησάμενοι, ποῖος ἐρεῖ λόγος τοὺς τούτων πρεσβυτέρους, καίπερ ἔτεσι πολὺ πλείοσι τῶν μετὰ ταῦτα βεβιωκότας, τάχιςα ἐπὶ τὴν παιδοποιΐαν ἐλθεῖν, ϗ μὴ μᾶλλον κατὰ τοὺς παρὰ τοῖς Ο᾽ (a) σεσημειωμένους χρόνους; τούτων (b) δ᾽ οὖν ϗ ὁ σώφρων λογισμὸς ὑποβάλ-

(a) παρὰ τοῖς Ο᾽, ex MS. B, longe melius quam apud Goarum, παρὰ τοὺς Ο᾽.

cum Hebraico Judæorum exemplari annis DCL. : sunt enim a diluvio ad primum annum Abrahæ juxta Judæorum scripturam anni CCXCII. Quoniam igitur in antiquissimo Hebræorum exemplari, quod etiam nunc apud Samaritas asservatur, illos qui post diluvium vixerunt usque ad Abraham, post indicatas annorum centurias & subjectum eisdem numerum, filios primum suscepisse apparet non secus ac in LXX. interpretatione; quænam ratio suadebit ipsorum majores, licet multo longiori annorum spatio vixerint, citius filiis procreandis operam dedisse, ac non potius ea ipsa ætate quæ a LXX. Interpretibus designatur? Ita sane recta ratio ut sentiamus, impellit : adeo-

(b) Pro τούτων legendum esse τοῦτο, vel aliud quid simile, per se apparet.

βάλλει (a) νοεῖν, ὥςε ἀνάγκη διημαρτῆσθαι (b) ὁμολογεῖν τὴν μὲν παρὰ Ἰουδαίοις γραφὴν ἐν τοῖς ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ ἐπὶ Ἀβραὰμ χρόνοις, ἐκτὸς τριῶν περὶ τὸν Ἰαρέδ, τὴν δὲ παρὰ Σαμαρείταις ἐν τοῖς ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν μόνοις· τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ (c) κατακλυσμοῦ καὶ ἐπὶ τὸν Ἀβραὰμ ἔτη σύμφωνα εὕρηται τῇ παρὰ τοῖς Ο' φερομένῃ τῶν ἐτῶν σημειώσει. Ἄντικρυς δὲ φαίνεται διημαρτημένως ἔχειν τὸ παρὰ Ἰουδαίοις Ἑβραϊκόν· συνάγει γὰρ κατὰ τὸ αὐτὸ τοῖς χρόνοις τὸν Ἀβραὰμ καὶ τὸν Νῶε, ὅπερ οὐδεμία (d) παρίςησιν ἱςορία. Εἰ γὰρ κατὰ τὴν Ἰουδαίων γραφὴν ἀπὸ

(a) ὑποβάλλει est ex utroque MS. codice, idque longe melius quam ἐπιβάλλει, quod est apud Goar.

(b) διημαρτῆσθαι est ex MS. A, & Scalig. pag. 413. Not. in Græc. Eusebii, ubi hæc & sequentia sub Syncelli nomine

adeoque fatendum omnino est, Judæorum quidem scripturam errori obnoxiam esse in annis ab Adamo ad Abrahamum, præter tres illos numeros, qui in Jared & deinceps habentur; Samaritarum autem, in annis ab Adamo ad diluvium tantummodo: nam qui sequuntur a diluvio ad Abrahamum usque, conveniunt cum annorum summis apud LXX. expressis. Manifeste autem apparet corruptum esse Judæorum exemplar Hebraicum: nam iisdem temporibus vixisse statuit Abrahamum & Noe; quod nulla historia confirmatur. Si enim secundum Judæorum scripturam a diluvio

mine recitat, licet aliquot locis mendosa & hiantia.

(c) ἀπὸ τοῦ) Ita in MS. B, & ita Goarus in margine notavit ex conjectura: in textu vero ipse, ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ, Scaliger vero ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν, habent.

(d) οὐδεμία junctim MS. B & Scalig.: Goarus vero separatim, οὐδὲ μία.

ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ϗ ἐπὶ Ἀβραὰμ ἔτη τυγχάνει σϟβʹ, ἔζησεν (a) δὲ Νῶε κατὰ τοὺς αὐτοὺς μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη τνʹ, δῆλος ἐςὶ παρατείνας τὴν ζωὴν μέχρι νηʹ ἔτους Ἀβραάμ. Ἔςι δὲ ϗ ἄλλως τὴν ἀτοπίαν συνιδεῖν τῶν παρὰ Ἰουδαίοις (b) ἀντιγράφων, ἀπὸ τοῦ τριακονταετεῖς ἀναγράψαι τοὺς πρὸ τοῦ Ἀβραὰμ πεπαιδοποιημένους, ὁπότε οἱ μετὰ τὸν Ἀβραὰμ ἱςοροῦνται πρεσβύτεροι τῶν λʹ ἐτῶν ἐπὶ τὴν παιδοποιΐαν ἐλθεῖν. Πανταχόθεν τοιγαροῦν τῆς τῶν Οʹ ἑρμηνείας ἐκ παλαιᾶς, ὡς ἔοικε, ϗ ἀδιαςρόφου Ἑβραίων γραφῆς μεταβεβλῆσθαι συνιςαμένης, εἰκότως ταύτῃ ϗ (c) ἡμεῖς κεχρήμεθα κατὰ

τὴν

(a) ἔζησεν ex MS. A & B; Goarus ἔζησε; Scalig. vero mendoſe ἔζης.

(b) παρὰ Ἰουδαίοις, ex cod. B: nam Edd. Scalig. & Goar. perperam παρ' Ἰουδαίοις.

(c) καὶ ſuppletur ex utroque MS., & Sca-

luvio ad Abraham anni intercedunt CCXCII., vixit autem Noe juxta eosdem post diluvium annos CCCL., consequens est eumdem vitam produxisse usque ad LVIII. annum Abrahæ. Alio etiam argumento proditur absurditas quæ in Judæorum exemplaribus inest, nempe ex eo quod qui Abrahamum præcesserunt, annos XXX. natos generandis liberis operam dedisse scribat, quando qui Abrahamum subsequuti sunt, referuntur generasse demum post illam ætatem. Itaque cum interpretationem LXX. seniorum ex antiqua, ut par fuit, & incorrupta Hebræorum Scriptura derivatam fuisse omnino constet, merito

Scalig. Hunc porro locum Eusebii indicavit potissimum Syncellus pag. 67., cum scripsit: τῇ γὰρ πλεοναζούσῃ τῶν δύο, τῆς τε κατὰ τὸ Ἑβραϊκὸν, τῆς τε παρὰ Σαμαρείταις, ἐκδόσει τῶν Ο' κέχρηται, ὥς φησὶν, ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ: de quibus verbis fuse egi in Dissert. pag. 179. & seqq.

τὴν παροῦσαν χρονογραφίαν· ὅτε μάλιστα καὶ ἡ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἡπλωμένη Χριστοῦ Ἐκκλησία ταύτῃ προσέχει, τῶν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἀποστόλων τε καὶ μαθητῶν ἀρχῆθεν ταύτῃ (a) χρῆσθαι παραδεδοκότων.

X.

Ἔστι τοίνυν κατὰ τοὺς Ο', τὰ μὲν ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ,βσμβ', τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος (b) Ἀβραὰμ ἔτη ϡμβ'· τὰ πάντα ἔτη ,γρπδ'. Κατὰ δὲ τὸ παρὰ Ἰουδαίοις Ἑβραϊκὸν ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ,αχνς'· ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη σϟβ'· τὰ πάντα ἔτη ,αϡμη'.

(a) ταύτῃ ex MS. A, & Scalig.: codex B ταύτην præfert, Goarus αὐτῇ edidit.

rito nos quoque hac usi sumus in præsenti chronographia : cum præsertim Christi Ecclesia per universum terrarum orbem diffusa, ejus tantum rationem habeat, eo quod ipsi Salvatoris nostri Apostoli & discipuli ab initio hac utendum tradiderint.

X.

Sunt itaque secundum LXX. ab Adam ad diluvium anni MMCCXLII., a diluvio autem usque ad primum annum Abraham, DCCCCXLII.: omnes simul anni MMMCLXXXIV.. Juxta vero Hebraicum exemplar Judæorum ab Adam ad diluvium anni MDCLVI., a diluvio ad primum annum Abraham, CCXCII.: omnes

 anni

(b) ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος) Ita MS. B, cui & A consentit, præferens ἐπὶ τὸ α´ ἔτος. Goarus, ἕως τοῦ πρώτου ἔτους.

,αϡμή. Κατὰ δὲ τὸ παρὰ Σαμαρείταις Ἑβραϊκὸν, ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ,ατζ'. ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη ϡμβ'. ὁμοῦ τὰ πάντα (a) ἔτη ,βσμθ'.

XI.

Ὁ δὲ (b) Εὐσέβιος περὶ τοῦ Μαθουσάλα φησὶν, ὅτι,, τοῦτον ὑπερ-,, βῆναι τὸν κατακλυσμὸν (c) ὁ τῆς,, ζωῆς

(a) MS. B, τὰ πάντα ὁμοῦ.

(b) De Mathufalæ annis, ex Syncell. pag. 20.

(c) Apud Goarum in margine ponuntur heic, ἔτη ιδ': cetera vero defiderantur ufque ad, καὶ ταῦτα Εὐσέβιος. Idem porro in Obfervat. pag. 9. hæc habet — "Ετη ιδ') *Quatuordecim dumtaxat annos Mathufala diluvium exceffiffe, qui LXX. Interpretum fequuntur textum, pofuere, nec Africanus* (cur heic Africanum nominet,

anni simul, MDCCCCXLVIII. Denique secundum Samaritarum Hebraicum exemplar, ab Adam ad diluvium anni MCCCVII., a diluvio usque ad primum annum Abraham anni DCCCCXLII.: summa omnium annorum, MMCCXLIX.

XI.

Eusebius vero de Mathusala hæc tradit; *nimirum*, numerum annorum ejus vitæ evincere ipsum

Hh 2 super-

net, ignoro: Syncellus potius, vel si mavis, Eusebius erat ponendus) *quintumdecimum potuit admittere*: *unde mirum*, *cur cum in textu pag.* 4., *tum in Notis pag.* 243. *Scaligero placuerit quindecim numerare* (lege tamen seq. Notam, & mirari desines). *Solis quatuordecim oneratur nostri textus ora*, *aliis haud dubie in textus ejusdem sensu desideratis*, *indice de librarii defectu lectorem admonente*, *&* *ad marginem desiderata repertturum*

„ ζωῆς αὐτοῦ ἀριθμὸς παρίσησιν:
„ εἰ δὲ ..... τινὰ πῶν ἀντιγράφων
„ ἔχειν ἑ έ δὲ τη τὸν κατακλυσ-
μὸν „. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Ευσέβιος·
ὅπερ ἐάν τις ἀληθὲς εἶναι δῷ, ἐυ-
ρεθήσεται ὁ Μαθουσάλα ἐννακοσίων
τεσσαράκοντα ἐννέα ἐτῶν τελευτή-
σας· καὶ ἔσαι ὁ Ιάρεδ ὁ τούτου πάπ-
πος πολυχρονιώτερος αὐτοῦ, ζήσας
ἔτη ἐννακόσια ἑξήκοντα δύο· ὁμολο-
γούμενον δέ ἐσι πᾶσιν, ὅτι πάν-
των ἀνθρώπων μακροβιώτατος ὢν ὁ
Μαθουσάλα, καὶ ὅτι ἐν τῷ κατακλυσ-
μῷ τέθνηκε. διὸ μᾶλλον ἄν τις τῷ
ἑκα-

---

turum amandante. verum obliteratis characteribus & corrosa membrana, potioribus oculos fugientibus, vix legi quidquam potest, aut etiam opinione colligi. Hæc ille. sed Domnus Antonius Pouget, Congregationis S. Mauri Monachus, & de Bibliotheca San-Germanensi optime meritus, acutius multo Goaro vidit: nam notavit in eodem Regio cod. 2217., unde pro-

superstitem fuisse diluvio: sin vero ...... quædam exemplaria habere .... diluvium. *Et hæc quidem Eusebius. Quod si verum esse concedamus, sequetur Mathusalem obiisse annos DCCCCXLIX natum. eritque Jared ejus avus, qui vixit annis DCCCCLXII., ipso longævior, cum in confesso apud omnes sit Mathusalem omnes homines diuturnitate vitæ superasse, & quod in diluvio obierit. Potius itaque quispiam putaverit Mathusalem natum anno Enochi CLIII.,*

prodiit Syncelli Editio, post τὸν κατακλυσμὸν haberi in textu signum quoddam, eique aliud simile respondens in margine, post quod hæc omissa restituuntur, ὁ τῆς ζωῆς, & quæ sequuntur; ita tamen ut non omnia perspicue legi ab eo potuerint. Apparet tamen ἔτη ιδ' non esse ex Eusebio aut Syncello (in quo certe Goarus alucinatus est) idque confirmari videtur ex sequenti Fragmento, in quo anni non XIV. sed omnino XV. bis numerantur.

ἑκατοστῷ πεντηκοστῷ τρίτῳ ἔτει τοῦ Ἐνὼχ ὑπολάβοι τὸν Μαθουσάλα γεννηθῆναι, τοῦτ᾽ ἐστὶ τῷ χιλιοστῷ διακοσιοστῷ ἑβδομηκοστῷ τρίτῳ ἔτει τοῦ κόσμου· τούτοις γὰρ προστιθέμενα τὰ ἐννακόσια ἑξήκοντα ἐννέα ἔτη τῆς τοῦ Μαθουσάλα ζωῆς, ποιεῖ ,βσμβ', οἷς καὶ ὁ κατακλυσμὸς συντρέχει, καθ᾽ ὃν τέθνηκεν ὁ Μαθουσάλα.

Τῷ (a) ,βσλϛ' Μαθουσάλα ἐτελεύτησεν.

XII.

Οὗτος [Μαθουσάλα] κατὰ (b) τὰς ἁπανταχοῦ τῆς Γενέσεως βίβλους ὑπερέβη τὸν κατακλυσμὸν ἔτεσι ιέ (c), ὡς ἄπορον εἶναι ποῦ διεσώθη

(a) Ex eodem Syncel. pag. 22.
(b) Syncellus pag. 114.
(c) ἔτεσι ιέ) Goarus in margine substituit

hoc est MCCLXXIII. ab orbe condito : his enim additi anni Mathusalæ DCCCCLXIX., conficiunt summam annorum IIMCCXLII., in quos concurrit & diluvium, cujus tempore obiit Mathusalem.

Anno mundi MMCCXXXVI. Mathusala diem obiit.

XII.

Hic [Mathusalem] *juxta omnes qui ubicumque sunt Geneseos codices superstes fuit post diluvium annis XV., adeo ut definiri nequeat ubi-*

tuit ιδ', tum heic tum paullo infra, ubi rursus habetur in textu, ἔτεσι ιε' : in Observat. vero hæc adnotavit : *Immemor*

θη ἐν τῷ κατακλυσμῷ· τινὲς δὲ φασὶν, ὧν εἷς ὁ Ἐυσέβιος, ἔχειν (a) τινὰ τῶν ἀντιγράφων, ὅτι ϡπβ' (b) ἐπέζησε μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν· ὡς γίνεσθαι πάντα (c) τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον ἔτη ϡμθ'· ὅπερ οὐκ εὖ ἔχειν δοκεῖ· Ἔσονται γὰρ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον αἱ ἀνὰ πάσας τὰς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἱεραὶ βίβλοι τῆς

Γενέ-

---

mor eorum quæ pag. 20. b. c. d. *ſcripſit*,
ſibi ipſi non conſtat Auctor. *Emendatio* ιέ
in ιδ' *ex ſcribendis probatur*. At nihil eſt,
pag. 20. quod repugnet lectioni ιέ, niſi il-
lud ἔτη ιδ', quod ipſe Goarus ſupplevit: po-
tuit autem Syncellus XV. annis Mathu-
ſalem ſuperſtitem diluvio facere, ab ejuſ-
dem diluvii initio numerare incipiens;
licet S. Hieronymus aliique paſſim XIV.
tantum ponant, diluvii finem reſpicien-
tes. Scaliger pag. 4. Græc. Collectaneo-
rum, hoc ipſum fragmentum ſub Euſe-
bii nomine (ommiſſis his, ὧν εἷς ὁ Ἐυσέ-
βιος) referens, legit pariter ιέ: in Notis
tamen pag. 403. col. 1., *Superſunt*, inquit,
anni

ubinam diluvii tempore servatus fuerit. Quidam vero, in quibus Eusebius, dicunt in quibusdam exemplaribus haberi, eum postquam genuit, vixisse annos omnino DCCLXXXII.: atque adeo omne vitæ ipsius spatium fuisse annorum DCCCCXLIX., *quod non recte se habere videtur. Ita enim fieret, ut omnes*

anni XIV., quos post diluvium vixerit Mathusala: quod est absurdum. Eusebius & alii ponunt XV. Itaque merito miratur Eusebius, ποῦ διεσώθη ἐν τῷ κατακλυσμῷ. non enim Arcam ingressus est. Sed quod dicit de Eusebio, de Syncello intellige. verum de his fusius in Observationibus nostris.

(a) Scaliger paullo ante laudato loco hæc referens, ad hunc modum interpolavit: τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων ἔχει, ὅτι ͵ψπβʹ ἔτη ἐπέζησεν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτόν· ὡς γίνεσθαι τὸν πάντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον ἔτη ͵Ϡμθʹ.

(b) ͵ψπβʹ) Apud Scaligerum additur ἔτη, quod perplacet.

(c) πάντα) Scaliger legit τὸν πάντα.

Γενέσεως διεσφαλμέναι (a), ϡξθ' ἔτη ἱϛοροῦσαι τὸν Μαθουσάλα· ἔϛαι δὲ καὶ Ἰάρεδ μακροβιώτερος αὐτοῦ ἔτη ιγ' (b), ϡξβ' ζήσας ἔτη, ὅπερ οὐδενὶ συμπεφώνηται. διόπερ οὐ χρὴ διὰ τὸ φάναι συναπολέσθαι αὐτὸν τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ, διὰ τοῦτο ϡμθ' μόνα ἔτη βεβιωκέναι. Ἀλλὰ οὐδὲ Ἀφρικανῷ πειθόμεθα προϛιθέντι τὰ αὐτὰ κ' ἔτη, καὶ ϡπθ' λέγοντι τοῦ Μαθουσάλα, ἀντὶ ϡξθ' (c). Λοιπὸν οὖν κρεῖσσον εἶναι δοκεῖ τοῖς καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην ἑπομένους ἱεραῖς βίβλοις, ϡξθ' λέγειν τῆς ζωῆς Μαθουσάλα, εἰ καὶ (d) τὸν κατακλυ-

(a) Pro διεσφαλμέναι Scaliger (pag. 403. Not. in græc. Euſeb. hæc & ſequentia producens) legit διεφθαρμέναι, eadem ſignificatione: apud eumdem ſequitur, αἱ ϡξβ' ἔτη ἱϛοροῦσι τοῦ Μαθουσάλα. Equidem τοῦ Μαθουσάλα melius ſe habet, quam τὸν M.

(b) ἔτη ιγ') Apud Scalig. mendoſe, ἔτη κγ'.

omnes per universam Dei Ecclesiam Geneseos libri Mathusalæ annos DCCCCLXIX. tribuentes aberrarent. esset etiam Jared longævior illo annis XIII., cum vixerit annis DCCCCLXII.: quod tamen a nemine conceditur. Itaque non oportet eum annis tantum DCCCCXLIX. vixisse, propterea quod videatur eum interire debuisse una cum iis qui diluvio perierunt. Verumtamen neque Africano assentimur addenti alios XX. annos Mathusalæ, & loco DCCCCLXIX. dicenti DCCCCLXXXIX.. Satius igitur esse videtur,

(c) Egregie fallitur Syncellus: nam Africanus XX. quidem annos Mathusalæ addidit ante Lamechi generationem, at eosdem subduxit ex reliquis vitæ ejus annis: adeo ut juxta eumdem Africanum omnino vixerit ille DCCCCLXIX. annis.


(d) εἰ καὶ) Apud Scalig. εἰ δὲ, minus bene.

κλυσμὸν ὑπερβέβηκεν ἔτεσι ιέ (a), τοῦ Θεοῦ κἀκεῖνον ἴσως, ὡς τὸν Ἐνὼχ, περισώσαντος παραδόξως, καθ' οὓς οἶδε τρόπους καὶ τόπους.

(a) ἔτεσι ιϛ' habet & Scaliger.



tur, inhærendo ſacris libris per univerſum orbem diffuſis, annos vitæ Mathuſalæ DCCCCLXIX. *dicere, quamvis ita diluvio ſuperſtes evadat annis* XV., *Deo forte ipſum, ſicut & Enoch, mire conſervante iis quos ipſe novit modis & locis.*



OBSER-

OBSERVATIONES
IN PRÆCEDENTIA
EUSEBII FRAGMENTA.

CAP. I.

Ea primum Fragmenta Eusebio asseruntur, & ex ejus I. libro de Temporibus sumta probantur.

1. FRagmenta quæ sub Eusebii nomine dedimus, eidem modo strenue asserere & vindicare muneris nostri potissimum esse agnoscimus & fatemur. Itaque ut id statim atque ordine præstemus, in duas ea classes distinguimus; quarum prima constet ex laterculis, seu Canonibus Patriarcharum, altera vero ex iis quæ præterea accedunt. Quod ad primam classem spectat, paucis nosmet expediemus: nam eam ad Eusebium auctorem esse referendam manifesto evincit Syncelli testimonium, quo eadem ad verbum se

ex illius scriptis descripsisse non semel profitetur: itaque & a Scaligero in *Thesaurum Temporum* fuerunt recepta, & ab omnibus passim pro Eusebianis habentur & laudantur. Quod autem ex Eusebii primo libro de temporibus ea sumserit Syncellus, tum alia multa suadent, tum evincunt ejus verba supra a nobis pag. 179. & seq. allata & expensa. Unus tamen, quis crederet? inventus est Vallarsius, qui nodum in scirpo quærens, de his dubitare maluerit, *pro vere Eusebianis non constare* pronuntians: nempe ea una de caussa, quod cum suo illo *Exordio libri*, quod germanissimum Eusebianum censet, non satis illa concordare videret. Ejus hæc ipsa verba sunt in Notis, col.40.: *Syncellus quoque triplicem Eusebii computum in hisce recensendis generationibus, primo juxta LXX., deinde juxta Hebræum, tertio juxta Samaritanum exemplar, refert. Et cum ab Eusebio* πρὸς λέξιν *loca ipsa profiteatur se descripsisse, videtur ab hoc ipso Chronici*

Proœ-

Procemio, *&* *loco quo ista narrantur*, *accepisse*. *Nibilo secius ab hoc ipso Scaligeriano contextu* (de quo diximus supra in Differt. nostra pag. 35.) *sæpius differt* : *neque adeo nos Græca afferimus*, *quæ pro vere Eusebianis non constant*. *Tute videsis Edit. Venet. pag.* 65. 66. *&* *seqq.* Quid? quod in Præfatione ejus Tomi pag. XVII. hæc contra Scaligerum de his ipsis scribit : *Miseret me ejus laboris inutilis*, *quo præcedentes Abraamiticam æram historias procudit ex Hebraico exemplari & Samaritico*, &c. : quasi nimirum primum ea Scaliger ipse confinxerit. Hæc ille : quæ sane nolim ego ab eo scripta : itaque neque refutanda quidem mihi esse judico . tantum iis quæ contra *Exordii* illius germanitatem disputavi in quampluri-mis Differtationis præcedentis locis, addam quæ de ipso scripsit Jacobus Usserius, Chron. Sacræ cap. VI., quo de secundo Cainan agit. *Neque alicujus est momenti*, inquit, *quod ab Henrico Philippæo opponitur* : *Eusebium*

qui-

quidem, aliquando dissimulare Cainan: *sed quum eum* alibi exprimat, negasse non esse censendum. *Fefellit enim hic eum socius ipsius Jacobus Salianus, qui in tertii Annalis Proœmio hoc ex latina Eusebii Chronici versione, in Præfatione cujus est initium;* Incipiunt tempora; *confirmat; atque locis aliquot pro Cainane facientibus ex putido illo Excerptorum Barbarolatinorum libello, a Scaligero edito, descriptis, ex illis videre nos posse concludit,* pro qua sententia Eusebius stare censendus sit; *quasi qui aliquid omnino videat, Excerpta illa non ex Eusebio solo, sed ex aliis etiam ab Eusebii Chronographia summe dissentientibus desumta fuisse ignorare potuerit: & alteram illam Præfationem (ut eam Saliano appellare libuit)* aut alius auctoris esse, aut pauca Eusebiana intermixta ha*bere ipse Scaliger non monuerit; & illud ad præsentem caussam attinere satis non evicerit, quod in ea* ab anno diluvii usque ad nativitatem Abrahæ anni 1072. *numerentur: quum Eusebius*

Ii *juxta*

ſcit Scaliger (*) *Animadv. pag.* 13. & *non ſemel, ſed iterum pag.* 252., &c., nihil tamen ipſe definiens. Sequitur tertio loco Jacobus Uſſerius, qui in Chron. Sacræ cap. 2, tradit Georgium Syncellum *concludere reliquis omnibus præferendam, eam eſſe Chronologiam, quam Græca LXX. Interpretum nobis exhibet editio*: Παντάχόθεν σεσυγχρονοῦν, cum ceteris quæ habentur ſupra, num. IX. Eadem porro verba Syncello, aut Africano tribuunt Iſ. Voſſius, & Humfredus Hodius. Hujus enim hæc verba ſunt lib. III. par. I. cap. III. num. 16. Operis *De Bibliorum textibus Originalibus*, &c.: *Si credimus Voſſio* (Reſp. ad objecta Criticæ V. T.) Africanus, & ex eo Syncellus, manifeſte affirmant codices hebræos non convenire, & multa continere abſurda,

(*) Hi tamen loci in ſecunda Edit. Theſauri Scalig. non habentur. Ceterum, ſi vere Euſebiana hæc habuiſſet Scaliger, non in Notis tantum eorum meminiſſet, ſed ipſis prioris libri græcis reliquiis inſeruiſſet.

da: quæ postquam enumeravit, addit merito omnes Chronologos sequi LXX. Interpretum versionem, utpote quæ facta sit antequam perverterentur hebræa exemplaria: Πανταχόθεν τοίγαροῦν (cum sequentibus). Nec hoc, *inquit*, tantum loco, sed & alibi corruptos esse dicit in hebræis codicibus annorum numeros. *Longe fallitur Vossius, cum verba illa, atque ejusmodi alia, quæ sunt tantum Syncelli* (pag. 89.), *Africano adscribit*. Hæc contra Vossium Hodius; qui rursus cap. X. n. 2. de Syncello agens ita scribit: *G. Syncellus Chronographus, qui scripsit an. 792., solus inter Græcos, ut Julius Toletanus solus inter Latinos, codicibus græcis adversus hebraicos aperte patrocinatur; verum uterque tantum in re chronologica: certe editionis LXX. chronologiam in annis ad diluvium & inde ad Abrahamum supputandis, Hebraicæ diserte præfert*. Tum quasi ex eodem Syncello recitat ex Goari versione totum locum, qui habetur pag. 89. Ed. Par., & respon-

θη ἐν τῷ κατακλυσμῷ· τινὲς δὲ φασὶν, ὧν εἷς ὁ Εὐσέβιος, ἔχειν (a) τινὰ τῶν ἀντιγράφων, ὅτι ϡπβʹ (b) ἐπέζησε μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν· ὡς γίνεσθαι πάντα (c) τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον ἔτη ϡμθʹ· ὅπερ οὐκ εὖ ἔχειν δοκεῖ· Ἔσονται γὰρ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον αἱ ἀνὰ πάσας τὰς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἱεραὶ βίβλοι τῆς Γενέ-

---

mor eorum quæ pag. 20. b. c. d. *scripsit, sibi ipsi non constat Auctor. Emendatio ιέ in ιδ ex scribendis probatur.* At nihil est, pag. 20. quod repugnet lectioni ιέ, nisi illud ἔτη ιδ, quod ipse Goarus supplevit: potuit autem Syncellus XV. annis Mathusalem superstitem diluvio facere, ab ejusdem diluvii initio numerare incipiens, licet S. Hieronymus aliique passim XIV. tantum ponant, diluvii finem respicientes. Scaliger pag. 4. Græc. Collectaneorum, hoc ipsum fragmentum sub Eusebii nomine (ommissis his, ὧν εἷς ὁ Εὐσέβιος) referens, legit pariter ιέ: in Notis tamen pag. 403. col. 1., *Supersunt*, inquit, *anni*

ubinam diluvii tempore servatus fuerit. Quidam vero, in quibus Eusebius, dicunt in quibusdam exemplaribus haberi, eum postquam genuit, vixisse annos omnino DCCLXXXII.: atque adeo omne vitæ ipsius spatium fuisse annorum DCCCCXLIX., *quod non recte se habere videtur. Ita enim fieret, ut omnes*

---

anni XIV.. quos post diluvium vixerit Mathusala: quod est absurdum. Eusebius & alii ponunt XV. Itaque merito miratur Eusebius, ποῦ διεσώθη ἐν τῷ κατακλυσμῷ. *non enim Arcam ingressus est.* Sed quod dicit de Eusebio, de Syncello intellige. verum de his fusius in Observationibus nostris.

(a) Scaliger paullo ante laudato loco hæc referens, ad hunc modum interpolavit: τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων ἔχει, ὅτι ͵ψπβʹ ἔτη ἐπέζησεν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτόν· ὡς γίνεσθαι τὸν πάντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον ἔτη ͵Ϡμθʹ.

(b) ͵ψπβʹ) Apud Scaligerum additur ἔτη, quod perplacet.

(c) πάντα) Scaliger legit τὸν πάντα.

Γενέσεως διεσφαλμέναι (a), ϡξθ' ἔτη ἱστοροῦσαι τὸν Μαθουσάλα· ἔσται δὲ καὶ Ἰαρὲδ μακροβιώτερος αὐτοῦ ἔτη ιγ' (b), ϡξβ' ζήσας ἔτη, ὅπερ οὐδενὶ συμπεφώνηται. διόπερ οὐ χρὴ διὰ τὸ φάναι συναπολέσθαι αὐτὸν τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ, διὰ τοῦτο ϡμθ' μόνα ἔτη βεβιωκέναι. Ἀλλὰ οὐδὲ Ἀφρικανῷ πειθόμεθα προστιθέντι τὰ αὐτὰ κ' ἔτη, καὶ ϡπθ' λέγοντι τοῦ Μαθουσάλα, ἀντὶ ϡξθ' (c). Λοιπὸν οὖν κρεῖσσον εἶναι δοκεῖ τοῖς καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην ἑπομένους ἱεραῖς βίβλοις, ϡξθ' λέγειν τῆς ζωῆς Μαθουσάλα, εἰ καὶ (d) τὸν κατακλυ-

κλυ-

(a) Pro *διεσφαλμέναι* Scaliger (pag. 403. Not. in græc. Euſeb. hæc & ſequentia producens) legit *διεφθαρμέναι*, eadem ſignificatione: apud eumdem ſequitur, *αἳ ϡξβ' ἔτη ἱστοροῦσι τοῦ Μαθουσάλα*. Equidem *τοῦ Μαθουσάλα* melius ſe habet, quam *τὸν* M.

(b) *ἔτη ιγ'*) Apud Scalig. mendoſe, *ἔτη κγ'*.

omnes per universam Dei Ecclesiam Geneseos libri Mathusalæ annos DCCCCLXIX. tribuentes aberrarent. esset etiam Jared longævior illo annis XIII., cum vixerit annis DCCCCLXII.: quod tamen a nemine conceditur. Itaque non oportet eum annis tantum DCCCCXLIX. vixisse, propterea quod videatur eum interire debuisse una cum iis qui diluvio perierunt. Verumtamen neque Africano assentimur addenti alios XX. *annos Mathusalæ, & loco* DCCCCLXIX. *dicenti* DCCCCLXXXIX.. *Satius igitur esse videtur,*

(c) Egregie fallitur Syncellus: nam Africanus XX. quidem annos Mathusalæ addidit ante Lamechi generationem, at eosdem subduxit ex reliquis vitæ ejus annis: adeo ut juxta eumdem Africanum omnino vixerit ille DCCCCLXIX. annis.


(d) εἰ καὶ) Apud Scalig. εἰ δὲ, minus bene.

κλυσμὸν ὑπερβέβηκεν ἔτεσι ιέ (a), τοῦ Θεοῦ κἀκεῖνον ἴσως, ὡς τὸν Ἐνὼχ, περισώσαντος παραδόξως, καθ' οὓς οἶδε τρόπους καὶ τόπους.

(a) ἔτεσι ιέ habet & Scaliger.



tur, inhærendo ſacris libris per univerſum orbem diffuſis, annos vitæ Mathuſalæ DCCCCLXIX. dicere, quamvis ita diluvio ſuperſtes evadat annis XV., Deo forte ipſum, ſicut & Enoch, mire conſervante iis quos ipſe novit modis & locis.



OBSER-

OBSERVATIONES
IN PRÆCEDENTIA
EUSEBII FRAGMENTA.

CAP. I.

Ea primum Fragmenta Eusebio asseruntur, & ex ejus I. libro de Temporibus sumta probantur.

1. FRagmenta quæ sub Eusebii nomine dedimus, eidem modo strenue asserere & vindicare muneris nostri potissimum esse agnoscimus & fatemur. Itaque ut id statim atque ordine præstemus, in duas ea classes distinguimus; quarum prima constet ex laterculis, seu Canonibus Patriarcharum, altera vero ex iis quæ præterea accedunt. Quod ad primam classem spectat, paucis nosmet expediemus: nam eam ad Eusebium auctorem esse referendam manifesto evincit Syncelli testimonium, quo eadem ad verbum se

ex

ex illius scriptis descripsisse non semel profitetur: itaque & a Scaligero in *Thesaurum Temporum* fuerunt recepta, & ab omnibus passim pro Eusebianis habentur & laudantur. Quod autem ex Eusebii primo libro de temporibus ea sumserit Syncellus, tum alia multa suadent, tum evincunt ejus verba supra a nobis pag. 179. & seq. allata & expensa. Unus tamen, quis crederet? inventus est Vallarsius, qui nodum in scirpo quærens, de his dubitare maluerit, *pro vere Eusebianis non constare* pronuntians: nempe ea una de caussa, quod cum suo illo *Exordio libri*, quod germanissimum Eusebianum censet, non satis illa concordare videret. Ejus hæc ipsa verba sunt in Notis, col. 40.: *Syncellus quoque triplicem Eusebii computum in hisce recensendis generationibus, primo juxta LXX., deinde juxta Hebræum, tertio juxta Samaritanum exemplar, refert. Et cum ab Eusebio* πρὸς λέξιν *loca ipsa profiteatur se descripsisse, videtur ab hoc ipso Chronici*

Proœ-

Procemio, *& loco quo ista narrantur*, *accepisse*. *Nibilo secius ab hoc ipso Scaligeriano contextu* (de quo diximus supra in Dissert. nostra pag. 35.) *sæpius differt* : *neque adeo nos Græca asserimus*, *quæ pro vere Eusebianis non constant*. *Tute videsis Edit. Venet. pag.* 65. 66. *& seqq.* Quid? quod in Præfatione ejus Tomi pag. XVII. hæc contra Scaligerum de his ipsis scribit : *Miseret me ejus laboris inutilis*, *quo præcedentes Abraamiticam æram historias procudit ex Hebraico exemplari & Samaritico*, &c.: quasi nimirum primum ea Scaliger ipse confinxerit. Hæc ille : quæ sane nolim ego ab eo scripta : itaque neque refutanda quidem mihi esse judico . tantum iis quæ contra *Exordii* illius germanitatem disputavi in quampluri-mis Dissertationis præcedentis locis, addam quæ de ipso scripsit Jacobus Usserius, Chron. Sacræ cap. VI., quo de secundo Cainan agit. *Neque alicujus est momenti*, inquit, *quod ab Henrico Philippæo opponitur* : *Eusebium*

qui-

quidem, aliquando dissimulare Cainan: *sed quum eum alibi exprimat, negasse non esse censendum. Fefellit enim hic eum socius ipsius Jacobus Salianus, qui in tertii Annalis Proœmio hoc ex latina Eusebii Chronici versione, in Præfatione cujus est initium;* Incipiunt tempora; *confirmat; atque locis aliquot pro Cainane facientibus ex putido illo Excerptorum Barbarolatinorum libello, a Scaligero edito, [illegible], ex illis videre nos posse concludit*, pro qua sententia Eusebius stare censendus sit; *quasi qui aliquid omnino videat, Excerpta illa non ex Eusebio solo, sed ex aliis etiam ab Eusebii Chronographia summe dissentientibus desumta fuisse ignorare potuerit: & alteram illam Præfationem (ut eam Saliano appellare libuit)* aut alius auctoris esse, aut pauca Eusebiana intermixta *habere ipse Scaliger non monuerit; & illud ad præsentem caussam attinere satis non evicerit*, quod in ea ab anno diluvii usque ad nativitatem Abrahæ anni 1072. *numerentur: quum Eusebius numerum*

juxta

juxta Septuaginta interpretationem, quam juxta textum Samaritanum, a diluvio usque ad primum annum Abrahæ annos 942. supputaverit. Hæc Usserii verba retulisse non inutile fuerit, etiam propter ea quæ pag. 82. & seqq. de hoc secundo Cainane contra Vallarsii sententiam cum Saliani dictis usquequaque congruentem notavimus.

2. Porro quæ in secunda classe collocavimus Fragmenta, ea sunt in quibus Eusebio vindicandis operam, ut spero, nostram utiliter collocabimus; nam nunc primum sub ejusdem nomine prodeunt, refragrantibus etiam doctissimorum virorum suffragiis. Sed juvabit primum, quod tulerunt illi judicium de his Fragmentis, referre. Primum sibi Scaliger locum merito vindicat, utpote qui Syncellum habuerit & excerpserit, nondum typis impressum. Hic itaque, quum sibimet proposuisset græcas Eusebii reliquias ex Syncello potissimum colligere, nullam tamen harum ratio-

nem

nem habuit; quin immo in Notis pag. 410. col. 2. & pag. 413. col. 2., quædam ex iis producens quæ habentur supra sub num. III. & IX., tum ea Georgio Syncello sine ulla ambiguitate adscribit, tum in eumdem quod ea scripserit, vehementer invehitur. Quid plura? jam vidimus Par. II. præced. Dissert. §. X. Scaligerum tradere, Eusebium computum Hebræorum prætulisse ceteris: quod sane dixisset numquam, si hæc esse germana Eusebii fragmenta vel leviter subodoratus esset. Goarus, qui tandem Syncelli editionem curavit, quum soleat, ut ipse in Præfat. monuit, Eusebii verba *virgulis appositis* distinguere; nil tamen habet quod a Syncelli textu ea Fragmenta discriminet: sed neque in ejus Notis aliquod ejus rei indicium prodit: nisi quod in ea verba: Ἐςι τοίνυν κατὰ τοὺς Ο', &c., quæ habentur supra sub num. X., hæc adnotat: *Verborum istorum auctorem Eusebium agno-*

scit. Scaliger (*) *Animadv. pag.* 13. & *non semel, sed iterum pag.* 252., &c., nihil tamen ipse definiens. Sequitur tertio loco Jacobus Usserius, qui in Chron. Sacræ cap. 2. tradit Georgium Syncellum *concludere reliquis omnibus præferendam, eam esse Chronologiam, quam Græca LXX. Interpretum nobis exhibet editio*: Πανταχόθεν παγχαροῦς, cum ceteris quæ habentur supra, num. IX. Eadem porro verba Syncello, aut Africano tribuunt Is. Vossius, & Humfredus Hodius. Hujus enim hæc verba sunt lib. III. par. I. cap. III. num. 16. Operis *De Bibliorum textibus Originalibus*, &c.: *Si credimus Vossio* (Resp. ad objecta Criticæ V. T.) Africanus, & ex eo Syncellus, manifeste affirmant codices hebræos non convenire, & multa continere absurda,

(*) Hi tamen loci in secunda Edit. Thesauri Scalig. non habentur. Ceterum, si vere Eusebiana hæc habuisset Scaliger, non in Notis tantum eorum meminisset, sed ipsis prioris libri græcis reliquiis inseruisset.

da: quæ postquam enumeravit, addit merito omnes Chronologos sequi LXX. Interpretum versionem, utpote quæ facta sit antequam perverterentur hebræa exemplaria: Παντταχόθεν τοιγαροῦν (cum sequentibus). Nec hoc, *inquit*, tantum loco, sed & alibi corruptos esse dicit in hebræis codicibus annorum numeros. *Longe fallitur Vossius, cum verba illa, atque ejusmodi alia, quæ sunt tantum Syncelli* (pag. 89.), *Africano adscribit*. Hæc contra Vossium Hodius; qui rursus cap. X. n. 2. de Syncello agens ita scribit: *G. Syncellus Chronographus, qui scripsit an.* 792., *solus inter Græcos, ut Julius Toletanus solus inter Latinos, codicibus græcis adversus hebraicos aperte patrocinatur; verum uterque tantum in re chronologica: certe editionis LXX. chronologiam in annis ad diluvium & inde ad Abrahamum supputandis, Hebraicæ diserte præfert*. Tum quasi ex eodem Syncello recitat ex Goari versione totum locum, qui habetur pag. 89. Ed. Par., & respon-

 det

det græco Eusebii textui a nobis num. IX. exhibito. Idem cap. VI. de Eusebio agens, Scaligerum pone sequens, hæc tradit: *In libris Chronicorum quamvis calculos græcæ versionis, utpote cunctis notiores, potissimum sequatur, Cainanem tamen juniorem, quem ponit translatio, non admittit, ut testatur passim Syncellus; & numeros quoque codicis Hebraici atque etiam Samaritani accurate percenset, & Hebraicos se ceteris præferre totidem verbis declarat:* Hæc trium codicum, *inquit Scaliger*, (&c., quæ a nobis in Diss. nostra pag. 184. & seq. alia occasione descripta & refutata sunt; tum sequitur Hodius) *Satis duxit Eusebius monuisse, se Hebraicam annorum dinumerationem præferre; alteram ponit ex hypothesi vulgari. In Proœmio lib. II. Eusebius sic scribit:* Ἐυρὼν δὲ, &c.: reperiens penes Hebræos diversam computandi rationem, aliam excedentem (*quæ Græcæ versionis est & cod. Samaritani*) aliam deficientem (*quæ codicis est Hebræi*) hanc sequutus sum. Hæc omnia Ho-

Hodius. Postremo Pezronius in *Antiquitate temporum restituta*, cap. IV. circa finem, nonnulla ex Sync. pag. 84. laudat, ipsique Syncello adscribit, quæ habentur supra sub num. III. Vides itaque hos omnes, aliosque fortasse qui præterea addi possent, eruditissimos viros in eo consentire, ut illa de quibus agimus, Fragmenta Eusebio abjudicent: cum contra ne unus quidem a me sit repertus, qui secus senserit.

3. His tamen minime obstantibus, confidenter asserimus Eusebium illa scripsisse, non vero Syncellum, iis persuasi conjecturis & argumentis quæ statim proferemus. Et primum observo ea omnia Fragmenta Eusebiana, juxta triplicem diversorum codicum lectionem, Patriarcharum laterculis non modo intermixta haberi, sed & alicui ipsorum proxime adhærere, quinimmo eodem verborum contextu conjungi; adeo ut appareat eumdem, ac præcedentia, auctorem habere. Ex. gr., quæ numero III. haben-

tur, & incipiunt Ἐν τούτοις, connectuntur cum ἐν ἔτεσι φησί, quod proxime præcedit num. II. similiter num. V. incipit, Καὶ ταῦτα μὲν τὰ πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ· ἐπίωμεν δὲ, &c. quæ non modo cum præcedentibus num. IV. junguntur, sed & referuntur ad ea quæ num. I. initio habentur, Εἴδωμεν οὖν πρῶτον: eorum quoque quæ num. IX. & X. habentur, cum præcendibus Eusebianis laterculis connexio per se patet. Accedit quod nihil in his Appendicibus occurrat, quod Eusebio non conveniat, ejusque rationibus ad unguem non respondeat: cum contra in illa una quæ apud Syncellum pag. 83. statim post ejusdem Syncelli laterculum ab Adamo ad Noe (*) occurrit, singulæ re-

(*) Adhærent quidem hæc & adhærere debent Sycelli laterculo ab Adamo ad diluvium, idque ex ipsius auctoris mente primum sibi locum semper vindicavit. Nonnulla tamen sunt quæ suadent ea ultimo loco, nec nisi post recensitum triplicem ex Eusebio Canonem apposita

re lineæ Syncellum scriptorem prodant, ut ipse per se lector cognoscere potest: sunt enim hæc ipsa ejus verba ex interpretatione Goari: *Ab Adam usque ad diluvium 2242. Ita Eusebius,* (*) *& vera temporum ratio, & Mosaicorum exemplarium quamplura, secundum Septuaginta editionem testantur. Africanus quidem anno 2262., ex quibusdam raris codicibus ac nullius fidei, idem scribentibus, diluvium adscripsit. A vetustissimo itaque & longe diversis characteribus exarato Samaritanorum exemplari, licet alias fidelissimo, & ab* *He-*

posita fuisse, illa præsertim, *μέχρι τοίνυν τοῦ κατακλυσμοῦ, καθὼς προκεῖται, διαφωνοῦσι,* &c., quæ sic ad verbum verto: *Itaque usque ad diluvium, sicuti præcedit, discordant Hebraica exemplaria cum Samaritico antiquissimo,* &c. Sed fortasse pro *προκεῖται* legendum fuerit *ὑποκεῖται, sicuti sequitur,* nempe in Canonibus ex Eusebio deductis. Ceterum hi quinque Canones post Lamech intercisi a librariis fuisse videntur, & simul confusi, quum primum in quinque columnas distincti essent & distributi.

(*) Græci *οὕτω δὲ καὶ Εὐσέβιος: Ita vero & Eusebius,* &c.

Hebraeis tamquam primo probato, ipsi Hebraici codices annis 349. ad diluvium usque discrepant: a septuaginta Interpretum editione Hebraicum exemplar annis 586., Samaritanum vero 935. Africanus demum ab Eusebio dissonat annis 20. Hæc Syncellus, quæ tamen maximam partem ex Eusebio excerpsit.

4. Hæc in universum de illis Eusebianis Fragmentis. nunc singillatim eadem perpendamus: suum enim quodque præbebit peculiare indicium atque argumentum, quo Eusebio sit adscribendum, non autem Syncello. Quæ itaque sub num. III. habetur ad Canonem ex Hebræorum codicibus ductum Appendix, præter intimam quam cum præcedentibus habet connexionem, de qua jam diximus, id propositum unice habet, ut calculum τῶν LXX. potiorem hebraico esse demonstret. Non id vero agimus, ut argumenta quibus id Auctor probare nititur, expendamus, aut certa omnino & rata haberi velimus.

limus: liceat per nos aliis eadem respuere & refellere, dummodo non eo audaciæ & temeritatis cum Scaligero procedant, ut *stultissima* appellent: quamquam ille fortassis ita loququtus est, quod Syncellum, ut diximus, eorum Auctorem putaverit. At hoc nimirum est quod nos pernegamus: etenim si hæc conferas cum iis quæ paullo ante ex ipso Syncello produximus, mirum est, quantum intersit discriminis. Ille uno contextu, eoque perbrevi, componit simul suas rationes cum Eusebianis juxta LXX., tum juxta Hebræum Samaritanumque codicem, deinde etiam cum Africani. hic autem Hebraicum tantum computum cum rationibus ex versione τῶν LXX. a se primo loco expressis componit, cumque in tribus Patriarchis, Jared, Mathusala & Lamech utrosque codices convenire observet in annis ante filiorum procreationem designandis; vitiatos fuisse ab Hebræis reliquorum Patriarcharum numeros dedita ope-

ra

ra & deliberato consilio suspicatur; atque adeo pro certo habet: quod qui Hebræis favent, in ipsos potius LXX. Interpretes crimen retorquent, aut pæne necessario debent retorquere. Nam ut observavit olim S. Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. XIII.: *In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint: post genitum autem, ubi deerant, supersint; ubi supererant, desint, ut summa conveniat; & hoc in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima generatione invenitur; videtur habere quamdam, si dici potest, error ipse constantiam, nec casum redolet, sed industriam*: quamquam sanctus Doctor malit eam interpolationem librariis adscribere, qui ex Alexandrina Bibliotheca, ubi asservari putavit autographum LXX. Interpretum, primum exscripserint codices vulgares eorumdem interpretationis. Sed de hac agitatissima quæstione

ſtione non eſt inſtituti noſtri nunc agere; ſufficiat indicaſſe, hæc quæ nos Euſebio vindicamus, Syncello haud convenire: convenire autem cum iis quæ num. IX. habentur; ex utriuſque loci comparatione apparet. Illa autem Euſebii eſſe paulo infra oſtendemus, quare & hæc eidem tribuenda manifeſtum eſt.

5. Sed ad ea quæ num. V. habentur, tranſeamus: quæ quidem Syncello minime adſcribi debere, vel ex argumenti diſconvenientia elucet: Cur enim ille obiter inſtituens comparationem quinque diverſarum ab Adamo ad diluvium annos computandi rationum, mentionem injeciſſet Chaldaicarum de diluvio & arca antiquitatum, tum marinorum piſcium in Libano monte repertorum? Ex alia parte Euſebii indoli & eruditioni apprime hæc conveniunt, quippe qui tum in libro de Locis Hebr. in voce Ἀραράτ, tum Præp. Euang. lib. IX. cap. XI. referat Joſephi ex lib. I. Antiq. teſtimonium de exoticis Hiſtoricis, qui

dilu-

diluvii meminerunt. Quod autem spectat ad pisces lapideos in Libano monte effossos, & ab auctore inspectos, congruit apprime Eusebio Cæsariensi, qui non longe ab eo monte habitabat. Quid plura? Eustathius, seu quicumque fuit auctor ejus Commentarii in Hexaemeron, hæc ipsa verba habet, ex hoc Eusebii loco videlicet descripta: ἔτι γὰρ καὶ νῦν, inquit, ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας τοῦ Λιβάνου λίθους εἰς οἰκοδομήν τινες ἐκτέμνοντες, θαλαττίων ἰχθύων γένη (excidit fortasse vox διάφορα) εὑρίσκουσιν, οὓς συνέβη εἰς τὰ κοιλώματα τῶν ὀρέων συναποπαγῆναι τῇ ἰλύϊ. quæ ita reddidit Allatius: *Nam & nostris hisce temporibus in vertice Libani lapides quidam ad ædificandum excidentes, marinorum piscium varia genera inveniunt, quos tunc in cavis illis montium luto defixos concrescere contigit*. Nihil itaque certius, quam hanc Appendicem ad Eusebium auctorem esse referendam: si hæc autem Eusebii est, cur non & aliæ? quum & ipsæ peculiaribus conjecturis & argu-

mentis idem persuadeant, ac prope evincant.

6. Nam, ut ad illam quæ num. IX. habetur, transeamus, eadem Eusebium, non vero Syncellum parentem prodit potissimum eo loco, quo asserit *septuaginta Interpretum calculum nullatenus dissentire a Samaritico in annis ad Abrahamum usque recensendis*. Syncellus enim, qui eo consilio instituit quinque illorum Canonum comparationem, ut secundum Cainan omnino annumerandum ceteris Patriarchis concluderet, atque adeo spatium illud annis CXXX. supra quam Eusebius posuerat, produxit; non potuit illa scripsisse: nam Samaritani codices, qui eumdem Cainan minime agnoscunt, cum Syncelli rationibus non conveniunt. Sed & totus ille contextus non obscure eum habere indicat se auctorem, qui primus comparationem instituit trium codicum, Hebraici, Samaritani, & Græci τῶν LXX., Eusebium videlicet, quod etiam multo magis confirma-

firmatur ex iis quæ proxime sequuntur, quæque nos sub num. X. collocavimus: de quibus nunc paucis est dicendum.

7. Quæ itaque postremo loco habentur sub num. X & præcedentium epitomen exhibent, Eusebii esse evidentissime vel ex eo colligitur, quod a diluvio ad Abrahamum natum anni DCCCCXLII. ibidem numerentur, qui quidem ex Syncelli computo fuerunt & esse debent MLXX. Ceterum ex iis etiam quæ sequuntur apud Syncellum, apparet hæc ipsi prorsus esse abjudicanda: is enim quum antea, pag. 80., interrupisset seriem suam chronologicam, ut quinque illos Canones insereret, eam statim resumit. Itaque cum ibi scripsisset, Goaro interprete: *Heber annis 134. natus genuit Phaleg anno mundi 2772., & post natum Phaleg vixit annis 270. ad mundi nimirum 3041.*, heic ita sequitur: *Anno mundi 2776. septuaginta duarum nationum facta est dispersio. Porro Phaleg erat annorum quinque*, &

quæ

quæ ſequuntur, in quo calculo Cainan II. recenſetur. Hactenus de horum decem priorum & ſimul connexorum Fragmentorum auctore Euſebio ſatis, ut puto, dictum. nonnulla nunc addenda fuerint de Mathuſalæ annis juxta Euſebii mentem, quæ ex Fragmentis ſub numero XI. & XII. exhibitis, licet obſcure, colligitur: de quibus tamen agemus ſequenti capite.

C A P. II.

Proponitur Tabella Chronologica triplex ab Adamo uſque ad diluvium juxta triplicem Euſebii ſeriem, quæ deinde expenditur, potiſſimum in annis Mathuſalæ & Lamechi.

1. UT quæ ab Euſebio dicuntur de Patriarcharum annis juxta LXX. nec non Judæorum & Samaritarum codices, uno veluti intuitu, Lector, perſpicere poſſis, ob oculos tibi proponimus hoc quidem loco triplicem tabellam Chronologicam

ab Adamo ad diluvium, tum sequenti capite aliam dabimus a diluvio ad primum usque Abrahæ annum; quarum quælibet in quinque seriebus ordinatim exhibet & trifariam, quo quisque anno ab O. C. natus & mortuus sit, tum quo anno vitæ suæ generaverit, tum quot post generationem, ac demum quot in universum annis vixerit. Videsis itaque primam Tabellam heic e regione positam.

2. Porro ex iis quas dicebam, seriebus annorum quinque, secunda potissimum attendenda est, atque invicem comparanda, qua notatur annus quo quisque filios susceperit: ex ea enim pendet præcipua in summa annorum ad diluvium usque, discrepantia inter Græcos, Judæos ac Samaritanos codices; adeo ut, quod Eusebius suis locis expressit, Judæorum computus minor evadat computo Græcorum annis DLXXXVI.; Samaritarum autem ab ipso Judæorum computo annis CCCXLIX., a Græcorum autem DCCCCXXXV. distet.

Tabula prima, quæ decem primorum P
usque, sumta ex Eusebii Cæs
Judæorum

Secundum LXX. Interpretes.					
	Natus est an. Mundi	Genuit anno Vitæ suæ	Vixit postquam genuit	Vixit in universum	Mundi
1. Adam.	1	230	700	930	9
2. Seth.	230	205	707	912	11
3. Enos.	435	190	715	905	13
4. Cainan.	625	170	740	910	15
5. Melaleel.	795	165	730	895	16
6. Jared.	960	162	800	962	19
7. Enoch.	1122	165	200	365	14
8. Mathusalem.	1287	167	802	969	22
9. Lamech.	1454	188	535	723	21
10. Noe.	1642	500	450	950	25
Diluvium		Duravit		Cœpit	De
			1	2242	22

differ. Ita quidem Eusebius putavit: quamvis ejus rationes difficultate non careant, præcipue in annis Mathusalæ & Lamech juxta LXX., de quibus nonnulla nobis modo dicenda sunt.

3. *Famosa* sane *quæstio & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata* dicitur Hieronymo, in libro quæst. Hebr. in Genesin, *quod juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post diluvium Mathusala vixisse referatur*, juxta quidem Vulgatam antiquissimam editionem latinam ex septuagintavirali translatione expressam. Hanc eamdem quæstionem sibi proposuit etiam S. Augustinus, lib. XV. de Civ. Dei cap. XI. his verbis: *Per hanc autem discrepantiam Hebræorum codicum atque nostrorum* (nempe quibus tunc utebatur Ecclesia) *exoritur illa famosissima quæstio, ubi Mathusalem quatuordecim annos vixisse post diluvium computatur, cum Scriptura ex omnibus qui in terra tunc fuerunt, solos octo homines in Arca exitium commemoret evasis-*

se diluvii, *in quibus Mathusalem non fuit*. Quid autem hi doctissimi Patres, aut alii Scriptores de his senserint, nunc non quærimus. Eusebium tantum nobis proponimus illustrandum: quoniam Scaliger & Goarus, nec non Capellus in Chronol. Sac., aliique ejus mentem non sunt assequuti, quinimmo ipsi prorsus absona & repugnantia affinxerunt. Porro hunc non attigisse tantum, sed & conatum definire eam quæstionem, ex allatis a nobis paullo ante num. XI. & XII. Syncelli textibus plane liquet. Itaque primum ille in contexenda Patriarcharum antediluvianorum chronologia vulgarem τῶν LXX. lectionem expressit, ut ipsiusmet verba supra num. VI. allata, indicio sunt: nisi tamen quis malit eum locum fuisse postea interpolatum, ea conjectura ductus, quod non, ut in ceteris factum ab Eusebio constanter fuit, declaretur ad quem usque alicujus ex ipsius posteris annum vixerit Mathusalem, sed tantum hæc de

eo

eo habeantur, καὶ ἐπέζησεν ἔτη ωβ', & *superstes fuit annis* DCCCII.: quæ sane verba addi, vel corrumpi potuerunt a librariis. Utcumque tamen eo loco scripserit Eusebius, certum esse debet, ipsum eum numerum minime ratum habuisse, sed potius annorum DCCLXXXII., ut num. XII.; ita ut vixerit Mathusalem in universum annis DCCCCXLIX., ut a Syncello num. XI. dicitur; atque ita mors ejus inciderit in annum ab O. C. IIMCCXXXVI. (scilicet in sextum ante diluvium annum) ut apud eumdem Syncellum habetur pag. 22., ex ejusdem certe Eusebii sententia: quare ea quoque verba sub eodem numero XI. exprimenda curavi. Nitebatur autem Eusebius in hac computandi ratione quorumdam codicum auctoritate, ut Syncellus eodem num. XII. asserit, ad quos etiam S. Augustinum respexisse puto, cum scripsit cap. XIII. lib. XV. de Civ. Dei: *Nam in quibusdam etiam codicibus, Græcis tribus & uno Latino & uno etiam*

 Syro,

Syro, inter se consentientibus, inventus est: Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus. Unde hæc resciverit Augustinus, incertum: factum tamen fortasse fuit ut ea habuerit vel ab Eusebio ipso, vel ab alio qui ex Eusebio sumserit: de quo tamen rursus paullo infra.

4. Verum quidem est etiam Africanum sex ante diluvium annis Mathusalæ obitum consignasse, sed alios forte sequutum codices, diversaque aliquanto via incedentem. Etenim, ut omnes recenseam quæ de Mathusalæ annis apud Græcos obtinuerunt sententiæ & numerorum discrepantiæ, tres omnino fuisse video. neque enim eam attingam, quam comminiscitur Syncellus num. XI., nimirum ut natalis Mathusalæ in annum Enoch CLIII. retrahendus sit. Plerique itaque ac pervulgati codices annos ipsi ante generationem CLXVII., post illam DCCCII. tribuebant. at hæc computatio defendi non poterat, quin diceretur eum XIV., vel XV. annis

super-

ſuperſtitem fuiſſe diluvio. Nonnulli codices, quos Africanus ſequutus eſt, annos CLXXXVII. ante generationem, at DCCLXXXII. poſt illam eidem tribuebant: ex quo computo ſequebatur, ut diluvium anno demum ab O. C. IIMCCLXII. acciderit, ſex nempe poſt mortuum Mathuſalem annis. De hujuſmodi codicibus Syncellus ſcribit pag. 83., *eos raros nec fide dignos* fuiſſe: Ὁ μέντοι Ἀφρικανὸς ,βσξβ' ἐπελογίσατο ἐκ τίνων σπανίων ἀντιγράφων οὕτω περιεχόντων, οἷς οὐ χρὴ πείθεσθαι: ex his tamen codicibus ſupereſt adhuc Alexandrinus antiquiſſimus & celeberrimus, cui etiam conſentit Aldina editio atque aliæ. præterea hæc lectio conformis omnino eſt hebraico textui: itaque a Capello, Pezronio & aliis nonnullis recentioribus, qui calculum græcorum codicum aut ediſſerunt, aut potiorem habent hebraico, approbatur. Verum Euſebius inivit viam quamdam mediam inter utramque jam expreſſam: nam Mathuſalæ ante Lamech natum

annos CLXVII. tribuit; juxta quidem prioris generis codices, post autem, annos DCCLXXXII, juxta alteros ab Africano usurpatos. ex qua quidem ratione sequebatur, ut Mathusalem sex ante diluvium annis obierit, itidem ut ex computo Africani; diluvium autem ex receptissima apud Græcos sententia inciderit in annum IIM,CCXLII.. At enim illud inde sequebatur incommodum, ut idem Mathusala annis tantum DCCCCXLIX. in universum vixerit: qua de caussa eam Syncellus explodit in verbis sub num. XI. & XII. relatis.

5. Utrum vero hæc una ratio tantum valeat, ut propterea Eusebii sententia stare omnino non possit, alii judicent. Illud potius probe scire interesset, utrum olim exstiterint codices qui Eusebio faverent, & utrum ejusmodi fuerint illi quos Augustinus laudavit: præterea quæ eis codicibus, si quidem exstiterunt, fides habenda esset. Quantum attinet ad

pri-

primam propositionis partem, nullus sane modo reperitur, aut ab antiquis, quod plane constet, laudatus fuit Geneseos codex, in quo Mathusalæ DCCCCXLIX. tantum anni diserte tribuerentur: utrum enim Eusebius codices hujusmodi sibi per omnia faventes repererit, & laudaverit, incertum adhuc est. Nam, quantum ex Syncelli verbis elucet, legerat ille quidem alicubi Mathusalem post Lamech natum annis tantum DCCLXXXII. vixisse, at ibidem fortasse expressum etiam fuerit, eum anno CLXXXVII. Lamech genuisse: qua ratione annos DCCCCLXIX. in universum vixisset. Quamvis in eam potius partem propenderim, ut Eusebio fuerint in promtu codices aliqui, qui annos tantum DCCCCXLIX. computarent, licet id diserte a Syncello non dicatur. Neque enim, puto, Eusebius eos codices pro sua sententia produxisset, qui eamdem potius everterent, quam stabilirent; quales certe erant illi quos

Afri-

Africanus est sequutus: ii enim & Mathusalem genuisse Lamechum anno demum CLXXXVII. & eumdem fato functum anno vitæ suæ DCCCCLXIX, palam diserteque tradebant; quorum utrumque contra ipsum Eusebium faciebat. Sed neque, puto, Augustinus, quamquam alii contra sentiant, ad conciliandam celebrem de Mathusalæ annis quæstionem eos laudasset codices, qui diluvium ab anno Mundi IIM.CCXLII. ad IIMCCLXII. prorogarent: cum ipsi certum esset, diluvium juxta LXX. anno illo IIMCCXLII. contigisse. Multo itaque mihi videtur probabilius, extitisse olim codices qui Mathusalæ annos tantum DCCCCXLIX. tribuerint; sed eos, ad evitandam gravissimam difficultatem, ex duabus inter se diversis annos Mathusalæ ante & post Lamech genitum computandi rationibus interpolatos: quos quidem tum Eusebius tum Augustinus laudaverint.

6. Ceterum inter doctos fere omnes

mnes convenit, uti paullo ante dicebamus, eos Græcos codices ceteris præferendos, quos sequutus est Africanus, quique cum Hebraico textu consentientes, Mathusalæ ante Lamech ortum annos CLXXXVII., post autem DCCLXXXII. tribuunt: ita enim constat numerus an. DCCCCLXIX. ejus vitæ; tum ante diluvium, vel in ipso diluvii initio obiisse ipsum apparet. *In ipso*, inquam, *diluvii initio*, quia iisdem omnino probabile videtur, irrepsisse mendum in annos Lamech ante genitum Noe: adeo ut, quum in omnibus codicibus & scriptoribus Græcis habeatur, Noe natum anno Lamechi CLXXXVIII., malint tamen primitus scriptum fuisse anno CLXXXII., ut & in hebraico textu: qua ratione diluvium in annum ab O. C. IIM.CCLVI. inciderit, juxta quidem computum Græcorum, isque superaverit Judæorum calculum annis omnino DC., quibus nimirum sex illi Patriarchæ, Adam, Seth, Enos, Cainan,

nan, Malaleel, Enoch, in græcis exemplaribus centum singuli annis serius quam apud Hebræos generasse traduntur. Ita Capellus, Pezronius & alii.

7. Porro iidem fere docti viri aliud se deprehendere putant mendum in his ipsis Eusebii Fragmentis, ubi dicitur Lamechum post Noe natum annis DXXXV. vixisse: volunt enim omnino legendum, annis DLXV. Ita nimirum Ludovicus Capellus in Chron. Sacra: *Sed & alia videtur esse varia lectio in numero annorum quos Lamech dicitur vixisse post genitum Noachum. Nam hodiernæ editiones Græcæ omnes Translationis LXX. Interpretum, etiam ipsa Romana seu Parisiensis, habent annos 565., quæ lectio confirmatur ex Augustini lib. 15. de Civitate Dei cap. 20., ubi diserte ait, in Hebræo esse annos 30. plures quam in Græco. cum itaque in Hebræo dicatur vixisse annos 595. post natum Noe, sequitur in Græco esse 565. Liquet idem ex summa annorum, quos secundum LXX. Lamech*

vixit

vixit in univerſum: vixit nempe annos 753., quod verum eſſe non poteſt, niſi poſt genitum Noachum annos vixerit 565., cum ante eum natum dicatur vixiſſe dumtaxat annos 188. In Euſebii tamen Chronico Græco dicitur vixiſſe annos φλε, *hoc eſt* 535. *poſt natum Noachum. Nec videtur eſſe librarii vel chalcographi lapſus pro* φξε: *addit enim & heic Euſebius vixiſſe Lamechum ad annum uſque Noe* φλε, *hoc eſt* 535., *quod verum eſſe non poteſt, niſi & præcedens numerus ſit* φλε, 535. *Aut vero dicendum eſt, in utroque numero lapſum eſſe librarii aut typographi, aut collectoris ipſius Scaligeri, & utrobique ſcriptum eſſe mendoſe* φλε *pro* φξε: *quod eſt vero magis conſentaneum. Nam certum eſt Euſebium primo ſcripſiſſe* φξε, 565. *Hieronymus enim qui Euſebii Chronicum latine vertit, habet DLXV., & omnino Lamech juxta calculum LXX. Interpretum vixit ad annum uſque Noe* 565. *non* 535.: *nam mortuus eſt Lamech juxta LXX. Interpretes anno mundi* 2207.: *Noe vero juxta eoſdem natus eſt anno mundi*

mundi 1642. ; *quibus si addas annos* 565. , *exurget annus mundi* 2207. , *quo obiit Lamech juxta LXX. Interpretes . Itaque vitiosa est omnino illa graeci Chronici Eusebiani apud Scaligerum lectio , quae habet* φλί , *legendumque omnino* φξί , *quomodo legit Hieronymus , consentientibus etiam hodiernis graecis S. Bibliorum editionibus omnibus , idque postulante & flagitante rei ipsius veritate . Hoc mendo sublato, dicendum est Lamechum natum esse* (*secundum Eusebium , Hieronymum , & Augustinum , qui volunt eum genitum anno* 167. *vitae Mathusalae*) *anno mundi* 1454. , *mortuum vero anno* 2207. : *vixit nempe annos* 753. *in universum juxta LXX. Interpretes* . Hæc Capellus , quem sequitur Samuel Schuckford lib. 1. Historiæ Sacræ & Profanæ . Nobis tamen a Scaligeri & Goari lectione , cui nec MSS. Regii repugnant , minime recedendum fuit : nam quamvis hodierni omnes & antiqui plerique Geneseos libri Eusebio refragentur , hic tamen alios codices sequutus

tus fuerit. Neque obstat, quod opponit Capellus ex *Exordio libri* desumtum argumentum, quodque ipse certissimum judicat: cum in præcedenti Dissert. satis superque demonstratum sit, nec illud ad Eusebii Chronicum spectare, nec a S. Hieronymo fuisse latine redditum. Quod autem olim exstiterint codices aliqui, qui Lamecho post natum Noe annos tantum DXXXV. adjudicarent, aperte colligo ex Syncello, qui pag. 114. hæc de eo habet: ἐπέζησε δὲ Λάμεχ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Νῶε ἔτη φλέ, & reliqua, quæ ita interpretatus est Goarus (pro φλέ tamen substituens in margine & in versione sua φλγ´, seu DXXXIII., de qua tamen παραδιορθώσει statim dicam).: *Superfuit autem Lamech a filii Noe natali die annis* 533., *usque ad mundi* 2175., *ejusque mors* 67. *annis diluvium prævenit. Idem Lamech primus inter pristinos familiarum duces annis* 81. *patre Mathusala prior occubuit, hoc est ipsius Mathusalæ, octavi ab Adamo Genearchæ, anno* 888. Substituit,

ftituit, inquam, Goarus pro φλϛ notam φλγ', ut eum numerum cum anno mundi aliifque adjunctis conciliaret: fed, ut ego judico, non ille fuerat follicitandus, qui cum Eufebii textu concordat, fed fatendum potius in ceteris numeris confignandis biennio aberraffe Syncellum. Ceterum idem Syncellus pag. 21. DLXV. annos diferte Lamecho tribuerat a Noe ortu, & DCCLIII. in univerfum: unde apparet ob codicum difcrepantiam heic eum mutaffe fententiam: Quam ejus inconftantiam animadvertens Goarus in Obfer. ad fupra laudatam pag. 114., contendit *ex Africanis verbis computos iftos* (quibus nimirum DXXXV. tantum anni Lamecho dantur a Noe nato) *defumtos* fuiffe. fed Africani verba quæ totidem annos Lamecho tribuant, nullibi exftant: nec aliquid habet eo in loco Syncellus, quod fuifmet aut Eufebii rationibus non convenire poffit: fatius itaque fuerit credere, hoc loco Eufebii Canonem præ oculos habuiffe

Syn-

Syncellum, ſecus ac pag. 21. putantem.

8. Verum enimvero non heic ſuas Capellus conjecturas abſolvit, ſed præterea opinatur ipſum numerum DLXV. annorum Lamech poſt natum Noe vitio librariorum invectum pro DXCV., quem præferunt Judæorum codices. *Itaque ſuſpicor*, inquit, *eodem librarii errore mendum irrepſiſſe in* 565 *annis illis, quibus Lamech ſupervixiſſe dicitur poſt natum Noachum, ut ab eo ſcriptum ſit* φξέ *pro* φϟέ, *h. e.* 565, *pro* 595: *unde in conſequenti natus error in ſumma annorum, quibus Lamech vixit*, 753, *quæ diſtat ab illa quæ in hebræo eſt* 777, *annis* (*ut notavit Auguſtinus*) 24. *Nempe ex* 188 *annis qui præceſſerant nativitatem Noe* (quoſque, ut vidimus, idem Capellus putat mendoſe poſitos pro 182, ut apud Hebræos) *&* 565, *quibus vixit poſt natum Noe, oritur ſumma annorum* 753: quum apud Hebræos 182 anni ante, & 595 poſt natum Noe, totam Lamechi vitam annis DCCLXXVII.

 cir-

circumscribant. Concludit demum Capellus: *Quidquid est inter eos* (Interpretes scilicet LXX.) *& hebræum textum* (*præter sexcentos illos annos*) *in numeris annorum discriminis, id omnino videtur non esse ab ipsis LXX. Interpretibus, sed a librariorum lapsu & errore, uti vult Augustinus, quidquid contra clamet Georgius Syncellus*. Hæc ille: quæ sane de LXX. Interpretum epilogismo dicta sufficiant.

9. Quod vero ad Samaritarum computum spectat, præter ea quæ in Notis indicavimus, placet cum eodem Capello atque aliis doctissimis viris nonnulla de ipso heic addere. Ac primum illud constat apud omnes, ut etiam in Notis attigi, hos ab Eusebio expressos annorum numeros per omnia concordare cum Samaritarum Pentateuchi codicibus, qui hactenus in Christianorum manus pervenerunt: quidquid contra Scaliger scripserit. *Atque hinc* (scribit Capellus) *fit manifestum, immerito a Scaligero* (*in Notis ad Euse-*

bium

bium (*) *pag.* 243), *reprehendi Syncellum illum , eo quod dixerit calculum Samaritanorum ab Hebræo in æra diluvii diferre annis* τμθ′, *hoc est* 349 , *ab epilogismo autem* τῶν *LXX. annis* ϡλ′, *hoc est* 930. *In his ait Scaliger Syncellum hallucinari , eo quod computet*

(*) Quæ in secunda Scaligeriani *Thesauri temporum* editione pag. 403. col. 1. habentur, his concepta verbis: *Ex hac dinumeratione* (scilicet ad Chronographium illud , de quo paullo infra Capellus , respicit) *usque ad natum Noe colliguntur anni MCCCXXVII. , ad diluvium autem MDCCCCXLVII. , minus CCCXV. , quam LXX. , plus CCLXXI. quam Judæi . Unde hallucinationem Georgii Syncelli animadvertere licet , qui LXX. Seniorum excessum supra Samaritas colligit annorum* DCCCCXXX. , *Samaritarum autem supra Judæos* (lege , Judæorum supra Samaritanos) CCCXLIX. *Verba ejus*: Μέχρι τοίνυν τοῦ κατακλυσμοῦ (& reliqua , quæ jam pag. 505. nos ex Goari interpretatione dedimus: sequitur Scaliger). *Sed est hallucinatio. putat enim ab Adam usque ad diluvium , mendose : quum isti anni sint ad natum Noe , non ad diluvium usque , deducti* . De his nimirum disputat Capellus , quæ ob oculos habere juverit.

annos ab Adam usque ad diluvium, mendose, cum anni isti sint ad natum Noe, non ad diluvium usque deducti. Verum gravissime heic hallucinatus est ipse Scaliger, quum ait ex Samaritanorum dinumeratione ab Adam ad natum Noe colligi annos 1327, *ad diluvium autem annos* 1947. *Nam ex Tabula hac nostra, quam juxta Eusebianam Samaritarum dinumerationem construximus, luce clarius est, a rerum exordio ad natum Noe annos esse dumtaxat* 707, *ad diluvium autem* 1307. *Diluvium nempe anno* 600 *vitæ Noachi contigit. Annos itaque qui deducendi erant ad diluvium usque, Scaliger ad natum Noe computavit: quæ est ea ipsa hallucinatio, quam immerito Georgio Syncello tribuit. Quod autem Scaliger numerat annos* 1327, *non vero* 1307; *inde est quod calculo Eusebiano putat addendos esse annos* 20, *ex Samaritarum Chronographio, quod ipse protulit in libro De emendat. temporum. Nam ubi Eusebius ait, Mabalaleelem natum fuisse annos* ξε, *hoc est* 65, *quum gigneret Jared,*

Sca-

Scaliger emendandum censet οι, hoc est 75, ex suo Chronographio: item, ubi Eusebius ait Mathusalam natum fuisse annos ξζ', hoc est 67, quum gigneret Lamechum, Scaliger emendat οζ', hoc est 77, ex eodem Chronographio. de qua Scaligeriana emendatione mox dicetur. Quod vero ait idem Scaliger, ex Samaritanorum dinumeratione colligi ad diluvium annos 1947, non sibi constat, & fallitur annis 20. Nam si, uti falso putat, Samaritæ ab Adam ad natum Noe computant annos 1327; sane ad diluvium usque non numerabunt nisi annos 1927, siquidem diluvium contigit anno Noe 600. Sed putavit forte Scaliger rursus heic esse addendos 20 illos annos, quos ex emendatione sua jam ante addiderat calculo Eusebiano, quæ mera est hallucinatio. Bene ergo & congruenter Syncellus notavit excessum seu discrimen æræ diluvii, quod est inter Hebræos, LXX. Interpretes & Samaritas. In hoc dumtaxat falsus est, quod ait Samaritarum calculum distare ab illo qui est juxta LXX., annis

 dum-

dumtaxat ϡλ', *hoc est* 930, *cum revera distet annis* 935, *uti liquet ex Tabula*: &c. Atqui in eo non Syncelli error, sed librariorum omnino mendum esse videtur: quare nos cum Goaro ex ipso Eusebii textu illud sustulimus. vide supra pag. 450, & itidem Notam B. Sequitur paullo infra Capellus, Scaligerum pergens refellere. *Scaliger in Opere De emendatione temporum profert Chronographium quoddam Samaritanorum, in cujus fine attexitur epilogismus annorum Patriarcharum illorum, qui ante & post diluvium ad Abrahamum & Moysen usque vixerunt. In hoc epilogismo Mabalaleeli tribuuntur non* 65 *anni (quot illi tribuit Eusebius ante genitum Jared) sed* 75; *similiter Lamecho tribuuntur non* 67, *sed* 77 *anni. Atque hinc Scaliger vult corrigi & emendari Eusebium, sicque annis* 20 *longiorem facit æram diluvii, quam eam facit Eusebius, & post eum Syncellus. Sed sine necessitate Scaliger urget emendationem illam, qua conturbatur totus ille*

Euse-

Eusebianus Samaritarum calculus. Nec tantæ est auctoritatis Cronographium illud Samaritanum Scaligeri, ut præferri debeat Eusebiano (quod confirmari diximus codice MS. Pentateuchi Samaritani Joannis Morini); maxime cum ipse Scaliger in Notis suis ad Chronographium illud, agnoscat nonnulla esse in epilogismo qui illi subjicitur, absurdissima. Præstat itaque Samariticum Scaligeri epilogismum ex Eusebiano corrigere, quam Eusebianum ex Scaligeriano: &c. Hæc ex Capello contra Scaligerum referre hoc loco placuit in confirmationem eorum quæ ex Eusebio supra produxi, nec non ut doctissimi, sed & audacissimi viri turpissima errata alienis potius quam meis (quod tamen in superiori Dissertatione sæpius facere oportuit) verbis redarguerem. Pentateuchus sane Samaritanus, quod ipsi maxime in votis fuit, nondum in Europa innotuerat, atque hoc est quod aliqua ex parte ejus errores excusat: sed non debuit re nondum bene comperta, ex mendoso illo

Chronographio præjudicium ferre, Eusebio præsertim refragante, de Samaritanorum computo, & dicam Syncello impingere: quæ quidem si justa esset, Eusebio ipsi potius exprobranda fuisset.

10. Sed, ut ad Samaritarum Tabellam redeamus, apparet ex ejus collatione cum Tabellis ex LXX. & Judæorum codice deductis, primo eos longissime recedere a computo Græcorum: adeo ut, quum in annis a diluvio ad Abrahamum cum iisdem, ut videbimus, fere conveniant; nulla tamen ratio suadeat hos ab illis, aut illos ab his fuisse descriptos. secundo, cum Mathusalæ ante Lamech natum tribuant annos LXVII., videntur eam Græcorum codicum lectionem aliquatenus tueri, qui CLXVII. annos numerant; licet, ut supra vidimus, repugnent alii codices & hebraicus textus, tum illa de annis vitæ Mathusalem quæstio de qua jam diximus. apparet tertio, eos prorsus convenire cum He-

bræis

bræis in quinque primis Patriarchis, & in Enocho, discordare autem dumtaxat in Jared, Mathusalem & Lamech (in quibus contra fere conveniunt Græci cum Judæis); idque tum in annis quibus hi filios susceperunt, tum in reliquis quos postea vixerunt. denique, etsi propterea ab Hebræis dissentiant in æra diluvii, in eo tamen rursus cum iisdem consentiunt, ut Mathusalem anno ipso diluvii obiisse ponant, in quem etiam annum Jaredi & Lamechi mors juxta ipsos incurrit: adeo ut horum annos dedita opera imminutos ab eis suspicetur non immerito quispiam, ne ultra diluvium vitam produxisse viderentur; quod erat absurdum. quamvis & de Judæorum codicibus simile aliquid in mentem venire possit illis, qui pro calculo τῶν LXX. stant: nimirum in his tribus, Jared, Mathusalem & Lamech, centum illos ante παιδοποιΐαν annos, ut in præcedentibus, non fuisse omissos, ne aut ipsorum vitæ spatium bre-

breviare cum Samaritanis, aut post diluvium contra historiæ fidem protendere cogerentur.

11. *Porro cur Samaritæ*, verba sunt Capelli, *tam longe ab Hebræo in trium illorum Patriarcharum annis assignandis discesserint, cur longius adhuc multo ab epilogismo τῶν LXX. recedant, caussam nec video, nec suspicari aut conjicere possum: immo neque facile mihi persuaserim eos ab Hebræo hac in parte discedere voluisse, cum in reliquis Patriarchis exacte cum eo conveniant. Et sane, si Hieronymus audiatur, omnino non discesserunt: nam in Quæstionibus, seu Traditionibus in Genesin, ubi famosam quæstionem solvit, Quî potuerit Mathusala juxta calculum τῶν LXX. vixisse annos* 14 *post diluvium; testatur tam in Hebræis quam in Samaritanorum libris scriptum inveniri, vixisse Mathusalam* 187 *ante genitum Lamechum, Lamechum autem vixisse* 182 *annos ante natum Noe. Hoc si verum est* (*quod ille disertissime testatur*) *an verisimile est, eos ab Hebræo in solo Jared* vo-

voluiſſe diſcedere, ut illi ſine cauſſa centum annos detraherent? quis non potius ſuſpicetur librarii lapſu pro 162 annis, qui Jaredo tribuendi ſunt, ſcriptum fuiſſe 62, quot illi tribuit Euſebius? Omnino itaque vero conſentaneum videtur, Samaritanos ab Hebræorum epilogiſmo non receſſiſſe. Interim tamen calculus eorum, qui ab Euſebio in Græco Chronico refertur, confirmatur (ut diximus) codice MS. Pentateuchi Samaritani, uti annotat Joannes Morinus Præfat. in Biblia Græca translationis LXX. Interp. Pariſiis edita 1618. Itaque heic dubius hæreo. Hæc ille. Sed quam ex Hieronymi teſtimonio (quod tamen ſibi aliquanto ſuſpectum fuiſſe ſatis indicat) conjecturam ducit, ut Samaritas olim cum Hebræis in intervallo illo ab Adam ad diluvium conveniſſe arguat; a nonnullis reiicitur, quum non ab hodiernis tantum codicibus Samaritanorum, ſed & diſertiſſimo Euſebii teſtimonio refellatur; qui quidem, ſi variaſſent tunc codices illi,

non

non id monere prætermisisset : a multis contra pronis auribus excipitur, & sine ambiguitate ulla certum ratumque habetur. Itaque Vallarsius in eum Hieronymi locum hæc adnotat : *Alios in Samaritano codice de Mathusalæ & Lamechi ætate annos numerat, legitque Eusebius : qua de caussa memoriæ lapsum Hieronymo impingit Seldenus Præfat. in Marmor. Arundel. Verum multo est vero similius, diversum ab illo Eusebii Samaritanum exemplar S. Doctorem fuisse nactum.* Sed præter Seldenum, Usserius etiam, modestissimus inter Heterodoxos, ita scribit Chronologiæ Sacræ cap. II. *Eam de annis Mathusalem quæstionem, in libro Traditionum in Genesin, tractans Hieronymus*, ex Hebræis & Samaritanorum libris *colligit mortuum illum esse* eo anno quo cœpit esse diluvium. *Et verum quidem est, juxta utrorumque libros, non vixisse Mathusalam post diluvium, sed eodem quo illud cœpit anno fuisse defunctum : id quod præcipue in hac quæstione spe-*
ctabat

ctabat Hieronymus: non tamen ex iisdem præmissis in utrorumque libris eadem nata est conclusio. Neque enim in Samaritanorum, ut in Hebræorum libris, Mathusala 187 annorum Lamechum genuit, & 782 annos postea fuit superstes, & Lamechus 182 annos natus Noachum genuit (ut ab Hieronymo, quum Samaritanus codex ad manum non adesset, significatum est): sed Mathusala 67 annorum gignens Lamechum, supervixit annis 653 usque ad diluvium, & Lamechus 53 annorum gignens Noachum, & 600 annis postea superstes vixit & ipse (uti & cum bis Jaredus) usque ad diluvium. Hanc enim eorum Chronologiam non nostra solum Samaritani Pentateuchi exemplaria, sed (ne post tempus Hieronymi illa fuisse immutata quis suspicetur) ea etiam quibus Eusebius est usus, nobis exhibent. Itaque, ut in alia re observatum est a Pererio (in Genes. lib. 7. §. 133.), ita & heic videtur S. Hieronymus memoria lapsus: id quod magnis viris vel nimia memo-


riæ

riæ fiducia, vel alias in res ſtudio curaque intentis, non raro contigit. Hactenus Uſſerius; cujus ſane ſententia *multo eſt vero ſimilior*, quam Vallarſii & ceterorum, qui in antiquis Samaritanorum exemplaribus numerorum diverſitatem & diſcrepantiam comminiſcuntur. Reliquum eſt itaque, ut eadem Samaritanorum exemplaria a Judaicis omnia & ſemper, uti noſtris hiſce temporibus, diſcordaverint: licet de ea re maluerit dubitare Capellus.

C A P. III.

Proponitur & expenditur Tabella ſecunda Chronologica, quæ a diluvio ad Abrahamum natum pertingit. tum de Cainan ſecundo fuſe diſputatur.

1. QUoniam eas difficultates quæ ſpectant ad tempora quæ diluvium præceſſerunt, ſuperiori capite attigimus & elucidare ſategimus; ratio poſtulat ut Tabellam alteram





…mam complectitur a diluvio ad Abraham, …uxta triplicem, Græcorum,
…d pag. 543.

…extum.		Secundum Samar. exemplar.				
Vixit in uni-	Mortuus post diluvium an.	Natus post diluvium an.	Genuit annos natus	Vixit, postquam genuit, an.	Vixit in universum an.	Mortuus post diluvium an.
00	502		100	500	600	502
38	540	2	135	303	438	440
33	470	137	130	303	433	570
64	531	267	134	270	404	671
39	340	401	130	109	239	640
39	370	531	132	107	239	870
30	393	663	130	100	230	893
48	341	793	79	69	148	941
05	427	872	70	75	145	1008
		942				

teram, qua juxta triplicem Eusebii seriem, a diluvio usque ad Abrahamum natum, Patriarcharum Chronologia & Genealogia comprehenditur, primum proponamus, tum quæ circa ipsam observatione maxime digna videbuntur, edisseramus. Habes itaque, Lector, Tabellam ipsam e regione positam, quam attente inspicias, & quoties opus fuerit, consulas.

2. In hac Tabella anni quibus quisque natus & mortuus est, uti vides, ab ipsa diluvii epocha repetuntur. Sin autem ab ipso mundi exordio numerare malis, atque adeo utramque Tabellam una quasi serie simul conjungere; facile id fiet, si annorum summis a diluvio ductis addas ipsos annos ab O.C., quibus diluvium in priori Tabella cœpisse notatur. Ex. gr., in unoquoque ex tribus diversis computandi modis, Arfaxad natus perhibetur anno secundo post diluvium, quo etiam pater ejus Sem centesimum vitæ suæ annum egisse dicitur

citur

citur (unde apparet eum natum anno Noe DII., ideſt biennio poſt natum Sem primogenitum, aliquanto autem ante Cham : hic enim קטון, *minor* dicitur Gen. IX. 24, ille vero הגדול, *magnus* Gen. X. 21.): erit itaque hic annus a mundi exordio juxta quidem LXX., IIMCCXLIV., juxta vero Hebræos MDCLVIII., juxta Samaritas denique MCCCIX., & ſic deinceps. itaque Abrahamus natus fuerit, ut ſuis locis diſerte tradit Euſebius, juxta græcos an. IIIM. CLXXXIV., juxta Hebræos MDCCCCXLVIII., juxta Samaritas IIM. CCXLV. ab O. C. Eadem methodo utere & in annis, quibus ſingulorum mors contigiſſe in Tabella dicitur.

3. Verum enimvero occurrit ſtatim in anno quo natus heic perhibetur Abraham, graviſſima difficultas, quæ tum Hebræorum tum Græcorum calculo communis eſt. Eam hiſcemet verbis ſibi propoſuit S. Hieronymus in Quæſt. Hebr. in Geneſin,

ea

ea verba edisserens : *Erat autem Abram septuaginta quinque annorum, quando egressus est ex Charra*, quæ Genes. XII. 4. habentur. *Indissolubilis* (inquit) *nascitur quæstio: si enim Thara pater Abrahæ, quum adhuc esset in regione Chaldæa, septuaginta annorum genuit Abram, & postea in Charra ducentesimoquinto ætatis suæ anno mortuus est ; quomodo nunc post mortem Tharæ Abram, exiens de Charra, septuaginta quinque annorum fuisse memoratur ? quum a nativitate Abræ usque ad mortem patris ejus, centum triginta quinque fuisse anni doceantur*. Eamdem quæstionem sibi proponit & solvere nititur S. Augustinus de Civit. Dei lib. XVI. cap. XV. : sed utriusque solutionem omitto referre, uti & eam quam Syncellus pag. 93. & seq., ut ipse dicit, proprio marte confinxit, nec non alias multas, quæ apud interpretes & Goarum in Notis ad Syncellum videri possunt. duas tantum ex his commemorabo, quarum quidem prima ex textu Samaritano

Mm erui-

eruitur, in quo Tharæ anni tantum CXLV. assignantur: itaque, ut Joannes Morinus in Prolegom. Editionis LXX. tradit: *In codice Samaritano ne umbra quidem difficultatis offunditur: ita enim annos totius vitæ Tharæ determinat*: Et fuerunt dies Tharæ quinque annorum, & quadraginta & centum annorum. Hæc & alia ibidem pro hac sententia Morinus; qui rursus in Polyglottis Parisiensibus: *Auxilio freti Samaritanorum studuimus vitare triplicem ἀντινομίαν, quæ oritur ex annis vitæ Tharæ. Nam si Thare habuit Abraham anno ætatis suæ 70, mortuusque sit eo anno, qui erat 75 Abrahæ, quomodo stabit, quod cap. XI. vers. ult. fertur, Tharam vixisse 205 annos? Si autem tot vixerit, & egressionem Abrahæ ex Haran credamus post mortem patris, uti docetur Act. VII.; numquid similiter non credendum erit Abraham tunc temporis egisse ætatis suæ annum 135? Quod si sic, quomodo decennio post ex quo incoluit terram Chanhan, quo tunc dicitur non absol-*

absolvisse 86 annum, eodem ipso anno dicitur genuisse Ismaelum? quomodo etiam anno 100 ætatis suæ Isaac illi natus erit?, ut videre est cap. XVI. ver. 3. & 16., & cap. XXI. 5. Sed tanto metachronismo Hebræo opponitur periorismus Samaritarum, cujus auxilio cuncta suis numeris absoluta reperientur, atque intra suos terminos reducentur: Thare enim illic obiisse fertur anno 145. Hæc a Morino ex Samaritano codice petita solutio paucis admodum probatur, uti Vallarsio in Notis ad Hieronymi locum supra indicatum: nam suspectus plerisque est eo loco textus Samaritanus, quod persuasum habeant annos tantum CXLV. Tharæ adsignari ad eludendam difficultatem, quæ multorum torsit ingenium: quum aliam evadendi viam non inveniret, quisquis eum locum emendare volens, vitiavit turpiter.

4. Itaque ea potissimum nunc apud eruditos merito prævalet sententia, quæ olim a Theodoreto & Procopio Gazæo tradita, sed & multo ante a

S. Augustino, quæst. 25. in Gen., tertio loco indicata, Abrahamum anno CXXX. patris Tharæ genitum admodum probabiliter & quasi evidenter demonstrat. Placet eam verbis Capelli exponere. *De uno Thara lis est, quem statuimus anno ætatis suæ 130 genuisse Abrahamum, quod videtur esse adversus Scripturam, quæ Gen. XI. 26. dicit Tharam natum annos 70 genuisse Abraham, Nachor & Aran. Sed ab aliis jam observatum est, Tharam quidem cœpisse anno ætatis suæ 70 gignere liberos, & non tamen eo anno genitum ab eo esse Abrahamum, sed vel Nachorem, vel Haranem, quomodo supra observavimus Noem cœpisse gignere anno ætatis quingentesimo, sed Japhetum, non vero Semum, uti prima fronte videri posset ex Gen. V. 32. Abrahamum autem non septuagesimo, sed centesimo tricesimo ætatis Tharæ anno natum esse, sic post alios demonstrari posse putamus. Thare vixit annos 205, mortuusque est in Charan, Gen. XI. 20. Abraham natus tunc fuit annos 75,*

Gen.

Gen. XII. 4. Mortuo patre, Dei jussu egressus est ex Charan, venitque in terram Chanaan, Act. Apost. c. VII. Subducantur anni 75 ex 205, liquet Abrahamum natum esse anno ætatis Thare 130. Confirmatur hoc ex Galat. III. 17, ubi promissio Abrahæ facta dicitur antecessisse legem annis 430, & ex Gen. XIV. 13, ubi Deus prædicit Abrahamo prolem ipsius futuram peregrinam, & servituram genti alteri annos 400. Hi 400 anni incboandi sunt a nativitate Isaaci ...., terminandi autem in egressu Israelitarum ex Ægypto. Promissio ergo Abrahæ primo facta antecessit, secundum Apostolum, Isaaci nativitatem annis 30. Et facta fuit Abrahæ in Ur Chaldæorum, antequam veniret in Charan, Actor. VII. vers. 2. 3. 4. Abraham natus fuita nnos 100, cum natus est illi Isaac; natus ergo fuit annos 70, cum facta est illi promissio, & jussus est exire ex Ur Chaldæorum. Cum autem egressus est ex Charan patre mortuo, natus erat annos 75, Gen. XII. 4. Ergo quinquennio ante excesse-

rat Ure, &c. Itaque omnino videtur anno LXX. Tharæ non Abrahamum, ſed nec Nachorem, verum Aranem in lucem prodiiſſe: hunc enim non tantum natu maximum, ſed ſuperaſſe etiam fratres ſuos magno annorum intervallo hinc liquet, quod ejus filia Melcha nupta fuerit Nachori, & altera filia Jeſca Abrahamo: hæc enim non Joſephi tantum & Hebræorum, ſed Hieronymi, Auguſtini & Chriſtianorum plerorumque ſententia eſt: *Sarai*, verba Hieronymi ſunt, in Quæſt. in Gen., *cognomento Jeſcan*, *διώνυμον*, ſeu *binominem* fuiſſe. Præterea Lot Aranis filius, & Abrahæ nepos, ipſi ætate fere æqualis fuiſſe videtur.

5. Sequitur itaque ut Abrahæ nativitas annis ſexaginta ſerius contigerit, quam ex Euſebii computo ſupra collocata fuit: videlicet, juxta quidem *τοὺς* LXX. (in quam etiam ſententiam nonnulli trahunt Samaritarum computum) anno poſt diluvium MII., juxta vero hebraicum exem-

exemplar anno CCCLII. Verum enimvero hoc intervallum multo prolixius fuiſſe ex græcis quibuſdam codicibus ſtatui poſſit: nam inter Arfaxadum & Sale nonnulli nobis obtrudunt Cainan quemdam, cui annos CXXX. ante generationem adtribuunt, aliis tamen eumdem utpote ſuppoſititium rejiecientibus: de qua quæſtione nos quoque fuſe agemus paullo infra. deinde vero Phalegi & Nachoris annos ante ſuſceptam ab unoquoque prolem quidam libri plures numerant, quam apud Euſebium & in pleriſque verſionis græcæ codicibus, ac antiquis omnibus ſcriptoribus ponantur. Sane quod ad Phalegum attinet, editio Polyglottæ Complutenſis, quam ſequuta eſt Antuerpienſis, huic ante natum Ragau annos CXXXIV. tribuit, repugnantibus tamen aliis editis & MSS. libris, qui CXXX. tantum habent: itaque facile apparet ſcribarum errore ex Heberi annis in Phaleg irrepſiſſe quadriennium

 illud,

illud, atque adeo minime esse computandum. Major inest difficultas in Nachoris annis, quos non Complutensis tantum & Antuerpiensis, sed & Romana seu Sixtina editio ponit *centum*, supra *septuaginta novem* illos qui in aliis libris & antiquis scriptoribus habentur. Favere etiam videtur ei lectioni MS. Oxoniensis, in quo (teste Lamberto Bos in Notis appositis editioni græcæ Versionis, ab eo summa diligentia curatæ Franequeræ anno MDCCIX.) legitur, ἑκατὸν καὶ ἐννέα, seu *centum & novem*, omissa scilicet per errorem voce ἑβδομήκοντα, seu *septuaginta*. Porro eam lectionem sequitur ex recentioribus potissimum Petavius, Ration temp. Par. III. lib. I. cap. 2., qui præterea in Notis ad Epiph. Hær. LV., quæ est Melchisedecianorum, hæc habet: *Ex Epiphanii ratione colliguntur anni dumtaxat* 942 *a diluvio ad Abrahami ortum*: *differentia est annorum* 230, *qui in LXX. Seniorum editione ex CXXX. Cainan, & cen-*

& centenis Nacboris consurgunt: vulgo enim Nacbori 179 *tribuuntur, ab Epiphanio vero* 79. Sed non Epiphanius tantum & Eusebius, sed & Africanus ceterique Græci scriptores ita habent, unum si excipias Josephum: qui cum in ceterorum Patriarcharum annis singillatim recensendis cum græcis fere codicibus consentiat, in hoc uno ab iis dissidet, annos CXX. ipsi adtribuens ad natum usque Thare; quem tamen numerum Is. Vossius ex coniectura emendandum putavit partim ex Hebræorum & partim ex Græcorum rationibus, atque adeo CXXIX. legendum. quin etiam eadem ratione ipsum qui apud LXX. legitur, numerum annorum LXXIX., corruptum atque emendandum contendit idem Vossius, & qui eum in omnibus fere sequitur, Pezronius, in Antiquit. tempor. rest., cap. VI.

6. Sane si hæc vera esset lectio τῶν LXX., una superesset inter hebræum & græcum textum discrepantia

pantia illa, quæ ex centum annis ſeptem Patriarchis vel additis, vel demtis emergit; adeo ut, cum juxta Hebræos Abraham natus ſit, ut diximus, anno poſt diluvium CCXCII., vel potius CCCLII., juxta Græcos Interpretes natus fuiſſet anno DCCCCXCII., ſeu potius MLII. Sed non eſt temere credendum cum Voſſio & Pezronio, codices τῶν LXX. ibi corruptos eſſe, cum non ab Euſebio tantum & Africano, ſed & ab aliis antiquis ita lectum fuiſſe conſtet. accedit præterea conſenſus Samaritani codicis, qui LXXIX. itidem annos Nachori tribuit ante natum Thare. Quod vero ad Joſephum ſpectat, præterquam quod omnes ejus libri MSS. & editi, CXX. tantum annos ponunt, nemo unus CXIX.; ſequutus ille fortaſſe eos fuerit hebraicos codices, qui nec omnino cum græcis τῶν LXX. concordarent, nec cum hodiernis Judæorum. nam qui ejus Chronologiam diligentius expenderunt, fatentur eum modo

cum

cum his, modo cum illis facere, & aliquando cum neutris;id quod ex hoc loco apparet. Itaque reliquum eſt, ut computus Judæorum diſcrepet a Græco annis omnino DCL., &, ut notavit Euſebius, Samaritani in hoc toto intervallo cum Græcis plane concordent, in annis ſcilicet ante generationem recenſendis, quod ex Tabella etiam patet.

7. Verum enimvero in annis quibus poſt ſuſceptam prolem vixiſſe perhibentur Patriarchæ hac claſſe comprehenſi, non leves diſcrepantiæ occurrunt, non modo inter LXX. & Samariticum exemplar, ſed inter ipſos Græcos antiquos ſcriptores & hodiernos codices. Ut de his dicamus primum; Sem, quem poſt genitum Arfaxad vixiſſe annos D. Hebræi & Samaritæ ac plerique omnes græci codices habent, juxta Aldinam tamen editionem & alias ex ipſa expreſſas, CCCXXXV. tantum annis vixerit: quod tamen manifeſtum eſt mendum. Sequi-

quitur Arfaxad, cui cum Eusebius & alii plerique CCCCIII. annos post natum Sale tribuant, Romana tamen editio dat CCCC. tantum, contra MS. Alexand. & edit. Complutensis & Antuerp. CCCCXXX., vel, ut in Ald. & aliis, CCCXXX. (quo modo etiam legi in *omnium antiquissimo exemplari Cottoniano, Syro meo Chronographo & Fastis Siculis* scribit Usserius, Chron. Sac. cap. VI.). Quid? quod Syncellus pag. 115. tradit, Arfaxad post genitum Cainan, quem ipse agnoscit & mordicus tuetur fuisse Arfaxadi filium, vixisse *annis CCCLV.*, ἔτη τνέ: tum addit, *Ceterum exemplaria nonnulla, ut & Eusebii, post Sala natum, Arfaxad annis* 403 *inter vivos egisse referunt*, &c. Attamen hic numerus ab Eusebio positus ceteris præferendus videtur, nam concordat cum hebraica lectione, quæ totidem annos ipsi tribuit post natum Sale, cum qua etiam concordant ceterorum Patriarcharum anni post susceptam prolem;

lem; unum forte si excipias Sale, cui cum Hebræi annos CCCCIII. itidem ut Arfaxado tribuant, Eusebius CCCCVI. habet, sed mendose, ut supra pag. 456. notavimus, & in latina versione & Tabella Chronol. correximus. Ceterum & Sale anni post natum Heber diversimode ponuntur. Syncellus CCCXXX. numerat, ut habet etiam ed. Romana; *Exordium libri* Chronico Eusebio-Hieronymiano præfixum, *habet CCC.*; at MSS. Cotton. & Oxon. CCXXX., alii aliter; sed, ut videtur, mendose omnes præter Eusebium, ut supra a nobis emendatum. Nam præter hebraici codicis, de qua dicebamus, uniformitatem, eam lectionem confirmat etiam codex Samariticus, in quo quum vita cujusque Patriarchæ (excepto Heber, de quo mox), ab Arfaxado usque ad Serug, centum annis minor sit post παιδογονίαν, quam in hebraico codice & versione τῶν LXX.; ideo & Sale CCCIII. anni itidem ut Arfaxado tribuun-

buuntur. Porro eadem fere in Heberi annis occurrit discordia: nam quos Eusebius CCCCXXX. fuisse dicit, Syncellus & Romana editio CCLXX. tantum; MS. Alex., Aldi ed., & Complut. cum aliis, CCCLXX. numerant. Eusebio adstipulatur textus hebræus, Syncello contra concinit Samariticus, qui pariter annos CCLXX.exhibet. *Exordium libri*, juxta edit. Pont. habet CCCLXX., juxta ed. Scalig. CCLXX. In annis Phaleg, Rehu & Serug nulla occurrit discrepantia. Ultimus Nachor, qui apud Eusebium post genitum Tharam superstes dicitur CXIX. annis, in Romana ed. CXXV., in MS. vero Alex., & ed. Aldi atque aliis, nec non in *Exordio libri* ex edit. Scalig., CXXIX. vixisse perhibetur: nam apud Pontacum habetur CXXV.

8. Hæ sunt omnes, vel saltem maxime insignes numerorum diversitates, quæ in ipsis Græcis LXX. libris occurrunt, quas singillatim

hoc

hoc loco recensuisse, haud inutile fuerit, ne legentibus negotium facessant, & ut Eusebianus computus magis confirmetur, qui sane & antiquitate & auctoritate ceteris omnibus longe præstat. Sin vero hunc eumdem Eusebii computum ex LXX. Interpretibus expressum cum Hebraico & Samaritico comparare velimus, hoc potissimum inter eos deprehendemus, ut jam ex parte innuimus, intercedere vel dissidii, vel cogruentiæ: nimirum, Græcos cum Samaritanis omnino convenire in annis ante generationem, rursusque eosdem Græcos cum Hebræis in annis post generationem: contra discordare Hebræos a Græcis in annis ante generationem, eo quod illi sex priores Patriarchas, Arfaxad &c., centum singulos annis citius generasse perhibeant, Nachor autem quinquaginta tantum: unde fit, ut juxta Græcos sex primi centum singuli annis plus vixerint quam juxta Hebræos. Quod tamen aliter in Sama-

rita-

ritano codice accidit, in quo centum illi anni, qui quidem ante generationem ſuperſunt, poſt illam deſunt; atque adeo cum Hebræis in ſumma annorum totius vitæ convenit, ſi tamen excipias Heberum, & Tharam; de quibus ſupra diximus. Porro ex diligenti trium illorum comparatione computorum haud obſcure colligitur: Primum, Samariticum exemplar non fuiſſe in hac annorum periodo exactum ad Græcos codices, quod tamen ab aliquibus præfidenter pronuntiatum fuit: nam præter maximam illam diſcrepantiam centum annorum in quinque Patriarcharum vita poſt generationem conſignanda, occurrit etiam in Hebero differentia annorum CLX., tum in Nachore an. L., denique in Thara an. LX. Secundo, græcos codices in hac periodo non eodem modo diferre ab hebraicis, ac in intervallo ab Adamo ad diluvium. ibidem enim centum illi anni, qui ante prolem ab unoquoque ſuſceptam redundare videntur,

tur, detrahuntur a ſumma annorum, quos poſtea iidem vixerunt; heic nequaquam. Ex quo demum concludendum eſt, non dedita opera a Græcis ſeu interpretibus ſeu librariis inductam illam annorum in primam mundi ætatem ab hebræo computo diſcrepantiam: nam idem præſtitiſſent in hac altera; quod contra apparet factum in Samaritarum codicibus. Quæcumque igitur fuerit totius hujus in Patriarcharum annis diſſidii cauſſa, ejus origo multo altius repetenda fuerit, nempe ex ipſis hebraicis fontibus & antiquiſſimis codicibus, qui cum multum inter ſe diſcordarent vel ab eo tempore, quo Samaritani ſibi Pentateuchi codicem antiquis Chananæorum litteris ex Hebraico ſeu Chaldaico exemplari poſt Eſdræ tempora deſcripſerunt, quoque non ita multo poſt græca τῶν LXX. verſio fuit confecta; inde adeo factum, ut quo quiſque pacto in hebraico libro ſcriptum reperit, bona fide ſequutus ſit. Sed

de his alias fortasse erit disputandum ex instituto.

9. Restat ut admodum difficilem & eruditorum disputatione maxime agitatam quæstionem nunc proponamus: quid nimirum sentiendum sit de Cainane illo, quem in græcæ Geneseos versionis & in Evangelistæ Lucæ cap. III. 36. codicibus, Arfaxadi fuisse filium & Salæ patrem legimus, neque tamen in textu Hebraico, aut in Samaritano habetur, immo neque ab Eusebio in genealogiam Patriarcharum secundum LXX. insertus fuit, uti neque ab Africano & aliis? Sane Ludovicus Capellus in sua Chron. Sacra, cui plerique recentiores assentiuntur, ita respondet: *Porro observandum est Eusebium & Africanum (quibus & alii e veteribus addi possent) qui tamen calculum τῶν LXX. sequuntur, in hac Patriarcharum serie omittere Kainanem, cujus omnino non meminerunt, suumque adeo calculum τῶν LXX. instituunt, ut planum sit eos nullam ipsius ratio-*

rationem habuisse. Africanus enim a diluvio ad nativitatem Abrahæ annos putat 915 per generationes decem, quod verum esse non potest, si in illis decem generationibus numeretur Kainan, eique tribuantur anni 130 ante natum Salam: nam primo sic generationes essent undecim, non decem, connumeratis Semo & Abrahamo: deinde invenirentur a diluvio ad natum Abrahamum anni non 915, ut vult Africanus, sed 1072. Sed si Kainan non numeretur, erunt 942 (uti recte colligit Eusebius, cum refert τῶν LXX. epilogismum) qui numerus propius multo accedit ad 915, quam 1072. Itaque vel falsus est in numerando, aliquot annis, Africanus, vel lapsus est librarius, aut typographus, qui ιε' pro μβ' posuit. Scito, Lector, recte Africanum scripsisse, sed mendum esse in Scaligeri editione, quam unice Capellus inspicere potuit, quod tamen ipse alio sibi peculiari errore auxit. Africani verba sunt, ex editione Goari: *Συνάγεται τοίνυν εἰς τὴν ἐπίβασιν ἐπηγγελμένης γῆς 'Αβραάμ, ἀπὸ*

 μὲν

μὲν τοῦ κατακλυσμοῦ καὶ Νῶε γενεῶν δέκα, ἔτη ,αιε᾽· ἀπὸ Ἀδὰμ γενεῶν κ᾽, ἔτη ,γσοζ᾽. *Ad transitum itaque Abrahæ in terram promissam a diluvio & Noe per decem generationes colliguntur anni MXV., ab Adam per generationes viginti anni IIIMCCLXXVII.* Sed apud Scaligerum mendose pro ,αιε, legitur ϡιε (915); Capellus vero illud spatium perperam ad natum Abraham coartavit, cum diserte Africanus ad ejusdem in Chananæam adventum usque produxerit. Itaque ex summa integra annorum IIIMCCLXXVII. deme annos MXV., reliqui erunt anni IIMCCLXII., quot nimirum Africanus ad diluvium usque computavit. Tum ex hac altera summa MXV. deme annos LXXV. quot jam vixerat Abraham, quum secessit in Palæstinam, reliqui erunt anni DCCCCXL. a diluvio ad Abraham natum: atque ita Africanus biennio tantum discrepabit ab Eusebio; nimirum quia non computavit spatium illud duorum annorum,

quod

quod a diluvii initio ad Arfaxadum natum intercessit. His itaque obiter extricatis, rursus Capellum audiamus. *Hinc liquet exemplaria translationis Graecae τῶν LXX. quibus illi usi sunt, non habuisse illum Kainan, alioqui non eum omisissent, neque sine eo calculum suum instituissent. Varia ergo lectio heic manifesta est in codicibus translationis graecae τῶν LXX. circa istum Kainanem. nam hodiernae omnes graecae editiones illum agnoscunt. Sed cum non habeatur in codice hebraeo tam Judaeorum quam Samaritanorum, & in exemplaribus graecis, quae Eusebius & Africanus sequuti sunt, abfuerit, planum est irrepsisse in codices graecos τῶν LXX. vitio & errore librarii, qui cum inter describendum animum haberet defixum in priorem Cainanem, qui vixit ante diluvium, eum heic sive per incogitantiam, uti non raro fit aliud cogitantibus, sive consilio inseruit tertio post Noachum loco, quomodo ille prior tertius fuit ab Adamo: quod videretur forte illi congruum, ut in mundi post*

diluvium instauratione, quartus in Patriarcharum serie homo ejusdem esset nominis cum eo, qui quartus fuerat in prima Patriarcharum ante diluvium serie. Annos autem illi attribuit totidem quot sequenti Sale, idque tam ante quam post susceptam prolem. Ita partim consilio, partim errore atque oscitantia atque insigni hallucinatione, videtur iste Kainan heic insertus, atque infultus a librario aliud cogitante. Qui error cum diffusus esset in multa exemplaria græca τῶν LXX., inde postmodum transfusus videtur in Lucæ Euangelium in Christi genealogia, non ab ipso Luca, sed a librario, vel antiquario, qui cum in margine codicis sui notasset Kainanem istum ex græca τῶν LXX. translatione, quasi per ignaviam apud Lucam omissum, ex margine postea migravit, inter describendum, in textum, uti passim solet id fieri: unde tot in præstantissimis etiam & vetustissimis MSS. Codd. omnis generis glossemata errore & ignorantia librariorum infulta. Hæc obiter & breviter dicta

sunto

ſunto de ſuppoſititio iſto Cainan, de quo qui plura volet, videat accuratam de eo viri docti Dom. Spanhemii in Dubiis ſuis Euangelicis Diſputationem. Hactenus Capellus, cui & nos in pleriſque & potioribus aſſentimur.

10. Sed quoniam vir multæ eruditionis fama inſignis Humfredus Hodius hanc quæſtionem fuſe & ſatis erudite his poſtremis temporibus retractavit, ita tamen ut a vulgari & magis recepta ſententia ſibi recedendum eſſe duxerit; placet quæ in utramque partem produxit, argumenta perſtringere, tum de ſingulis noſtrum judicium in medium afferre. Itaque Hodius, *de Bibl. text. Origin.* lib. III. part. I. cap. II. num. 61, hæc habet: *Apud Lucæ Euangelium III. 36. in Chriſti genealogia inter Arphaxadum & Salam interponitur, ex verſione LXX.*, Cainan *quidam junior, quem codices hebræi non agnoſcunt. Juxta LXX. & S. Lucam* Sala fuit filius Cainanis, Cainan Arphaxadi; *ſed juxta hebr.* Arphaxadus ge-

nuit Salam. *De hoc discrimine sic Beda, Comment. in Acta*. Lucas testimoniis græcis utitur potius quam hebræis: ex quo accidit, quod maxime miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari, qua ratione, cum in hebraica veritate a diluvio usque ad Abraham decem tantum generationes inveniantur; ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta LXX. Interpretes adjecto Cainan, in Euangelio ponere maluit. *Rursus in Lucæ Euangelium*: Scito ergo B. Lucam hanc generationem (*Cainanis*) de LXX. Interpretum editione sumsisse; ubi scriptum est, quod Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Cainan, & Cainan cum centum triginta fuerat annorum, genuerit Sela. Sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit. *Cainanem istum in græcæ versionis quæ LXX. inter-*

interpretum nomen praefert, exemplaria vel fraude vel oscitantia hominum male feriatorum irrepsisse & exinde in codices Euangelii Lucae, statuit Usserius(*), & post illum Jo. Gregorius in Dissertationibus peculiaribus de Cainane conscriptis. Sic quoque Frid. Spanhemius, Dub. Euang. XXIII., ubi de eodem prolixissime disputat, aliique ab his citati e castris Romanensium, (**)Jo. Cordesius, Corn. a Lapide (***), Dion. Petavius, Pet. Possinus, &c. observant non exstare Cainanem in Euangeliorum exemplari Graeco-Latino vetustissimo litteris uncialibus scripto, quod Academiae Cantabrigiensi dono dedit clariss. Beza, neque in Graeco, neque in Latino. Deinde contendunt, in multis praeterea codicibus versionis graecae qui exstabant apud

(*) Usserii quam hic laudat, de Cainane Dissertatio caput VI. ejus Chron. Sacrae constituit.

(**) Ita Catholicos Romanos appellant Anglicanae Ecclesiae addicti Usserius & Hodius.

(***) Nimirum in Comm. in Genes.; nam in Lucam scribens idem a Lapide pro *Cainane* stat.

apud veteres, nullam fuisse illius repertam mentionem. 1. *Dositheum, qui ipsorum Apostolorum vixit temporibus, in textu quem interpolatum Samaritanis suis dedit, hebraico, Patrum post diluvium annis ante παιδογονίαν ex LXX. editione desumtis, Cainanem cum suis annis prorsus prætermisisse*. Ne cui hoc primum argumentum fucum faciat, moneo ex Usserio desumtum, quem citat Hodius in margine sic, *Vid.Usser.pag.* 192.: & sane quæ heic dicuntur de Samaritano codice a Dositheo interpolato, &c., ex Usserii cerebro primum conficta vix ullum invenerunt qui probaret: quinimmo tum ab aliis tum ab ipso Waltono, Prolegom.XI., fuse & solide refutata fuerunt, num. præsertim XI. Quod itaque extra controversiam est, in Samaritano codice nulla hujus Cainan habetur mentio, quamvis ille in annis Patriarcharum ante generationem recensendis plane conveniat cum græcis exemplaribus. sequitur Hodius. 2. *Theophilum Antioche-*

chenum (*), *J. Africanum*, *Josephum Christianum in Hypomnestico*, & *J. Hilarionem*, *temporum epilogismum juxta LXX. instituentes*, *omisso Cainane*, *Arphaxadum Salæ patrem facere*. 3. *Origenem*, *in enarratione Euangelii secundum Joannem*, *numerare* decem generationes ab Adamo ad Noe, & decem a Noe ad Abrahamum, (**) *quod fieri non potuisset*, *nisi Cainane juniore secluso*. 4. *Eusebium in ipsis* τῶν *LXX.* *quas*

(*) Idem Hodius eodem lib. III. & part. I. cap. III. & num. 11. *Theophilus Antiochenus Episcopus*, *in lib.* 3. *ad Autolycum*, *quamvis juxta numeros LXX. Interpretum Chronologiæ seriem deducit*, *juniorem tamen Cainan*, *utpote quem non agnoscunt Hebræi*, *omittit*, *sicut alibi jam diximus*. Ἀρφαξὰδ δὲ ἐτέκνωσε Σαλὰ ὢν ἐτῶν ρλέ. *Obiit is circa annum CXXXXI.*

(**) Rursus Hodius ibidem cap. IV. num. 27. *Monuimus jam alibi Cainanem secundum*, *quem agnoscunt LXX.*, *ab eo rejectum fuisse*, *quia in Hebræo non comparet*. *Locus est in* Tom. XX. *Comm. in Joannem*. Ἀβραὰμ εἰκοστὸς γεγένηται ἀπὸ τοῦ πρωτοπλάστου. δέκα γὰρ γενεαὶ ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ Νῶε, καὶ δέκα ἀπὸ Νῶε ἐπὶ Ἀβραάμ.

quas ponit supputationibus Cainani isti nullum locum dedisse. 5. *Hieronymum in quæst. Hebr. in Gen., ubi quasi ex professo tractat de differentiis hebr. textus & versionis græcæ, dissonantiam hanc, quæ est circa generationem Cainanis, adeo insignem atque notabilem, ne verbo quidem attigisse.* 6. *Epiphanium in Hær. LV.* §. 6. *ubi temporum computa & generationes ponit, eumdem omisisse.* 7. *In Bibliis Russorum, quæ translata sunt ex LXX., sine ulla Cainanis mentione dici,* αρφαξαδ ροдн σαλα, σαλα ροдн εβερα, Arphaxad genuit Sala, Sala genuit Eber. Quoniam vero apud Hodium nihil aliud invenio de Russorum Bibliis & de hac Cainanis omissione, opportunum puto adnectere quædam ex Usserio, ex quibus appareat locum ab Hodio citatum ad primum I. Paralip. libri caput pertinere: hæc enim habet: *Longe igitur probabilior..... est sententia, Cainanis nomen ex* Κοινῇ, *sive Vulgata Geneseos editione, ut in primum libri prioris Paralipomenon capitulum (ubi*

neque

neque in græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum (ſive Polyglottæ Pariſienſis) *editione Arabica, neque in Ruthenica ſive Illyrica tranſlatione vetere, adhuc inſertum illud reperitur*) *ita in Chriſti apud Lucam genealogiam fuiſſe transfuſum*. Quæ ſane perſuadent ipſam Ruthenorum verſionem Cainanem hunc habere Gen. X. & XI.

11. Porro hæc omnia ſunt argumenta, quæ juxta Hodium ab iis ſcriptoribus afferuntur, qui Cainan ſecundum irrepſiſſe volunt in græcos codices & inde in Lucæ Euangelium. pergit demum referre quæ contrariam ſententiam ſtabilire videntur ipſi. *Specioſa hæc*, inquit, *videntur & minime certe contemnenda: veriſimilius tamen mihi videtur, Auctores citatos Cainanem omiſiſſe, non quia illum in ſuis verſionis græcæ exemplaribus non invenerunt, ſed quia in hebræo defuiſſe ſciverunt; & ſi quod exſtiterit exemplar, in quo iſte non reperiretur, credibilius eſt illud ex hebræo fuiſſe correctum, nedum credo cum Gre-*

Gregorio, intrusum fuisse in LXX. Cainanem post Hieronymi Epiphaniique tempora; quod falsum esse certissimum est. Argumenta mihi hæc sunt. 1. *Epiphanius, quamvis in loco modo citato Cainanem prætermittit, in aliis tamen locis eumdem ipse sæpius commemorat, ut in eodem Opere, nempe* Panario, *Hær. LXVI.* §. 84. Ἀρφαξὰδ (γεννᾷ) τὸν Κηννᾶ, Κηννᾶ τὸν Σαλᾶ. *Rursus ibidem lib.* 1. §. 4. *Et in Anchorato* §. CXVI. Ἀρφαξὰδ γεννᾷ τὸν Κινᾶ, Κινᾶ τὸν Σαλά. *In altero isto loco hac de caussa illum omisisse videtur, quia disputat ibi adversus Samaritanos, a quibus illum non agnosci cognoverit.* 2. *Agnoscitur etiam ab Eustathio Patriarcha Antiocheno in Hexaem.,* & 3. *a S. Augustino de Civit. Dei XVI.* 3., *unde apparet in antiqua illa versione e græco facta, qua usa est Ecclesia Latina, fuisse repertum.* 4. *In ipsius Origenis exemplaribus comparuisse, ab eoque veru jugulante confossum fuisse testatur Procopius Gazæus in Gen. cap. XI.* Hebraica veritas habet Selam genitum esse ab Arpha-

Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelisco signata visuntur. *Atque hinc colligitur, non modo vulgares codices, verum etiam correctissimos ipsosque Hexaplares Cainanem habuisse. Obeliscis enim ab Origene notata est editio, non communis ista quæ est depravatior, quod existimat Usserius, sed ipsa Hexaplaris emendatissima, sicut suo loco ostendemus.* 5. *Agnoscitur quoque a Demetrio historico Gentili, qui scripsit annis ante Christum prope* 150. *in Chronologia quam composuit ex LXX. Interpretum versione apud Euseb. Euang. Præp. IX. Chronologia enim ista, velut animadvertit Usserius ipse, usque ad Jacobi & filiorum ejus descensum in Ægyptum, ab Adamo annos* 3624., (*) *a diluvio* 1360. *(vel potius* 2362.*)* *ab*

(*) Juxta hunc computum ab O. C. ad diluvium sunt anni 2264. scilicet, duo supra Africani computum; a diluvio ad Abraham natum 1070., duo infra eorum computum qui Cainan secundum agnoscunt: sed biennium illud quod heic deest, supplendum forte est ex altero redundante.

ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215 *dinumerans*, 130 *annorum Cainanis interpositionem necessario requirit. Atque hinc luculentissime refellitur opinio eruditiss. Grotii, qui statuit nomen Cainanis primum irrepsisse in S. Lucæ contextum*, deinde cum late spargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpisset, a Græcis Christianis etiam in versione Geneseos secundum LXX. inter Arphaxadum & Salam interpositum fuisse, annis etiam additis, quo magis Lucæ, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua auctoritas constaret. 6. *Huc denique adjiciendum, exemplar nullum versionis græcæ Geneseos vel nunc exstare, vel ullibi apud veteres memorari, in quo Cainanis generatio non sit reperta.*

12. Habes, Lector erudite, argumenta omnia, quæ Hodius pro sua sententia in medium attulit: ea nos singillatim refellere aggrediemur, postquam descripserimus, quæ ipse contra sibimet contraria argumenta, saltem quæ præcipua, respondet.

Sequi-

Sequitur itaque Hodius: *Illud quidem permirum videatur, Eusebium cum ex professo ponit Chronologiam græcæ versionis, ut cum hebraica conferretur, Cainanem præteriisse. cæterum, licet affirmet Usserius*, temeritatis notam effugere non posse, qui ab editione τῶν LXX. quam Eusebius sequendam proposuerat, Cainanis generationem absuisse negaverint; *ob rationes tamen quas jam posuimus, non possum non suspicari, ab ipso Eusebio ex serie versionis græcæ chronologica generationem istam fuisse elisam, tamquam irreptitiam. Et repertam fuisse in omnibus græcis exemplaribus, vel exinde insuper confirmatur, quod Eusebius, quia eam omisit, graviter reprehensus sit a Georgio Syncello, & ante illum a Chronologis Aniano ac Panodoro, qui vixerunt, circa exitum seculi IV*. Lectos per omnes Christi Ecclesias sacros Geneseos libros Cainanem agnovisse *affirmat Syncellus. In Chronici Eusebiani versione latina pag. 9. memoratur Cainan*: Arphaxad, quum esset anno-

rum CXXXV. genuit Cainan : & vixit Arphaxad, postquam genuit Cainan, ann. CCCCXXX., &c. *sed hæc insititia esse contendit Usserius (*), neque ego inficias iero. Asserit Beda, Eusebium omisisse Cainanem, quia illum in Origenis Hexaplis notatum obelo reperit. Vide infra in Eusebio (**). Quod ab Hieronymo in quæst. hebr. in Gen. differentiæ hujusce inter græcam versionem & hebraicum textum nulla facta sit mentio, id non magnopere mirandum est: hanc enim potuit silentio præterire tamquam omnibus jam notissimam, & satis illi fuit in isto Tractatu S. Lucam de alia discrepantia, in* qua

(*) Usserii verba alia occasione jam dedimus, pag. 496. & seq.

(**) Hæc nimirum habet cap. VI. *Omisisse Eusebium Cainanem juniorem, quia viderat illum in Origenis Hexaplis notatum obelo, tamquam in Hebræo non comparentem, existimat ac asserit Beda. Epist. Apolog.* Qui cum in libro ἐξαπλοῦς virgam Origenis pertimescens, generationem Cainan de medio tolleret. *Eumdem designat Comm. in Genes., cap. XI. his verbis*, &c.

qua græcam versionem sequutus est, excusasse, caussando, illum idcirco quæ reperit in græca versione posuisse, quia jam ea apud omnes vulgata inque manibus fuit. Taceo illum in nonnullis locis Commentariorum testimonia quædam ex Veteri Testamento in Novo prolata silentio prætermittere, quæ tamen non potuit non scire, græcæ potius interpretationi, quam suæ ipsius versioni ex hebræo factæ convenisse. Certe constat illum hujusmodi quædam exempla de industria celare voluisse. Denique totam hanc quæstionem his verbis concludit: *Ex dictis satis patet Cainanis secundi generationem in græcæ versionis exemplaribus ab antiquissimis temporibus fuisse receptissimam. Unde hoc factum sit, judicandum aliis derelinquo. In re tam difficili, quæ, ut Scaliger ait, Helia aliquo vindice opus habet, omnino dubius hæreo. Neque illa de re fidentius sententiam tulerim, fuerit ne generatio ista ab ipso Luca in Euangelio suo e græca versione posita, an ab alio aliquo postea ex eadem illic*
 inser-

inserta. Tamen positam fuisse ab ipso Euangelista, vel ex eo verisimilius redditur, quod solet is alibi versionem græcam potius quam Hebræum, quod dubium est an intellexerit, sequi. Et longe videtur credibilius, exemplar illud unicum Bezæ, a quo abest Cainan, ex hebræo fuisse correctum, quam reliquos omnes codices, tum græcos, tum latinos, adde & orientales, fuisse in hac parte corruptos. Illud quoque observatu dignissimum, quod de illo exemplari monet Waltonus (Proleg. IX. num. 64.) *adnotatque ipse Beza, quod in recensenda Genealogia Christi apud S. Lucam, contra omnium exemplarium fidem, & contra omnes scriptores veteres, eadem habeat nomina ascendendo a Josepho ad Salomonem, quæ sunt apud Matthæum: ita ut qui hoc exemplar descripsit, crucem quæ omnes Interpretes vexavit, circa discrepantiam inter Matthæum & Lucam, hoc modo plane sustulerit; & nodum quem quidam indissolubilem putarunt, cum solvere non posset, dissecuerit. Unde tollitur omnis exem-*

exemplaris istius in hac caussa auctoritas.

13. Hactenus Hodius, quem ad verbum descripsimus, ut probe constet cujusmodi sit, quibusque argumentis fulciatur ejus sententia, quam aggredimur impugnare. Huc igitur ejus summa capita redeunt: 1. Cainanem juniorem ab antiquissimis temporibus, atque adeo ante Christum natum, in græcis τῶν LXX. codicibus recensitum fuisse: 2. Verisimilius esse Lucam ipsum Cainanem Arfaxadi filium in suo Euangelio posuisse, Græcos interpretes, ut solet, sequutum: 3. Theophilum, Africanum, Eusebium & alios, qui computo τῶν LXX. alioqui inhærent, hunc tamen Cainan ideo omisisse, quod in textu hebræo abesse scirent: 4. Denique in antiquissima latina versione eumdem Cainan locum habuisse. Verum his Hodii propositionibus duas ego tantum oppono, quas ex Hugonis Grotii in Lucam Comm.

desumtas, defendere & probare in me recipio. prima est, Cainanis hujus mentionem non occurrere apud ullum scriptorem ante quartum Ecclesiæ sæculum, immo non nisi sub hujus sæculi finem: secunda vero, admodum probabile esse, hunc Cainanem primum in Lucæ exemplaria casu quodam & librariorum errore sensim irrepsisse, deinde vero in codices quoque translationis LXX. quibus tunc Christiani unice utebantur, dedita opera intrusum fuisse. Sane quod ad primam nostram propositionem spectat, ex ipsius Hodii argumentis colligitur; neminem enim ille producit auctorem ante Epiphanii & Augustini tempora, qui Cainanem Arfaxadi filium nominaverit: contra bene multos, qui cum eum nominare debuissent, ejusque annos computare, minime tamen id fecerunt. Unum, fateor, habet quem nobis Hodius opponat Demetrium quemdam

dam (*), ex Eusebii Præp. Euang. lib. IX. cap. 21. Equidem locus ille, si singillatim accipiatur, atque unice pensetur, multum valet ad persuadendum, Cainan juniorem etiam ante Christum natum in græcis Geneseos codicibus lectum fuisse: non tamen rem extra omnem controversiam collocat, quum in eo Cainanis diserte mentio non habeatur, sed tantum ex annorum cal-

(*) Hunc Demetrium dicunt Hodius & alii *Historicum Gentilem*: sed Hebræum fuisse multo probabilius est, quum res Judæorum exacte & fuse tradiderit. Inter Gentiles quidem eum recenset Josephus lib. I. c. Ap., sed eam forte ob caussam, quod *Demetrium Phalereum* esse falso putavit. Clemens tamen Alex. *Demetrium* tantum eum appellat, & Hieron. de Scrip. Eccl. cap. XXXVIII. de Clemente ipso scribens, eumdem Demetrium cum Aristobulo & Eupolemo Judæis accenset: *Nec non & de Judæis Aristobulum quemdam & Demetrium & Eupolemum scriptores adversus Gentes refert* (Clemens), *qui in similitudinem Josephi* ἀρχαιογονίαν *Moysi & Judaicæ gentis asseruerant*. Vide Clariss. Huetii Demonst. Euang., Prop. IV. num. 29. & 30.

culo arguatur, ipſum quoque cum ceteris illius ætatis Patriarchis connumeratum fuiſſe. Sed nonne potuit ille multo aliter putare annos Patriarcharum, & tamen caſu aliquo contingere, ut in ſumma conveniret cum iis qui Cainanem poſtea obtruſerunt? nonne etiam, idque multo facilius, contigiſſe potuit, ut locus ille Demetrii ex Alexandro Polyhiſtore ab Euſebio relatus, aliter initio haberet, ſed interpolatus poſtea fuerit in notis illis numericis a librario aliquo, ut eum ſuiſmet rationibus accommodaret? Omnibus probe notum eſt, quam frequentes hujuſmodi corruptiones in antiquorum ſcriptis occurrant, in quibus una aut altera litterula immutata, multæ annorum decades & centuriæ aut addi aut detrahi, vel conſulto vel incuria ſcribarum, conſueverunt. Sane ſi, ut nonnulli putaverunt, in quibus Waltonus Proleg. IX. num. 61. & Pezronius cap. V. Antiq. temp. reſtit., Clemens Alexandrinus in I.
Strom.

Strom. Demetrii hujus calculos retulisset, ex horum utrorumque comparatione liquido constaret, vel apud Eusebium, vel apud Clementem, vel fortasse apud utrumque, numeros fuisse vitiatos. *Ex Demetrio*, inquit Waltonus de Clemente, *colligit ab initio mundi, ad diluvium annos* 2140., (seu potius 2148.) *a Sem ad Abrabamum*, 1250.: sed ea non ex Demetrio sumta crediderim, licet Clemens paullo post citet nonnulla ex ejus libro *de regibus Judæ*, ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων: ex quo loco etiam plerique omnes, qui de hoc Auctore scripserunt, colligunt Demetrii Historiam fuisse inscriptam *de Judæorum Regibus*, qui tamen titulus mihi persuadetur fuisse non totius Operis, sed libri alicujus in illo Opere comprehensi peculiaris. Sane quæ Eusebius heic & cap. 29. ex eo refert, non ad regum Juda, sive *in Judæa*, tempora spectant.

14. Ex eo praeterea indicio colligi potest Demetrium non agnovisse

hunc

hunc Cainanem, nimirum quod duo ejusdem fere ætatis scriptores, quos quidem ex græca LXX. versione nonnulla hausisse constat ex iis quæ de Hebræis scripserunt, eumdem ignorasse appareat. sunt autem Berosus (*) & Eupolemus, quorum uterque de Abrahamo scribens, eum *post diluvium decima generatione* (secluso nimirum Cainane) vixisse significat. Berosi locus a Josepho lib. I. Antiq. cap. VII. vel (juxta alias edd.) VIII., & ex eo ab Eusebio Præp. Euang. lib.

(*) Berosus Alexandri M. ætate vivebat, ut ipse lib. I. Babyloniconum tradidit, teste Syncello pag. 14 & 28, nec non Tatiano; vitam tamen produxit usque ad regnum Antiochi cognomento Thei: huic enim Historiam suam nuncupavit, eodem Tatiano teste. Vide Pridæum ad annum ante Christ. CCLX. Cum itaque hoc tempore opus suum vulgaverit Berosus, versio autem Græca quæ dicitur τῶν LXX. prodierit anno CLXX. circiter ante Christum natum, eam legisse potuit, aut saltem ab Hebræis Hellenistis, quæ in ea traderentur, didicisse. Græce enim ipse sciebat, utpote qui in Græcia plurimum vixerit, græceque scripserit.

lib. IX. cap. XVI. laudatus, eſt hujuſmodi: Μνημονεύει δὲ ἡμῶν τοῦ πατρὸς Ἀβραάμου Βηρωσσὸς, οὐκ ὀνομάζων, λέγων δὲ οὕτως. Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ καὶ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος: *Ac Beroſus quidem Abrahami parentis noſtri, ſuppreſſo licet nomine, his verbis meminit: Decima poſt diluvium generatione vir quidam apud Chaldæos vixit, juſtus & magnus, rerumque cæleſtium cognitione præditus.* Eupolemi (*) vero teſtimonium ex Alexandro Polyhiſtore recitat Euſebius cap. XVII. ejuſdem libri in hæc verba, Georgio Trapezuntio interprete: *Decima vero generatione in Camirine (**) Babyloniæ urbe,*

(*) Eupolemus a Hieronymo, ut vidimus, Judæus fuiſſe dicitur, uti creditur etiam Huetio, qui de ipſo agit ſupra citato loco. Floruiſſe videtur CL. ante Chriſtum natum annis.

(**) *Camirine*, ſeu potius *Camarine*, eſt enim in græco Καμαρίνῃ. Porro hæc Vigerus adnotat: *Si* Οὐρην, *ſive* Οὐρίην, *græce* Χαλδαίων πόλιν *interpretatur Eupolemus, fidem*

urbe, quam alii Urien dicunt, quod nomen latine Chaldæopolin significat, natus est Abraam, qui sapientia omnibus excelluit, a quo Astrologia fuit apud Chaldæos inventa. Eadem fere & Vigerus, alter Euseb. Præp. interpres, græca illa verba, δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, &c. interpretatus, omissis tamquam irreptitiis illis, quæ paullo post sequuntur, τρισκαιδεκάτῃ . . . . . γενεᾷ, quæ sane sententiam obscuram omnino reddunt, & quæ fortasse in textu Trapezuntii ne legebantur quidem. His adde apertum Josephi testimonium, qui lib.I. Ant. nec Cainan cum ceteris Patriarchis recensuit, & Abrahamum decimum a Noe diserte tradidit: ὅς δέκατος μέν ἐστιν ἀπὸ Νωέου. Plerique etiam, gravesque scriptores,

fidem non meretur. Sed credibilius, alterum ejus nomen, Καμαρίνην *ab eo sic explicari: ut per* Chaldæos *non tam populum, quam* Sacerdotes, *seu* Philosophos *intelligat, quos Hebræi* כמרים, *Chaldæi* כומרים *vocabant, quibus hæc urbs proprie attributa sit, ideoque* Camarine *dicta. Hæc Scaligero conjectura debetur.*

res, iis qui Cainan hunc non agnoverunt, accensent & Philonem, quem græca τῶν LXX. versione usum constat. Ego tamen, quandoquidem in ejus scriptis unde id argui possit, non inveni; uti non assero ab eo Cainan oppugnari, ita negare non ausim. fides sit penes auctores.

15. Sed quod magis adhuc magisque suspectum reddit Demetrii testimonium, aut saltem quam ab illo habitam arguunt Usserius, Pezronius, & Hodius Cainanis secundi rationem, est, quod nemo ejusdem meminit ante quarti a Ch. nato sæculi exitum, etiam iis in locis quibus omnino ejus meminisse debuerant, si quidem aut in Moysis aut in Lucæ codicibus lectus jam tum fuisset. Cur enim eum non recensuisset Theophilus Antiochenus? reponit Hodius, quia sciebat eum ab Hebræis non agnosci. Sed quæri primum possit, unde id resciret Theophilus? non certe ex Origenis Hexaplis, quo multo antiquior fuit. Sed aliunde noverit.

num

num propterea debuit indicta caussa a lectione vulgata recedere, & Cainan cum annis CXXX. ipsi adtributis prætermittere, cum scriberet Christianis, qui eo tempore nonnisi græcis τῶν LXX. codicibus, aut interpretationibus ex eadem versione ductis utebantur? Præterea si Hebræos sequi voluit hunc Cainan omittens, cur non debuit eosdem sequi in aliis omnibus, in quibus a calculo τῶν LXX. discrepant. Eadem fere de Africano dicenda forent, qui etsi Origenis ætate vixerit, & ex ejus Hexaplis discrepantiam græcorum & hebraicorum codicum probe scire potuerit, non debuit tamen Cainan omittere, eo quod in Hebræo non exstaret; cum exstaret, ex Hodii sententia, in græcis omnibus exemplaribus, ex quibus sane Chronologiam suam contexebat. Hoc argumentum per se quidem plurimum valet ad persuadendum Cainan juniorem ea ætate nondum in Pentateuchum irrepsisse, sed multo etiam

evi-

evidentius evincit, eum & a Lucæ Euangelio abfuiſſe. Quid enim? Si Lucæ exemplaria, uti quidem ſibi perſuaſit Hodius, eum cenſuiſſent, ſi eumdem prætuliſſent Geneſeos & Paralipomenon græci codices; quænam, quæſo, ratio perſuaſiſſet Chriſtianos viros, ut his poſthabitis, Hebræorum potiorem haberent auctoritatem? Quid autem de Euſebio dicemus? qui cum ſingillatim Græcorum, Hebræorum & Samaritarum Chronologiam expreſſerit, debuiſſet quidem Cainan omittere in ſerie juxta Hebræos & Samaritas, eumdem contra inſerere ſeriei ex LXX. deductæ, ſi quidem eum græci codices habuiſſent; deinde ex auctoritate horum codicum & Lucæ, occurrentem in Hebraicis & Samaritanis codicibus Cainanis omiſſionem arguere. Verum ille contra in Procœmio Chronici, Hieronymo interprete, hæc habet: *Verum in curioſitate ne ceſſes: & cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abrabæ uſque ad*

ad totius orbis diluvium, *invenies retrorſum annos* DCCCCXLII., &c.: ex quibus ſane apparet eum non hebræum textum, non codices Hexaplares, ſed vulgares & cuique obvios in auctoritatem produxiſſe, ut inde quilibet per ſe colligere poſſet eum annorum numerum qui, non computato Cainane illo, ex reliquorum Patriarcharum chronologia emergit. id reſtat itaque, ut omnino Cainan Arfaxadi filius ab omnibus aut plerisque libris tunc abeſſet. Neque obſtat, quod Syncellus, & ante eum Panodorus & Anianus, Euſebio & Africano dicam impegerint, quod Cainanem omiſerint: fieri enim potuit, immo omnino debuit, ut poſt Euſebii tempora ſenſim in omnes codices eo modo quo infra dicemus, irrepſerit. Quod vero de Origene ſcribit Hodius ex Procopii Gazæi auctoritate, ſcilicet illum obelo notaſſe in Hexaplis hunc Cainanem; ne id quidem concedi debet: nam Procopius refert tantum, quid in ſuis codici-
bus

bus legerat, non quid Origenes in Hexaplis præstiterit. Potuit autem Cainan, sicut in vulgaribus codicibus tractu temporis insertus fuit, ita in Hexaplares intrudi, sed, tamquam suspectus, sub obeli nota. Quod vero Origenes hunc Cainan penitus ignoraverit, satis persuadet non modo locus ab Hodio productus ex Tomo XX. in Joan., sed & alii duo eidem fere similes, quorum alter habetur Tom. XV. in Matthæum, alter in Homiliis in lib. Num., quas ex Rufini versione latinas tantum habemus. In Matthæum hæc habet: *εἶτα αἱ δέκα ἀπὸ τοῦ Νῶε ἐπὶ τὸν Ἀβραὰμ γενεαὶ καταλήγουσαι ἐπὶ τὸν Ἀβραάμ*: *deinde decem a Noe ad Abraham generationes, quæ in ipso Abraham desinunt*, &c.: homilia vero IV. in Num. cap. I. *Viginti duo quidem numerus in Scripturis divinis, si quis observet, quod principalibus quibusdam caussis adscriptus sit, frequenter inveniet: nam viginti duo prima apud Hebræos elementa tradunt esse litterarum. viginti*

& duo rursus a protoplasto Adam usque ad Jacob, ex cujus semine initium duodecim tribus sumunt, Patres fuisse memorantur, &c. Vides Originem sibimet perpetuo constantem, ut omittat Cainan illum suppostitium, quippe qui nondum eo tempore intrusus in Patriarcharum seriem fuerit: non, ut Hodius asserit, quia in hebræo abesse sciret Origenes, & obelo ab eo notatus fuisset. Idem ex Augustini loco colligit, hunc Cainanem in antiquissimam editionem latinam ex græcis fontibus derivatum; quasi in eadem ab initio fuerit lectus. at ex ipso Augustino (*) & Hieronymo probe constat obnoxiam fuisse latinam Vulgatam multis interpolationibus, adeo ut scripserit Hieronym. Præfat. in libr. Josue: *maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices; & unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit,* *vel*

(*) S. August. de Doct. Chr. lib. II. cap. 11. & in aliquot epist. ad Hieronym.

vel subtraxerit quod ei visum est. Nil itaque mirum, si in latinos codices Cainan fuerit intrusus, quem ex Augustini multis locis evidenter colligitur lectum ab eo fuisse, uti etiam a Sulpicio Severo, quum a diluvio ad Abrahamum annos septuaginta supra millenos computaverit. Incertum tamen est, an Hieronymus in suis Geneseos codicibus eumdem legerit, sane non habuisse, ideo fit verisimile, quod nuspiam ejus meminerit, ne in Quæst.quidem Hebr.in Gen., ubi contra habet, *Arphaxad genuit Sela, & Sela genuit Heber*. Omisit & in epist. LXXIII, quæ est ad Euangelum; sed non mirum, quia eo loco refert Judæorum sententiam & computum in annis singulorum Patriarcharum recensendis. Idem tamen in epist. XXXVI., quæ est ad Damasum, num. 5, indicare videtur lectum sibi hunc Cainan in Lucæ Euangelio, cum scribat: *Ajunt ab Adam usque ad Christum generationes septuaginta septem. lege Lucam*

Euangelistam, *& invenies ita esse ut dicimus*: quamvis ne computato quidem Cainan non habeantur LXXVII. generationes, sed LXXVI. tantum. itaque verius Augustinus, de Cons. Euang. lib. II. num. 12. *Ideo in eo numero qui est penes Lucam, & ipse Christus a quo incipit generatio, & Deus ad quem pervenit, connumerantur, & fit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio, & abolitio peccatorum; quam etiam ipse Dominus per hujus numeri mysterium evidenter expressit, dicens remittendum esse peccatori non solum septies, sed etiam septuagies septies*. Eadem fere lib. II. Quæst. Euangel. quæst. VI. Sed de Lucæ loco infra. Qui ex Latinis Patribus Cainan non legisse videntur in Genesi, sunt præterea Q. Julius Hilarion, sive Hilarianus, ab Usserio & Hodio laudatus, & S. Philastrius Brixianus episcopus: de quibus singillatim dicendum est. Hilarianus itaque, qui Cæsario & Attico Coss., sive anno CCCXCVII. scri-
psit,

psit, in libello *De mundi duratione*, non modo habet *Arphaxad annis CXXXV. genuit Salam*, &c., sed diserte dicit: *a diluvii tempore usque ad LXX. annum Abrahæ, quo ...., anni sunt mille XII.*: ex qua summa si tollas ipsos Abrahæ annos LXX., reliqui erunt omnino anni DCCCCXLII., quot & Eusebius ad Abraham natum computavit. Neque opponas Hilarianum Eusebium ipsum, ex Hieronymi puta interpretatione, sequutum: nam in plerisque ab eo discordat, præcipue in æra diluvii: *Mathusalam*, inquit, *anno* 182 *genuit Lamech. Heic primos Mathusalæ annos quos scriptorum error fecit, nullus vidit, nullus inspexit, nullus diligenti inquisitione correxit*, 167 *annos eum vixisse, &* (forte *cum*, sed desunt nonnulla) *genuit Lamech, post vixisse* 802: *quod verum esse non potest, quia* 802 *usque ad transdiluvium*, 14 *annos plus esse mostratur*. Hæc obiter referre ex hoc scriptore potissimum placuit, ne Chronici Eusebiani expilator cre-

 datur,

datur, & quia ex Latinis primus fortasse vidit viam evadendæ illius gravissimæ quæstionis, de qua capite præcedenti egimus. Ad Cainanem redeamus.

16. Philastrius itaque, qui eodem fere ac Hilarianus tempore, aut non multo ante scripsit librum suum de Hæresibus, hunc Cainan minime agnovisse colligo ex cap. præcipue CXI., quod inscribitur *De annorum mundi incertitudine hæresis*. Hæc enim ibidem leguntur: *Cum ab Adam usque ad diluvium decem sint generationes, & annorum MMCCXLII. anni* (ita edd. per compendia notarum; sed legendum omnino, *annorum duo millia, ducenti quadraginta duo anni:* sic iidem edd., cap. ult., *ante tria millia annorum & septingentos annos*: immo admodum probabile est, hoc quoque loco & primitus fuisse ante *ducenti*), *& a diluvio usque ad confusionem linguarum sub Heber sancto, qui non consenserat ædificationi turris, quinta sit generatio, pæne* DC.

DC. anni ....; exinde usque ad Abraham Patriarcham, quinta est generatio, anni DXXXX.. & ab Abraham usque ad Mosen septem generationes, anni CCCCXXX., ut ait beatus Apostolus: &c. Ex his itaque apparet S. Philastrium a diluvio ad Abraham decem tantum numerasse generationes, quot nimirum sunt excluso Cainane: itaque non eum agnovit. Sed quoniam quinque priores generationes numerasse videtur a diluvio ad Heber, uti etiam cap. CIV., ubi ita scribit: *Post quintamdecimam enim generationem ab Adam usque ad Heber MMDCC. anni sunt, sub quo confusio missa est linguarum*; observandum est in eo numero ipsum Phaleg Heberi filium comprehendi: secus, Phaleg cum ceteris ad Abrahamum usque sex generationes efficeret, quod est contrarium Auctoris verbis & computo: sunt enim a Phaleg nato ad natalem Abrahæ juxta magis communem, etsi minus accuratam, computandi rationem ex

LXX. petitam, anni DXXXXI., nempe uno amplius quam Philastrius ponat. denique cum de divisione linguarum sermo sit, quæ circa tempus quo Phaleg natus est, contigit; oportuit ut ipse quoque in quinque primis illis generationibus a diluvio ductis, sive in decem & quinque ab Adamo numerari cœptis, fuerit comprehensus.

17. Sed rursus difficultatem non levem nobis faciunt verba illa, quibus quinque illis ætatibus sive generationibus adsignantur *pæne DC. anni*. Referam primum quæ de eo loco notaverim alibi, scilicet circa finem I. Differt. Tom. II. Sulpicii Severi, pag. 288. Sunt autem hujusmodi: *Dubitari, inquam, jure possit, num aliquot ejus capitis* (sc. cap. CXI. lib. S. Philast.) *numeri, ut fieri consuevit, a librariis corrupti fuerint: exempli gratia, ubi dicitur a diluvio ad Heber & confusionem linguarum intercessisse annos* pæne DC., *hic numerus mihi admodum suspectus*

ctus sit, quod nec conciliari posse videatur cum calculo LXX. Interpretum (juxta quos, non excluso Cainan illo secundo, de quo adhuc quæstio est, ad natum Phaleg anni sunt omnino DXXXI.) nec cum ipsius Philastrii rationibus. Si enim eos annos DC. jungas cum annis ab Adam ad diluvium erunt omnes IIM.DCCCXLII., cum contra jam laudato cap. CIV. atque etiam proxime sequenti expressum habeatur ab Adam ad Heber numerari annos IIM.DCC.: tum annis illis IIM.DCCCXLII. adde ex eodem Philastrii loco annos DXL., qui sunt ab Heber ad Abraham, & alios CCCCXXX. ab Abraham ad Mosem, consient anni IIIMDCCCXII.: atqui Philastrius tum cap CIX., tum cap. CL. numerat ab O. C. ad Mosen annos tantum IIIM.DCC. Sed de his aliorum sit judicium, &c. Hæc obiter tunc, quum aliud agerem & de hac quæstione vix cogitarem. Nunc autem re diligentius perpensa, omnino statuo pro DC. legendum,

dum, inverso notarum ordine, CD.: nam reipsa natalis Phalegi annus, excluso Cainan, est juxta LXX. a diluvio CCCCI. Ita vero fiet, ut ab Adam ad Phaleg natum anni sint IIMDCXL., & duo seu tres præterea: qui numerus etsi aliquanto deficiat a summa annorum IIMDCC., quot ille sæpius, ut diximus, ab O. C. ad divisionem linguarum excurrisse tradidit; potuit tamen eos non exacte & scrupulose putasse, quod ab eo non semel factum ex ejus Chronologiæ serie colligitur. Eam ut statim percurramus, additis præcedenti summæ annis quos ad Abraham usque computat, DXL., prodit numerus annorum IIIM.CLXXXII., qui biennio tantum distat ab eo quem ponit Eusebius. Sequitur Philastrius: *Et ab Abraham usque ad Mosen septem generationes, anni CCCCXXX., ut ait beatus Apostolus*. In verbis Paulli ad Galat. III.17. annis illis CCCCXXX. circumscribitur intervallum, quod inter promissiones

ſiones Abrahæ factas & egreſſum Iſraelis ex Ægypto medium fuit. Porro promiſſiones ei a Deo factæ ſunt primum circa ſeptuageſimum ejus annum, ut dictum eſt ſupra, num. 4., Capelli verbis: deſunt itaque in hac Chronotaxi LXX. illi Abrahæ anni, quos vel ipſe Philaſtrius omiſit ſingillatim recenſere, vel potius ſcribæ, totam illam, ab Abraham nato ad ejus in Charan vel in Chananæam profectionem, epocham ſcribendi celeritate tranſilientes. Sane ſi ſummæ ſupra expreſſæ ad Abraham uſque, quam diximus conſtare annis IIIM. CLXXXII., addas primum LXX. illos annos, tum CCCCXXX. ad exitum uſque ex Ægypto & legem in Sina monte Judæis traditam, cum Moſes LXXX. jam annos natus eſſet, erunt omnes IIIM.DCLXXXII. anni, qui ſane proxime accedunt rotundo illi numero an. IIIMDCC., quos alibi ſtatuit excurriſſe ad id uſque temporis: ut cap. CIX.: *ab Adam uſque ad Moyſen tribus annorum*

rum

rum millibus & septingentis (sup. *annis*) : & cap. CL., *Ante legem*, *id est ante tria millia annorum & septingentos annos*, *justi priores illi sub mandato viventes*, &c. Porro *septem generationes*, quas spatio illi an. CCCCXXX. assignat, sunt Isaac, Jacob, Levi, Caath, Amram, Moses, & postremo hujus filii, quos jampridem ex Sephora susceperat. Vides itaque, ut hucusque perducta ex Philastrio Chronologia (nam quæ sequuntur apud ipsum, brevitatis gratia præterimus), adhibita tamen emendatione illa, ut pro DC. legamus CD., sibimet ipsi perbelle respondeat; & ut demum ex ea constet minime agnitum ab eo fuisse Cainan, quem tamen Hodius, quia ab Augustino recensitum vidit, sibi nimis facile persuasit in antiquæ latinæ Editionis codicibus omnibus & a primis usque temporibus fuisse recensitum. Sed ad alia transeamus.

18. Laudat Hodius pro sua sententia Eustathium Antiochenum, sed perperam,

peram, immo & fublefta fide: *Agnoscitur etiam*, inquit, *ab Euftathio Patriarcha Antiocheno in Hexaem.* Dixi perperam ab Hodio produci Euftathii teftimonium, quia locus quem ab Ufferio indicatum ipfe refpicit, omnino infultus fuit ab illo qui Commentarium in Hexaemeron interpolavit, de quo diximus fupra pag. 404. Locus autem hic eft, interprete Allatio: *Filii Arphaxad Cainan, ex quo Sogdiani: hic fidera obfervavit & auguria excogitavit. Cainan filius fuit Sala, ex quo Sufiani*. Sed fufpectum ftatim hunc locum facit, primum diffonantia quæ occurrit manifefta inter voces *Cainan* & *Sogdiani*, fecundo antiquorum difcrepantia in affignanda gente quæ ex hoc ficto Cainan originem duxerit: nam apud Epiphanium ex eo derivant aliqui *Cajanos* nefcio quos: Auctor Chron. Alex. *Sarmatas*, Syncellus *Gafphenos* ortos ex eo dicunt: fed omnes nullo tefte, nullaque probabili conjectura. Sed quod manifefte obtrufum declarat locum illum

illum apud Auctorem libri Hexaem., est alter textus, qui paullo post sequitur, quique ab ipso Usserio producitur. quæ caussa fuit, ut sublesta fide ab Hodio factum dixerim, quod, quum pleraque ex Usserio hauserit, illum tamen textum silentio præterierit, quem sibimet contrarium vidit. Locus Usserii hic est: *Origenis æqualis Julius Africanus ..... prætermisso Cainane, Arphaxadum annos* 135 *natum genuisse Salam, & ab Adamo usque ad mortem Phaleg annos* 3000 *fluxisse memorat. A mundi enim initio annos* 2262 *usque ad nativitatem Arphaxad* (*neglecto, ut alibi est dictum, biennio post diluvium*) *ille numerat, quibus additi anni* 130 *Salæ ante natum Heberum, & Heberi* 134 *ante natum Phalegum cum integræ vitæ Phalegi annis* 339 (*tot enim in græcis codicibus illi tributos invenimus*) *simul annos* 3000 *conficiunt.* (Eustath. in Hexaemer. pag. 55.) Καὶ ὁ ὑπονοούμενος τῶν ἐτῶν τῆς τοῦ κόσμου διαμονῆς ἀριθμὸς εἰς δύο διῃρέθη ἰσαίτατα (sup. μέρη).

τρισ-

τρισχίλια γὰρ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ τῆς τοῦ κόσμου ὑπάρξεως ἔτη ἐπεραιώθη: Et qui mundi durationis annorum numerus esse existimatur, in duas partes æquales est divisus. Ex quo enim ille est natus, anni mundi conditi ter mille elapsi sunt. *Ut apud Eustathium Patriarcham Antiochenum legitur*: γενέσει *procul dubio pro* τελευτῇ, nativitate *pro* morte, *librarii vitio, substituta: sicut sequentia illa clare ostendunt*. Γίνεται οὖν ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὴν τελευτὴν Φαλὲκ ἔτη τρισχίλια: Ab Adam itaque usque ad mortem Phaleg anni ter mille numerantur. Hæc & alia Usserius, ex quibus Hodius discere poterat, primarium & verum auctorem Commentarii in Hexaemeron, sive Eustathius sive alius quispiam fuerit, non agnovisse Cainanem illum Arfaxadi filium, quum Africanum sequutus ad Phalegi mortem numeraverit annos tantum IIIM. Vide quæ de Africano ex Syncello nos notavimus pag. 458. Ceterum integrum Eustathii locum

ita

ita reddidit Allatius: *Et qui jam hujus mundi durationis numerus esse existimatur, in duas partes pares æqualesque divisus est: anni quippe ex quo mundus hic conditus est, elapsi sunt ter mille. Etenim mundum hunc ad sextam chiliadem duraturum opinamur ...... Ab Adam itaque usque ad obitum Phaleg anni ter mille annumerantur, & ad Domini adventum & resurrectionem anni quinque mille quingenti triginta & unus, ita ut ad sextam chiliadem absolvendam tantum quadringenti quinquaginta novem* (leg. *sexaginta novem*) *desiderentur*. Quæ cum ita sint, oportet ut in illud Commentarium intrusa fuerint postea quæ de Cainane Arfaxadi filio supra retulimus.

19. Ab Eustathio ad Epiphanium veniamus, de quo quid scripserit Hodius supra retulimus: nimirum unum ille primo locum producit, in quo Cainan ab eo omittitur, scilicet ad Hæres. LV.; ejus deinde omissionis hanc affert rationem: *In altero isto loco*, in-

inquit, *hac de caussa illum omisisse videtur, quia disputat ibi adversus Samaritas, a quibus illum non agnosci cognoverit*. Hæc tamen solutio, quam Hodius aliunde accepit (nam ejus meminit etiam Petavius, de Doctr. temp. lib. IX. cap. 17. circa finem, & legisse se dicit *apud quemdam acerrimum Cainanis propugnatorem*) plane mihi non satisfacit: nam quamvis verum sit Samaritanos ab Epiphanio eo loci impugnari, nullum tamen indicium est, eum ibidem Samaritarum peculiarem computum & non potius communem Græcorum sequutum: immo contrarium potius ex toto illo contextu concludi posse ac debere videtur. En locum ipsum, Petavio interprete: *Igitur Samaritani Sem esse illum* (Melchisedech) *arbitrantur, in quo ridiculi plane sunt: siquidem divina Scriptura consentanee cuncta ac congrue stabiliens, corroborandæ in omnibus veritati studuit; neque frustra temporum annorumque seriem expressit*. Hæc profecto non præ-

fatus esset S. Epiphanius, si quidem paullo post ex Samaritarum peculiari codice Patriarcharum & annorum cujusque seriem producturus fuisset. respexit itaque ad receptos apud omnes Christianos græcæ versionis codices, qui tamen in eo, ut supra vidimus, cum Samaritanis concordabant. Sequitur ille: *Cum itaque Abrahamus octuagesimum octavum, vel nonagesimum plus minus ætatis annum ageret, ei Melchisedech occurrit*, ac panem ipsi vinumque protulit. *quo facto Mysteriorum significationes adumbravit, quæ Domini figuram exprimebant, qui dixit*, Ego sum panis vivus; *sed & sanguinis illius figuram, qui e perforato ipsius latere ad eorum qui inquinati erant expiationem aspersionemque manavit. Jam vero Tharre septuagesimo ætatis anno Abrahamum genuit: colliguntur anni fere centum sexaginta. Nachor vero Tharre genuit, annum agens septuagesimum nonum: ita fiunt anni CCXXXIX. Seruch Nachor genuit anno ætatis CXXX.: colliguntur anni* CCC-

CCCLXIX. Rhagau genuit Seruch anno vitæ suæ CXXXII.: consurgunt anni DI. Phaleg Rhagau genuit anno ætatis CXXX. :fiunt anni DCXXXI. Heber porro genuit Phaleg anno vitæ suæ CXXXIV.: fiunt anni DCCLXV. Sale genuit Heber, cum ætatis annum ageret CXXX.: efficiuntur anni DCCCXCV. Arphaxad anno CXXXV. genuit Sale: fiunt anni MXXX. Porro Sem, quem antea diximus a Samaritanis pro Melchisedecho haberi, genuit Arphaxad, ætatis anno centesimo. Summa annorum MCXXX. ad Abrahami tempus, quo Melchisedecho obviam venit, reversus a cæde Chodollogomor & Barsa & Symobor & Hamarphal regum. Verum tot annos quot illorum somnia ferunt, Sem minime vixit; sed centesimo quinto Arphaxad genuit, altero post diluvium anno. Ubi gr. textus.: οὐκ ἔζησε δὲ Σὴμ τοσαῦτα ἔτη, κατὰ τὴν τούτων ληρώδη φαντασίαν, ἀλλὰ ρε ἐτῶν (sed leg. ρ́ ἐτῶν, nam ita fert Scripturæ textus & Epiphanii ipsius computus paullo ante expressus) ἐγέννησε τὸν Ἀρφαξάδ,

φαξάδ, κ. τ. λ., quæ magis ad verbum reddi possunt: *Non vixit autem Sem tot annis*, sc. MCXXX., *ut horum frivola opinio exigit*, *sed centum annos natus genuit Arphaxad*, &c. Sequitur: *Secundum quod*, *ut Scriptura testatur*, *quingentos insuper vixit*, genuitque filios & filias, & mortuus est. *Qui igitur post sexcentos & quinque ætatis annos* (rursus idem qui supra, error repetitur: in gr. est ἑξακόσια πέντε ἔτη, quod scriptum fuerit pro χέ ἔτη, hoc autem pro χ' ἔτη, duplicata, ut ante, per errorem littera ε: lege igitur *post sexcentos ætatis annos*) *mortuus est*, *quomodo ad MCXXX. usque pervenit? ut qui ante generationes decem Sem Noemi filius vocaretur*, *iis demum exactis*, *hoc est MCXXX. annorum intervallo*, *Melchisedechus illorum opinione censeretur*. *O singularem hominum dementiam! Ceterum ex aliorum exemplarium supputatione ab ortu Sem ad illud tempus*, *quo Abrahamo Melchisedechus occurrit*, *id quod octuagesimo*, *vel nonagesimo vitæ illius anno contigit*,

git, consurgunt anni plus minus DCXXVIII.: adeo ut, quocumque se demum convertant, ad Abrahami tempus illud quod diximus, pervenire Sem non potuerit, ut Melchisedechus habeatur. eoque modo Samaritanorum undique vanitas convincitur. Κατὰ δὲ ψῆφον ἄλλων ἀντιγράφων ἀπὸ τῆς τοῦ Σὴμ ἡλικίας, ἐξότε γεγέννηται ὁ αὐτὸς Σὴμ, ἕως τοῦ προδεδηλωμένου χρόνου, τῆς τε τοῦ Ἀβραὰμ συναντήσεως τοῦ Μελχισεδὲκ, ἥτις ἦν ἐν ὀγδοηκοστῷ ἔτει (paullo supra habetur ὀγδοηκονταοκτὼ ἐτῶν, ἢ καὶ ἐνενήκοντα, πλείω ἢ ἐλάσσω: itaque & heic legendum videtur, ἐν ὀγδοηκοστῷ ὀγδόῳ ἔτει, *octuagesimo octavo anno*: vel potius illic legendum fuerit, ὀγδοήκοντα ἐτῶν) τῆς ζωῆς αὐτοῦ, ἢ ἐνενηκοστῷ, γίνεται χκέ (mendum est vel in hoc numero, vel in versione, juxta quam legendum esset χκή) ἔτη, πλείω ἢ ἐλάσσω· ὥστε ἐξάπαντος μὴ δύνασθαι εἰς τὸν προδεδηλωμένον τοῦ Ἀβραὰμ χρόνον τὸν Σὴμ φθάνειν, ἵνα καὶ Μελχισεδὲκ νομισθείη· καὶ διέπεσε πανταχόθεν ἡ Σαμαρειτῶν χυδαιολογία. Hæc

Epiphanius contra Samaritas, in quibus nihil prorsus est, quod persuadeat Cainanem ab eo omissum, *quia disputabat ibi adversus Samaritas, a quibus illum non agnosci cognoverit*: argui contra potiori jure possit ex toto contextu, ipsum secutum vulgarem tum & ab omnibus Christianis receptum græcæ versionis textum & computum, adeoque prorsus ignotum aut saltem non probatum eidem fuisse Cainanem: secus, hunc cum ceteris recensuisset, ut absurditatem ejus sententiæ magis magisque ostenderet. Quod vero circa finem meminit quorumdam codicum, qui a Sem nato ad Melchisedechum DCXXVIII. (ni tamen mendum in notis numericis subest) annos tantum numerarent; quamvis cum doctissimo Petavio fatear, *quænam sint*, vel fuerint *illa exemplaria*, mendosa certe, *comperire non potuisse*; nihilominus inde elucet Epiphanium nullam aliam in ea annorum periodo novisse, præter duas illas ab ipso productas, com-

computandi rationem, quæ quidem refutandæ Samaritanorum sententiæ opportuna esset: etenim quæ ex Hebræorum codice eruitur, Semum Abrahamo superstitem facit annis XXXV., ut notavit etiam S. Hieronymus in epist. ad Euangelum, sive, ut alii scribunt, Evagrium, in qua etiam Judæos ea sentire de Melchisedecho declarat, quæ ille Samaritis adscribit, nimirum eumdem fuisse ac Semum: quæ sententia nonnullis etiam Christianis placuit, & haud ita pridem Scipioni Sgambato S. J., Archiv. V. T. lib. I. tit. XXI.

20. Sed non is unus est locus, in quo Epiphanius Cainanem secundum ex albo Patriarcharum expunxerit; sed supersunt alter & tertius, quos Hodius non vidit, & ex quibus manifestius apparet in superiore non Samaritarum, sed τῶν LXX. codicem eum præ oculis habuisse. Itaque in extremo hoc eodem opere Panarii, seu adv. Hæref.,

res., scilicet in Expositione Fidei, num. IV. hæc habentur: Καὶ γὰρ γενεαὶ παρεληλύθασιν ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ Νῶε δέκα· καὶ ἀπὸ τοῦ Νῶε ἄχρι τοῦ Ἀβραὰμ, ἄλλαι δέκα: *Nam ab Adamo ad Noemum usque generationes præteriere decem, totidemque a Noemo ad Abrabamum*. Quod si ita est, nullus sane Cainani superest locus. sed ne mendum forte in numeris suspiceris, sequitur numerare Epiphanius ex Matthæi Euangelio ab Abrahamo ad Davidem generationes XIV., totidemque ad captivitatem, & a captivitate ad Christum totidem: demum concludit: *Colliguntur ab Adamo usque ad Christum generationes LXII.*, quem numerum iterum & tertio repetit. Denique in libro De pond. & mens. num. 22. hæc habet: *Colliguntur operum omnium summa, quæ sex diebus condita sunt, duo & viginti.... Eodem pertinere potest, quod ab Adamo ad Jacobum duo & viginti capita numerantur ..... capita vero illa .... sunt*. Heic singulos nominat, sed ordi-

ordine perturbato: Cainan tamen semel tantum occurrit, nempe prior; nam secundo locus non est, cum ipse Jacob adnumeretur. sequitur: *Colliguntur generationes duæ & viginti: unde & XXII. sunt apud Hebræos litteræ*. Rursusque num. 23. *Tum in viginti duabus generationibus, quæ ab Adamo ad Israelem intercedunt*. Confer hunc locum cum eo quem supra pag. 593. & seq. ex Origene produximus: nam sibi plane respondent. Porro ex his tribus locis evidens ac manifestum esse videtur, Epiphanium aut prorsus ignorasse, aut non probasse Cainanem Arfaxadi filium. Verum alia ejusdem loca sunt, in quibus illum nominat ac recenset. Hodius tria omnino laudat, nempe ex Opere advers. Hæres. lib. I. §. 4. & Hæres. LXVI. num. LXXXIV., & ex Anchorato num. CXVI.: his adde quartum ex eodem Anch., num. LIX. Ἀρφαξὰδ γεννᾷ τὸν Καϊνὰν, Καϊνὰν τὸν Σαλά. Petavius in Notis ad Hæres. LV. conjecit eo loco omisisse Epiphanium

Cai-

Cainanem, recensuisse alibi, quia in eo græci τῶν LXX. codices variarent, & haberent quidem aliqui, alii omitterent. Sed nonne dubitari possit, an librarii Cainan ex arbitrio his locis suppleverint, quoniam eum in sacris V. & N. T. codicibus recenseri viderent? Equidem in tribus ex jam citatis textibus nulla sententiæ jactura aut incommodo Cainan & addi & demi potest, quoniam in iisdem instituitur tantum enumeratio Patriarcharum: in eo autem qui habetur initio operis Panarii vix, ac ne vix quidem, id fieri potest: ita enim habet: *Cujus* (Noemi) *liberis* (*hunc enim ipsum generare desiisse sacræ litteræ significant*) *filii ac nepotes ad quintam usque generationem nati sunt, ad annos scilicet DCLIX. præter Semum,* ἕως πέμπτης γενεᾶς ἐτῶν ἑξακοσίων πεντηκονταεννέα, πάρεξ τοῦ Σήμ: *cujus unius prolem deinceps commemorabimus. Igitur Semus Arphaxadum genuit, iste Cainan, Cainan Salam* ('Αρφαξὰδ τὸν Καινᾶ, Καινᾶ τὸν Σαλὰ) *Sala Eberum, hic Phalecum.*

lecum. Difficultas in eo quidem aliqua est, quod, quum dicit *filios ac nepotes ad quintam usque generationem*, & in his *Phalecum* comprehendit, excludere videatur Cainan: contra, quum subdit *præter Semum*, non plane liqueat, utrum hæc verba referenda sint tantum ad numerum qui præcedit, adeo ut eo numero anni Sem non comprehendantur; an vero ad integram sententiam, ita ut ipse excludatur ex quinque illis generationibus quæ subnectuntur: nam tum locus esset etiam Cainani. Hoc autem magis verisimile videtur; cum sermo sit de filiis & nepotibus filiorum Noemi, tum vero anni DCLIX. omnino habeantur a nato Arfaxad ad Ragau Phalegi filium, dummodo anni Cainanis CXXX. simul computentur. Fateri itaque oportet Epiphanium habuisse præ manibus & non semel usurpasse eos Geneseos codices, in quos nondum Cainan obrepserat; licet aliquando, atque omnium fortasse primus, usurpaverit

etiam

etiam illos qui eumdem recentiori, ut videtur, manu intrusum exhiberent. ex quo colligitur id, quod initio dicebamus, verissimum esse, Cainan nempe juniorem cœpisse per sacros V. & N. T. codices spargi vergente demum seculo quarto, quo floruit Epiphanius: nam a nemine antiquiorum nominatus fuit, & (si unum excipias locum Demetrii apud Eusebium, quem idcirco maxime suspectum habemus, ut suo loco diximus) ne subobscure quidem indicatus.

21. Sed quæritur, qua ratione fieri potuerit, ut hic adscititius Patriarcha ea ætate obrepserit? Plerique putarunt eum in Geneseos librum primum intrusum, deinde vero inde transfusum in Euangelium Lucæ: sed ii antiquiorem multo atque ipsis etiam Christi temporibus anteriorem reputarunt additionem illam. Habetur vero supra pag. 652. & seqq. quo pacto Capellus conjecerit in Genesi primum a librariis Cainan addi potuisse.

tuisse. Verum Grotius, Bochartus & alii multo probabilius statuunt, primum in Lucæ textum inter Arfaxadum & Sale irrepsisse Cainanem scribarum errore atque oscitantia, inde vero consulto & dedita opera intrusum in Genesis codices. Afferam locum integrum Grotii ex Comm. in Luc.III.vers.36., quem immerito Usserius & Hodius carpserunt. Postquam ille argumenta aliquot commemoravit quæ hujus Cainanis νόθειαν produnt, ita demum concludit: *Quæ conjecturæ me inducunt, ut credam a scriptore aliquo libri unde multa exemplaria fluxerunt, ex pænultimo hujus capitis commate nomen Cainanis hoc loco errore quodam repositum: deinde cum late spargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpisset, Græcos Christianos etiam in versione Geneseos secundum Septuaginta inter Arphaxadum & Salam interposuisse nomen Cainanis, annis etiam additis, quo magis Lucæ, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua auctoritas constaret.* Quisque sane videt, libra-

brarium in describendo Luca facile errare potuisse, ita ut non suo loco posuerit duas illas, quæ paullo infra habebantur, voculas, τοῦ Καϊνᾶν: contra evidens est, non nisi consulto in Genesis libro ea omnia addi potuisse quæ ad Cainan hunc spectant: tum cap. X. 24. Καὶ Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε [τὸν Καϊνᾶν, καὶ Καϊνᾶν ἐγέννησε] τὸν Σαλά: tum vero potissimum cap. XI. vers. 12. & 13., quo loco supplendi etiam fuerunt anni, quos tum ante tum post generationem vixerit. Et in eo quidem cum conjectura tantum ducerentur, ita non plane conveniunt scriptores, aut codices. Syncellus, & ita plerique omnes, ei ante natum Salam annos assignat CXXX., idem tamen pag. 168. monet aliquot exemplaria minus, ut ipse putavit, emendata, habuisse ρλθ', scilicet CXXXIX. nisi legendum potius sit ρλέ, seu CXXXV., cum Usserius observet Jornandem in lib. de Reg. Successs., & Georgium Syrum in Chronol. suis Tabulis,

bulis, totidem illi tribuere. Rursus post Salam natum alii CCCCXXX., ut Syncellus, alii CCCXXX. tantum ei tribuunt, ut græci omnes τῶν LXX. codices MSS. & editi, qui nunc exstant; qui sane numerus annorum a plerisque tribuitur etiam Salæ, ut suo loco diximus: adeo ut verisimile sit, librarios in diversas sententias abiisse, Cainanis annos ad normam Arphaxadi aliis, aliis ad Salæ supplendos ratis. Præterea Cainan supplendus etiam fuit cap. I. Paralip., ubi tamen eum, ut supra Usserii verbis retulimus, editio Romana ex antiquissimo codice Vaticano depromta, nec non versiones aliquæ minime exhibent: adeo ut manifestum sit, non in textum græcum Pentateuchi primum, nec ab antiquissimis temporibus & Christi prædicatione superioribus, invectum Cainan.

22. Porro omnes illas in Genesi & Paralipom. additiones nulla alia de caussa factas fuisse, maxime eo tempore

pore quo factas demonstravimus, conjicere aut suspicari possumus, quam ut Cainan apud Lucam jam lectitari passim solitum, tuerentur & defenderent indocti ne dicam, an audaces nescio qui critici, quales omnis ætas habuit. Ceterum quamvis in Lucæ textum aliquanto ante quam in Pentateuchum inductum fuisse oporteat supposititium hunc Cainan, tamen, ut ab aliis notatum est, Irenæum eum non agnovisse satis colligitur ex lib. III. cap. 22., al. 32. vel 33., ubi num. 3. hæc habentur: *Propter hoc Lucas genealogiam quæ est a generatione Domini nostri usque ad Adam, septuaginta duas generationes habere ostendit, finem conjungens initio, & significans, quoniam ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas & universas linguas & generationem* (for. *generationes*) *hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est*. In quem locum Jo. Ern. Grabius Vossium reprehendit, qui voluit legendum esse *LXXV. generatio-*

tiones, contendens in omnibus MSS. legi LXXII., eumque numerum confirmari ex totidem gentibus & linguis, quas ex Babelicæ turris ædificatione ortas antiquissima opinio est. tum concludit: *Vix igitur dubito 72. tantum generationes Irenæum in Euangelio S. Lucæ cap. III. legisse (omissis vers.* 24. τοῦ Ματθὰτ & τοῦ Λευὶ, *ac vers.* 36. τοῦ Καϊνᾶν), *perinde ut Julium Africanum citatum ab Eusebio lib. I. Hist. Eccl. cap.* 7., *Gregorium Nazianz. Carm. XXXVIII. de Genealog. Christi, Ambrosium in Comment. ad dictum Lucæ locum, aliosque*. Hæc ille, quibus fere paria habentur apud Grotium & alios. Sed, moneo, quos heic laudat Grabius, Africanum, Gregorium & Ambrosium, contra Cainan nihil probant: (quin immo Gregorius in citato Carmine eumdem recenset) sed tantummodo contra Matthat & Levi, quos omnino prætereunt, & Melchi, nullo alio interposito, patrem Eli avumque Josephi faciunt. Apertissi-

mum ſane eſt Africani, ex epiſtola ad Ariſtidem, teſtimonium toto illo Euſebii capite, præſertim vero quo loco dicit, interprete Valeſio, a quo non diſcordat Rufini interpretatio: *Igitur ſi a Davide per Salomonem generationes cum Matthæo numeraveris, tertius a fine reperietur Matthan, qui genuit Jacob patrem Joſephi. Quod ſi cum Luca a Nathan Davidis filio numeres, tertius itidem a fine reperietur Melchi, cujus filius fuit Heli pater Joſeph. ſic enim ait*: Joſeph qui fuit Heli, qui fuit Melchi (*): & quæ ſequuntur. Neque minus diſerte Am-

(*) Valeſius in hunc Africani locum hæc aduotavit: *Aut Africanum memoria lapſum eſſe dicendum eſt, aut certe in codice Evangelii quo uſus eſt Africanus, Melchi ſcriptum fuiſſe pro Mathat: quæ eſt conjectura Bedæ in caput III. Lucæ. Certe Gregorius Nazianzenus in Carmine 38, de Chriſti genealogia, Africanum ſequens, Melchi pro Mathat poſuit, & Ambroſius in lib. III. Comm. in Lucam*. Quod ad Gregorium; refert ille primum Africani, quem tamen non nominat, ſententiam, & ita refert, ut Melchi diſer-

Ambrosius: *Illud quoque advertimus, quod sanctus Matthaeus Jacob qui fuit*

 pater

---

diserte dicat patrem ἄμεσον fuisse Heli. Sed idem paullo post genealogiam Christi omnem juxta Lucam recensens, in qua, uti diximus, locum habet & Cainan secundus, eam hoc versu concludit:

Μελχὶ καὶ Λευὶ καὶ Ματθὰν, Ἡλὶ, Ἰώσηφ.

ex quo apparet Lucae codices a Nazianzeno descriptos cum nostris convenisse, uti etiam quos habuerunt Hieronymus & Augustinus supra laudati. Non male itaque dictum a Valesio fuerit, Gregorium *Africanum sequutum, Melchi pro Mathat posuisse*. At id de Ambrosio nullo pacto concedi potest, quem apparet omnino non agnovisse Matthat & Levi. Sed neque concedendum est, quod de Africano a Valesio asseritur, ipsum nimirum aut memoria lapsum aut mendosum codicem sequutum, quum in ea epistola ad Aristidem id non obiter, sed ex instituto ageret, ut duas Christi apud Matthaeum & Lucam genealogias tueretur, & inter se conciliaret: quare probe nosse debuit, quid Lucae codices ferrent. Praeterea nec Eusebius ipse omisisset castigare Africanum, si hic tam turpiter falsus fuisset in Lucae textu citando; quod tamen ab eo factum non semel, sed iterum hoc pacto: *Lucas vero e contrario a filiis ad parentes*

pater Joseph , filium Nathan memoraverit ; Lucas vero Joseph cui desponsata erat Maria , filium Heli , Heli autem filium Melchi esse descripserit : Quomodo unius duo patres , idest Heli & Jacob? quomodo etiam duo paterni avi, Nathan , & Melchi ? &c. Præterea idem Ambrosius *quinquaginta* tantum generationes ab Abrahamo ad Chri-

---

tes ascendens : Jesus , *inquit* , qui erat,ut putabatur (*hoc enim diserte addit*) , filius Joseph, qui fuit Heli , qui fuit Melchi . Eustathius quoque in Hexaem. , Africanum in hac tota quæstione sequitur ad verbum . Porro titulus epistolæ Africani ad Aristidem fuit , *περὶ τῆς νομιζομένης διαφωνίας τῶν παρὰ Ματθαίῳ καὶ Λουκᾷ τοῦ Χριστοῦ γενεαλογιῶν*, *de dissensione quæ videtur esse inter Matthæum & Lucam in genealogia Christi referenda* , uti liquet ex Eusebio H.E.lib.VI. cap.31. & Hieronymo de Vir.Illust.cap.LXIII. De eodem tamen argumento Eusebius , præter ea quæ initio Hist.Eccl. habet, laudato cap.VII. , alio Opere disputavit,quod *de Euangeliorum diaphonia* inscriptum fuisse testis est idem Hier. de Vir. Illust.cap.LXXXI. , & in Comm .in Matthæum, ubi, *Super hoc*, inquit , *& Africanus temporum scriptor , & Eusebius Cæsariensis in libris διαφωνίας Εὐαγγελίων plenius disputarunt* . Hujus Operis paucula supersunt Fragmenta .

Christum juxta eumdem Lucam bis numerat. *De quinquaginta vero generationibus*, scribit secundo loco, *quas ab Abraham Lucas contexendas putavit, numeri mystici servata gratia satis claret: nam & decimus & septimus numerus mysticus est, & tertio uterque repetitus mysterium signat. Et Pentecoste, cujus Lucas, & Tessaracoste, cujus Matthæus secutus est gratiam, satis superque numerum mysticum prodiderunt*. Numera itaque ab Abrahamo ad Jesum generationes L., seu verius LI. (qui numerus prodit ex X. & VII. ter repetitis) tum ab Adamo ad Abrahamum generationes XX., quot esse, excluso Cainan secundo, sæpius diximus; postremo juxta Lucam primam illam, licet improprie dictam, generationem addas, qua Deus ipse Adami conditor recensetur: erunt omnino juxta Irenæum generationes LXXII. Oportet itaque ut, sicuti paullo ante observavimus scribarum errore *Cainan* ex vers. 37 fuisse insertum versui 36,

ita hi duo *Matthat* & *Levi* ex verſ. 29 in 24 transfuſi ſimili errore fuerint. Hæc ad Irenæi textum illuſtrandum ſpectant, ex quo argumentum ſumitur, unde Cainan eo tempore apud Lucam minime lectum fuiſſe manifeſtiſſime appareat.

23. Accedit auctoritas antiquiſſimi codicis Cantabrigienſis, de quo Hodius ſatis multa, ut ejus elevet auctoritatem. Equidem & ipſe ultro concedo, illum codicem plurimum recedere a lectione vulgata, adeoque ceterorum codicum conſtanti traditioni & unanimi conſenſui non eſſe præferendum: ſed id in univerſum. verum in hac peculiari quæſtione, non video cur & ipſe non debeat ad dicendum contra Cainan teſtimonium admitti. Referam autem quid ſentiat Chriſtoph. Matth. Pfaffius de eodem codice, & de Cainan in eo omiſſo, in Diſſert. Crit. Amſtel. 1709. edita, *De genuinis librorum N. T. lectionibus*, cap. IV. §. 6. *Celeberrimus inter Gallicanos eſt codex*

ille

ille græco-latinus: qui Euangelia & Acta Apostolorum complectitur, mutilatus licet, & ex Cœnobio S. Irenæi, in quo asservabatur, Lugdunensi, in Theodori Bezæ, Theologi Reformati, manus incidit, qui eumdem Academiæ Cantabrigiensi an. MDLXXXI. dono dedit, ubi eum in Bibliotheca repositum ipsimet quoque manibus nostris versavimus. Recensuit eumdem in Prolegomenis Millius sæpius nobis nominandus P. II. fol. 132. *seq. Nec est quod addamus ad observationes criticas a Millio positas. Id certum est atque indubium, codicem hunc, etsi venerandæ sit antiquitatis, adeo corruptum, depravatum atque interpolatum esse, ut omnium N. T. codicum quos habemus, nullus heic ipsi cedat; correctum insuper ad versionem Vulgatam veterem, atque adeo Autographis Apostolicis plane non consentientem, ut probabile omnino sit, eum a librario rerum haud satis gnaro scriptum, vel ab eo potius exaratum esse qui impostoris, falsarii criticique audacis munere potius de-*

functus fuerit, immo qui Pseudepigraphis Euangelicis nimium saepe tribuerit. Ceterum nec id negari potest, ex hoc codice genuinam saepius lectionem in locis dubiis posse depromi. Exemplum hujus rei exstat in Euangelio Lucae, ubi, cap. III. vers. 36, omnes MSS. codices editionesque impressae habent τοῦ Καϊνὰν. *Ast in codice hoc Bezae omittitur haec vox* Καϊνὰν, *prout, si ex Hebraica veritate V. T. concludere velimus, omitti debebat. Nequaquam autem heic spernendam esse codicis hujus auctoritatem, patet ex eo, quoniam nec in genuina LXX. virali versione, uti postea demonstrabitur, exstitit vox* Καϊνὰν, *nec in suis V. T. codicibus legerunt Origenes, Irenaeus, Theophilus, Africanus, & inter antiquiores Berosus & Eupolemus. Hisce testimoniis suffulta codicis hujus lectio non certe, uti Jo. Millius putavit, librario adscribenda est textum mutanti, sed potius censenda lectio omnium antiquissima, & quod maximum est atque omnino magni semper momenti esse debet, codici Hebraeo*

ex

ex asse consentiens. Vulgata autem vetusque illa versio quæ in codice hoc Bezæ exstat, itidem satis corrupta atque interpolata est, nec ascendit ad auctoritatem veteris illius, quæ ante Hieronymi tempora, immo seculis ante Nicænis exstitit. Vehementer enim discrepat ab iis dictorum S. Codicis allegationibus, quæ apud Tertullianum, Cyprianum aliosque veteres reperiuntur, quod & Jo. Millio observatum in Prolegom. N.T., P. III. 166. b. Hactenus Pfaffius de codice Cantabrig., seu Bezæ. Sed neque omittenda quæ paullo infra addit, de alio codice, qui Claromontanus dicitur, agens. *Continet autem*, inquit, *epistolas Paullinas græco-latinas, & codici Bezæ Cantabrigiensi, modo a nobis recensito, fere est παράλληλος, licet non ita corruptus, uti Cantabrigiensis ille, cum quo tamen id commune habet, quod ad versionem veterem Italicam sæpius fuerit mutatus, cum qua fere in omnibus consentit. Uterque hic codex, & Cantabrigiensis & Claromontanus, in Occidente*

a li-

a librario Latino exaratus est, non Græco, uti characteres docent, qui paullo rotundiores & pinguiores iis sunt, quos in Oriente pingebant. id quod observatum est a Rich. Simonio, &c.. Ex his omnibus apparet, aliquanto quidem suspectam esse debere in eo codice Cainanis omissionem; quum ideo fortassis omitti potuerit; quod in latina Geneseos ex Hebraico ducta a Hieronymo versione ejusdem nulla haberetur mentio. non ideo tamen rejicienda prorsus est ejus codicis in hac quæstione auctoritas: nam omissio illa repeti etiam potuit ex antiquiori aliquo & sincero Lucæ exemplari, in quod nondum Cainan fuisset invectus; idque maxime, si quam Pfaffius dicit *versionem veterem Italicam*, intelligit illam, quæ ante Hieronymum in usu erat; quod tamen paullo ante negasse videtur. Quamvis dubitari etiam jure possit, num Hieronymus Cainanem illum apud Lucam intrusum admiserit, quum ipse Euangelia Græcæ fidei red-

reddidit, *codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum*, ut ipse scribit in Præf. ad Damasum: quum in veteribus utriusque Fœderis codicibus græcis ac latinis, multoque magis in hebraicis Pentateuchi, illum absuisse probe nosse debuerit.

24. Ceterum quam non modo absurda, sed & impia sit eorum sententia, qui ab ipso Luca, ex LXX. virali versione mendosa, seu interpolata, fuisse in Euangelium hunc Cainan transfusum asserunt, placet verbis Melchioris Cani, quibus Cajetanum refutavit idem aliquando sentientem, modestiæ caussa, potius quam meis declarare. *Significat*, inquit, *certe ille primum* (*nam deinde in ea opinione non perstat*) *Lucam Euangelistam LXX. interpretum errorem in hac parte, sine proprio tamen errore secutum. Id quod ego non solum intelligere, sed ne cogitatione quidem informare possum. Si enim Euangelista imprudens LXX. Interpretes errantes in historia Euangelii sequitur, licet imprudens,*

dens, sed errat tamen. Sin autem videns prudensque, ut dicitur, fictam a LXX. narrationem suo Euangelio inserit, errat quoque, & eo magis, quod dedita opera Euangelii sinceritatem fabula commentitia contaminat. Breviter, si Cainan non fuit filius Arphaxad, nec Salec filius Cainan, falsa est profecto Euangelica historia, in qua non obscure dicitur Cainan filius Arphaxad fuisse, Salec vero filius Cainan. Quod autem Lucas auctores habuerit gravissimos quos in errore sequeretur, id Euangelistam culpa liberare fortasse poterit. Euangelium certe errore non poterit: Hæc & alia in eam sententiam Canus, de Loc. Theol. lib. II. cap. 17, in Resp. ad 6. At nos non Euangelistam solum, sed & ipsos Græcos interpretes, eorumque codices ad Eusebii usque ætatem, immo ad sæculi quarti fere exitum, ab ea labe & interpolatione immunes fuisse declaravimus, qui Cainan illum scribarum errore & alucinatione (quod vel in ipsis sacris Voluminibus non

raro

raro contigisse, aliis multis exemplis satis constat) in Lucæ primum, deinde in Moysis textum insultum demonstravimus. Supervacaneum autem existimavimus, eas omnes quæ in hac ipsa quæstione apud innumeros fere scriptores occurrunt, sententias singillatim recensere atque refellere, quod abunde ab aliis jam præstitum fuit. Unus quem potissimum refutaremus, supererat Hodius, qui cum hoc ipso sæculo, & post tot doctissimos viros, idem argumentum non perfunctorie ad examen revocare fuerit aggressus, majores tenebras offudisse nobis visus est huic quæstioni, quam alii ante eum non mediocriter sane illustrarant.

25. Hæc habui, quæ in præsentiarum circa hæc Eusebiana Fragmenta observarem. Superesset multo difficilior quæstio proponenda, uter nempe ex illis tribus, Græcorum, Judæorum & Samaritarum, computis ceteris potior sit habendus? Doctissimi

mi ſane viri in varias & contrarias ſententias diſtracti, inter ſe acerrime *certant, & adhuc ſub judice lis eſt*. verum, in hoc præſertim Opuſculo,

> *Non noſtrum inter* eos *tantas componere lites*.

FINIS.



ERRA-

			ERRATA	CORRIGE
Pag.	108. lin.	3.	*πολιμαθία*	*πολυμαθίᾳ*
	147. in Not.		*estitisse*	*exstitisse*
	150.	7.	Trepezuntio	Trapezuntio
	168.	14.	*ἔπη μθ'*	*ἔτη μθ'*
	190.	19.	figula	singula
	391.	3.	verbis aliquo	verbis aliquot
	480.	6.	*ταύτῃ χρῆσθαι*	*ταύτῃ μόνῃ χρῆσθαι*
	528.	16.	Africanis	Africani.

Si quæ præterea occurrent ejusmodi typographica sphalmata, Lector ipse per se facile deprehendet, & benigne condonabit. Quod vero pag. 7. lin. 23. legitur: *Utrumque .... delirasse*, &c., quamvis ex ipso contextu appareat dictum in significatione primigenia ejus verbi *deliro*; ne quis tamen in pejorem partem interpretetur, loco *delirasse* sit *declinasse*.

NOI

NOI
RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Girolamo Giacinto Maria Medolago* Inquisitor Generale del Sant'Officio di Verona nel Libro intitolato, *De Chronicis libris duobus ab Eusebio Cæsariensi scriptis & editis MS.*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza ad Agostino Carettoni Stampatore di Verona, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 21. Marzo 1750.

(Gio: Emo Proc. Rif.
(Z. Alvise Mocenigo 2. Cav. Rif.
(

Registr. in Libro a Carte 20. al N. 207.

Michiel Angelo Marino Segr.

[illegible] p 140. 142.
Ammon 12 p. 283.
[illegible] 60 p. 170 171.
[illegible] 458 p 173.